

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-193468018-14/fragment/page=0002

JO. GOTTFRIDI OLEARII

BIBLIOTHECÆ

SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM

TOMVS SECVNDVS

N. — Z.

JENAE,
apud JO. FELICEM BIELCKIVM.
M DCC X.





NALGODVS.

Cluniacensis monachus, non fuit S. Majoli, abbatis Cluniacensis anno 994. defuncti discipulus, prout falso adseruit Godefridus Henschenius, quem ideò notavit Casimirus Oudinus. Referendus noster Nalgodus ad annum circiter 1100. Condidit *Vitam S. Majoli*, abbatis Cluniacensis, quam exhibent Bollandiani ad XI. Maj. *Vitam S. Odonis*, abbatis *Cluniacensis*, a Johanne Cluniac. exaratam, in compendium retulit. Hanc e tenebris protraxit Mabillon *Sec. Bened.* V. p. 186. De Nalgado Henschenius in *præludiis ad Vitam Majoli* Joh. Mabillon Sec. V. O. B. p. 125. & 760. Oudin. l. c. p. 352. Cave P. II. p. 219. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 110. Vossius *de Hist. Lat. Lib.* III. p. 764.

NAVCRATIVS.

Monachus Constantinop. Coenobii Studiensis Alumnus, Theodori Studitæ discipulus, imaginum cultum perpetuò adseruit. Multas exinde afflictiones perpessus est, modo in carcerem conjectus, modò verberibus adfectus. Epistolas ad Naucratium consolatorias a Theodoro scriptas, videas apud Baronium. Floruit circa annum 813. Scripsit Naucratius *Epistolam*, in qua de persecutionibus Iconolatrarum & Theodori Studitæ Laudibus egit. Extat illa Manuscripta in Bibl. Paulina Lipsi. & penes Cl. Cavium, qui P. I. p. 361. ejus initium inseruit. Quædam quoque ex illa habentur *Bibl. Patr.* T. XIV. p. 903. quæ Fr. Combefisius latine reddidit. Illam autem indignam putat Cavius, quæ in publicum edatur.

NECTARIVS.

Tarso Ciliciæ oriundus, ex Senatore Constantinop. ejusdem Ecclesiæ Archi-Episcopus electus anno 381. Hic ex sententia Gregorii Nazianz. in obeundis Seculi negotiis dexter, in Ecclesiasticis vero vivum præ se tulit cadaver. vid. Spondan. anno 381. n. 10. Obiit Nectarius anno 398. Scripsisse fertur *Homiliam de S. Theodoro* quam Joach. Perionius lat. reddidit & Aloysius Lipomannus T. V. inseruit teste Labbeo p. 99. Ejusdem, ut & Joh. Chrysostomi, quem in sede Constantinop. successorem nactus, *Orationes ad populum* Parisan. 1554. 8. prodiisse Simlerus & Possevinus notant; easdem a Perionio lat. redditas vidit Labbeus. *Sententia ejus Synodalis de Episcopatu Bostrensi* gr. lat. habetur Jur. Gr. Rom. l. 4. *Orationem de Jejunio* in Viennensi Bibliotheca, sicut & in Elect. Monachiensi haberi Spizelius *Arcan. Bibl.* p. 59. & 147. retulit. Conf. si placet Cave l. c. P. I. p. 160. *Du Pin. Bibl. Nouv.* T. II. p. 246.

NEMESIVS.

Ex Philosopho Christiano Emesenus in Phoenicia Episcopus incertæ ætatis, ab aliquibus Sec. 4. ab aliis 5. adscriptus. Ejus *liber de natura hominis* T. IX. Bibl. PP. Paris. edit. 2. f. 556. & alibi prodiit. Seorsim quoque editus gr. lat. ex Lud. Vallæ versione Lugd. 1538. apud Sebast. Gryphium & Nicasio Ellebodio interprete, apud Plantin. Antvverp. 1565. Denuò recognitus Oxonii 1671. 8. *Epistola* quædam Nemesii inter Nazianzeni Carmina reperitur, quæ, an nostro tribuenda, alii dispiciant. Conf. de eo Cave P. I. p. 159. & Labb. p. 100. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 280.

NENNIVS.

Natione Britannus, Elvodugo Probo & Beulano Presbytero usus Præceptoribus, Coenobii Bannochorensis Monachus & postea abbas juxta Vossium, Baleum & Cavium anno 620. floruit. Ab aliis vocatur *Gildas Hibernicus*. Hic utrum cum Augustino monacho disputaverit, eruditi discutiant. Baleum id affirmantem non absque rationibus amplectitur Cave P. I. p. 316. Idem alium notat *Nennium* nostro antiquiorem, Regis Luddi fratrem, qui ex Bardorum cantionibus & Flaminum Scriptis rerum Briannicarum historiam patrio sermone composuisse dicatur. Historiam ejus Nennius Banochorensis latine vertit ac ad sua tempora continuavit. Manuscriptum illius extat in Bibl. West-

mona-

monasterienſi regia, Cantabrigienſi academica, Cottoniana, & alibi. De quo quid ſentiat Vſſerius vid. Caveus l. c. Primus Nennii *Enlogium Britanniæ*, ex corruptis licet exemplaribus extulit Tho. Galeus *Rer. Angl. Script. T. I.* p. 91. Adde errorem Balei & Pitſei, qui ex unico hoc opere ſex vel ſeptem libros plane diverſos faciunt.

NEOPHYTVS.

Presbyter Græcus, Monachus & incluſus, anno 1190. floruit. Scripſit *Librum de Calamitatibus Cypri ab Anglis anno 1191. captæ*, quem extulit græc. lat. Cotelerius *Monument. Eccleſ. Græc.* T. II. p. 457. Evolve Cav. l. c. P. I. p. 479. Du Pin. T. IX. p. 203.

NEROPIVS.

Ignotæ ætatis autor, cujus aliquam *Epiſtolam* ex editione Lugdunenſi Galleti dederunt *Collectores Magnæ Bibl. Colon.* T. XV. f. 995.

NESTORIVS.

Germanicia Syriæ Euphrateſienſis oppido oriundus, in monaſterio S. Euprepii enutritus, Diodori poſtea Tarſenſis diſcipulus. Eccleſiæ cum factus eſſet Antiochenæ Presbyter, anno 428. Siſinnio Conſtantinopolitano Epuscopo in ſede ſucceſſit. Hæreticorum malleus in initio videbatur, dum Arianos, Quartodecimanos, Macedonianos, Manichæos & alios vel omnium maxime affligebat. Ipſe tamen Hæreſiarcha factus nulli ſecundus. Cum enim Anaſtaſius Presbyter Mariam vocari non poſſe Dei param pro concione diceret, a partibus ejus ſtare non dubitavit Neſtorius. Qui cum admonitus de ea re fuiſſet, nec mentem mutaret, erroris & blaſphemiæ accuſatus a Concilio Epheſino, anno 431. celebrato, damnatus atque in exilium miſſus eſt. Varia in locis variis adverſa perpeſſus, anno 436. lingua ejus vermibus erosâ interiiſſe creditur. Si Socrati Lib. VII. c. 32. & 34. credendum, homo erat indoctus, naturali facundia præditus, atque arrogantia elatus. Varias ſcripſit *Epiſtolas*. Binæ extant græc. lat. Concil. T. III. p. 316. 321. quarum poſteriorem a Mario Mercatore verſam inter Opera ejus a Garnerio edita P. II. p. 57. *Aliæ* II. lat. ibid. p. 349. *Epiſtola* ad Cæleſtium hæreticum. *Alia* ad Cœleſtinum Papam lat. a Mercatore factæ. ibid. *Sermo* adverſus Pelagianos. ibid. *Anathematismi* XII. lat. Concil. T. III. p. 424.

Fragmenta XX. ex Libro Sermonum græc. lat. p. 520. & alia fragmenta, quæ exhibet Cave P. I. p. 230. qui plurima Nestorii Scripta adduxit. Plura tamen ipsi tribuit Gennadius *de Scriptoribus Eccles.* c. 52. De Scriptis Nestorii conferri quoque meretur Cl. Du Pin. Bibl. Nouv. T. IV. p. 61. seqq. Bayle & Buddeus *in Lexicis. Memoires de Trevoux* T. VIII. p. 140. Arnold. *Hæres.* passim. Aub. Miræus in Scholiis ad Gennadium cap. 53.

NICASIVS DE VOERDA.

Sive *Voerdanus*, Marchlinienſis, a tertio ætatis anno oculis captus, Lovanii Theologiæ Lauream adeptus & Rom. Pontificis indulgentia Sacerdos factus, publice ad populum diſſeruit & Sacerdotis cætera fere munia dextre obivit. Coloniam profectus Jurisprudentiæ ſtudio totum ſe mancipans, leges nunquam lectas, ſed auditas ſaltem ſic mente tenuit & recitavit privatim ac palam, ut Juris Doctor Academiæ ſuffragio ſit renunciatus. Obiit Coloniæ anno 1492. prout teſtatur Fr. Schwertius *Athen. Belg.* p. 571. Scripſit præter *Comment. ad Inſtitutiones Juris, Sermones elegantes & doctos in Lib. IV. Sententiarum.* it. *Lecturam 3. arborum Conſanguinitatis, Affinitatis & Cognationis Spiritualis* Colon. 1506. 8. per Quentelium excuſam. In titulo hujus lecturæ vocatur optimarum artium nec non Juris Pontificii Doctor Conſultiſſimus, Sacræ quoque Theologiæ inſignis Palladii Lovanienſis Licentiatus profundiſſimus, Vir ingenii ſtupendi &c. in fine vero: Illuminatiſſimus piæ & in extinctæ memoriæ Vir, Philoſophus acutus, Theologus eminens, exin quod ſtupendum eſt, Antiſtii Juris, quod Canonum vocant, Doctor expertiſſimus.

NICEAS.

Aquilejæ ſub Chromatio Epiſcopo Sub-Diaconus, poſtea vero ejusdem in Sede Succeſſor. Floruit anno 420. Hieronymo familiariter uſus eſt Niceas, quem comitem habuit peregrinantem. Scripſit teſte Gennadio c. 22. ſimplici & nitido ſermone *Libellos VI. inſtructionis ad Neophytos* & *Libellum ad lapſam Virginem*, quam alii Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino falſò attribuunt. Videnobis conſentientes Cl. Cavium P. I. p. 219. & II. p. 85. Cotelerium not. in l. II. *Conſt. Apoſt.* p. 186. Cl. Du Pin. *Bibl. Nouv.* P. III. p. 154.

NICE-

NICEPHORVS.

Monachus, qui ex sententia Possini tempore Theodori Edessæni circa ann. 1101. floruit, scripsit Librum quem Cavius P. II. p. 219. præclarum & valde utilem vocat, eumque *de Custodia Cordis*, quem extulit græc. lat. P. Possinus *Thesaur. Ascet.* p. 404.

NICEPHORVS BLEMMIDA.

Presbyter & Monachus Monasterii in Emathiis, asperam & asceticam vitam egit. Templum sumptibus suis ædificavit, quod mira Sanctitate frequentavit. Patriarchatum Constant. ann. 1255. sibi oblatum, recusavit, *Vir* juxta Gregoram *Hist.* L. II. p. 33. *multis Virtutibus insignis & sapientia varia instructus, tum ea, quæ apud gentes in pretio est, tum ea, quam Eccl. fiæ Antistites & Oratores in nostram utilitatem prodiderunt.* Processionis SS. dogma adversus græcos vel ipse græcus propugnabat, latinis plurimum favens. Conf. tamen Leon. Allatium *de Consensu* l. 2. c. 14. §. 4. qui dubia partim movet, illa partim discussit. Scripsit *de Processione SS. Lib. II.* quos vid. græc. lat. apud Odericum Raynaldum *Annal. Eccles.* T. I. *in app.* & L. Allat. inter *Orthodoxæ Græciæ Scriptores* T. I. p. 1. *Epist. ad plurimos data*, postquam Marchesinam, Joh. Ducæ Imper. amasiam, e foribus templi præcipitem dedisset. græc. lat. ap. L. Allat. l. 2. c. 14. §. 4. *Epitome Logica & Physica* prodiit græc. lat. Aug. Vindel. 1605. 8. Reliqua in Manusc. latent, ut sunt: *Encomium in Joh. Evangelistam: Oratio de Anima: de Corpore: Enarrationes in aliquot Psalmos. Opuscula de Fide: de Virtute: Religione* & alia, quæ in Bibl. Vaticana, Vindobonnensi, Parisiensi & aliis asservantur, quorum initia exhibet Cave P. II. p. 249. Alia Opuscula contra latinorum dogma de Processione SS. Manuscripta se vidisse testatur Allatius l. c. Conf. si placet, præter cit. Autores, Casim. Oudin. p. 501. Ant. Possevinus in *app. S.* T. II. p. 118. L. Allatius *in not. ad Georg. Acropolit.* p. 244. Mallinkrot *Paralipom. de Hist. Græc.* n. 45.

NICEPHORVS BRYENNIVS.

Macedo, in Orestiade civitate natus, Nicephori Bryennii filius natu maximus anno 1118. claruit. Annam Comnemam, Alexii Comnemi Imp. filiam in matrimonio habuit, à quo Panhypersebastus id

id est super omnes Augustus, post vero Cæsar creatus est. Constantinopolim urbem adversus Gothofredum Bullionæum defendit & alia præclare gessit, quibus brevitatis causa supersedebimus. Mortuus videtur anno 1137. Vir erat teste Zonara *annal. Lib. III.* doctrina egregie instructus, atque scripsit *rerum Byzantinarum Historiam lib. IV.* ab anno 1057. ad an. 1081. quæ græc. lat. cum versione & notis Possini prodiit Paris. 1661. fol. cum animadversionibus Caroli du Fresne ad calcem Cinnami Paris. 1670. f. Plura suppeditat Martinus Hanckius *de rerum Byzantinarum Scriptoribus* P. I. c. 28. pag. 492. seqq. Du Pin. T. IX. p. 203.

NICEPHORVS CALLISTVS.

Callisti Xanthopuli filius, professione Monachus, Bibliothecam in S. Sophiæ Asceterio repositam per plures annos usurpavit. Floruit anno 1333. atque, cum nondum egressus esset annum 36. Historiam Ecclesiasticam ex Eusebio, Socrate, Sozomeno Theodoreto, Evagrio & aliis contexere cœpit. Quo tamen successu institutum perduxerit, facile colligere licet ex fabulis, quibus repleta, putidissimis. Hinc judice Casaubono, non pluris quam folia farfari, facienda est. Insigne Nicephori ψεῦδος producit Arndius *notis* ad Francisci Vavassoris *librum de forma Christi*, circa finem. Imo ipse Vavassor, otiosus de forma Christi disputator, Nicephoro in hoc negotio quasi bellum indixit. Scripsit autem Nicephorus libros XIIX. a nato Christo ad mortem Phocæ nefandissimi & perniciosissimi, ut eum l. 18. c. 56. vocat, Tyranni. Hi adhuc supersunt, reliqui vero quinque interierunt. Vnicum ejusdem exemplar ex Budensi Bibliotheca in Bibl Vindobonensem translatum est. Illos *XIIX. Historiarum libros* transtulit latine Joh. Langius, qui Basil. 1553. Antw. 1560. Paris 1566. ibid. 1573. Francof. 1588. prodierunt. Græc. lat. edidit Front. Ducæus 1630. II. Vol. fol. *Catalogum Meretricum Imperatorum Constantinop. & Seriem Patriarcharum Constantinop.* extulit Phil. Labbeus *in Protreptico de Scriptoribus Byzantinis*. Paris. 1648. p. 34. *Synopsis totius SS. Jambicis trimetris digesta* una cum *oratione ad Deum deprecatoria* prodiit græce Basil. 1536. 8. *Oratio de Origine, Structura & miraculis templi B. Virgini Sacri ad Fontem*, extat in Bibl. Vindob. & Vaticana. Plura Leo Allatius *de libris Eccles. Græcorum* Disc. I. p. 70. II. p. 115. seq. H. Wharton in app. P. I. Cav. p. 20. Cave P. II. p. 275. Vossius L. II. Histor. Græc. c. 29. Labbeus p. 102.

NICE-

NICEPHORVS CHARTOPHYLAX.

Constantinopolitanus, vixit Seculo VII. juxta Bignæum *Ind. Chron.* Bibl Patr. Paris. edit. 2. cujus T. III. f. 414. exhibet geminas illius *Epistolas*, discrepantes a fragmento Epistolæ Nicephori Chartophyl. quod Grynæus pridem dederat Orthodoxo gr. græc. lat. f. 74. Idem Grynæus Præsulem eum Constantinopolitanum à nonnullis habitum, refert, & quidem anno 560. At Coccius eum ad annum 830. Cavius vero 801. reponit. Extant quoque Epistolæ vix adductæ græc. lat. *in Jure græc. Rom. lib. V.* p. 3341. lat. vero *in Bibl. Patr.* T. XII. Consule Caveum P. I. p. 356.

NICEPHORVS.

Constantinopolitanus, sublimis ingenii homo, Constantino Aug. & matri Irenæ a Secretis, in Concilio II. Niceno Imaginum cultum strenue promovit. Vitæ aulicæ pertæsus in monasterium se contulit atque anno 806. mortuo Tarasio in dignitate Patriarchali successit. Cum autem Leonis Armenii edicto flecti non posset, atque Imaginum propugnare cultum pergeret, in exilium missus atque in Monasterium a se extructum deportatus anno 828. decessit. Varia scripsit quæ ex aliis transcribimus: *Breviarium Historiæ* quod græc. & lat. Parisiis 1616. Dionysius Petavius edidit, iterumque vulgavit 1646. T. I. *Corporis Hist. Byzant.* & ad calcem Theophylacti Simocattæ *Historiæ* Paris. 1648. f *Chronologia Tripartita*, secundum rationem græcorum, quæ lat. primo prodiit ex interpretatione Anastasii Bibliothecarii, deinde cum Commentario Joach. Camerarii Basil. apud Oporin. 1561. iterumque cum notis Ant. Contii, sicut & Margar. Bignæi Bibl. P. P. Paris. edit. 2. T. VII. f. 974. At græce eam primus edidit Jos. Scaliger, in *Thesauro temporum* post Eusebium. Græc. verò & lat. simul cum Georgii Syncelli Chronico anno 1652. fol. typis regiis vulgavit Jacobus Goaz Ord. Prædic. *Confessionem fidei suæ*, quam anno 811. prolixa ad Leonem III. P. R. dedit epistola, exhibent græc. lat. *Acta Synodi Ephesinæ* anno 1591. Heidelbergæ & Paris. 1620. edita. Item *Concil.* T. VII. p. 1205. & Baronius T. IX. *Annal. Opuscula IV. adversus Iconomachos* lat. apud Canisium *antiq. Lect.* T. XIV. p. 253. & *Bibl. Patr.* T. XIV. extant, *Canones breviculi XVII.* græc. lat. in Jure Græc. Rom. Lib. III. p. 195. apud Zonaram & alibi. *Canones aliòs XXVII.*

græc. lat. cum notis exhibet Cotelerius *Monument. Eccles. Gr.* T. III. p. 445. *Epistola* græc. lat. ibid. p. 453. *Indiculus Librorum Canonicorum, Ecclesiasticorum, Apocryphorum,* ad calcem Chronographiæ expressus, quem tamen Nicephoro abjudicat Pearsonus *Vindic. Ignat.* Par. I. Fragmenta satis ampla ex III. Libris ejus adversus Iconomachos scriptis sistit Fr. Combefisius Auct. Paris. 1648. & alia, de quibus Cl. Cave P. I. p. 317. Labbeus p. 106. Vossius I. 2. Hist. Græc. c. 25. & app. addendorum p. 539. Hanckius *de rerum Byzant. Script.* P. I. c. 12. p. 223. Stylum ejus maximopere commendat Photius Cod. 66. *Nihil* inquit, *stylus habet supervacaneum aut obscurum; verborum delectu orationisque compositione, neque nimis dissoluta, neque contra nimis adstricta, anxie est usus. Sed qualia adhiberet Rhetor quivis, vel consummatissimus Orator. Vitat enim recens ficta, neque antiquitate usuque probata præterit. Jucunditas adhæc illi gratiam conciliat in dicendo.* Conf. Cl. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 5. seqq. qui de Scriptis Nicephori prolixe disseruit. & CL. Buddeus in Lexico juxta cum aliis.

NICEPHORVS GREGORAS.

Byzantinus Joh. Glycy Patriarchæ, & Theodori Metochitæ discipulus, Andronico Imp. Charus, a quo Chartophylax Ecclesiasticus creatus est. Barlaamum viriliter oppressit, ipse tamen a Cantacuzeno ad tempus oppressus. Claruit autem Nicephorus anno 1345. Philosophus & Historicus insignis, artis etiam oratoriæ peritissimus. Scripsit *Historiæ Byzantinæ* lib. XI. qui in variis locis impressi sunt. Prodierunt græc. & lat. interprete Hieronymo Wolffio, Basil. 1562. f. Paris. 1567. f. Francof. 1568. 1587. f. Genev. 1615. f. Fragmenta quædam cum Nicephori Constantinop. Breviario primus protulit Dion. Petavius Paris. 1616. 8. Videas, de eo quid judicent Lipsius *Polit. Lib.* I. c. 9. §. 12. f. 17. & Card. Bona *Notit. autorum &c. Oratio in obitum Theodori Metochitæ* græc. lat. Lugd. Bat. 1618. ad calcem Metochitæ & ad calcem Glycæ Paris. 1660. *Comment. in Synesium de Insomniis* ad calcem Synesii Operum græc. Paris. 1553. græc. lat. ibid. 1613. *Passio Cordati Corinthii aliorumque martyrum Achæorum* græc. lat. inter *acta SS.* Mart. X. ab Henschenio & Papebrochio cum notis excusa. *Disputatio contra Palamam: Technologia Grammatica: Orationes II. Lib. X. contra Synodum, quæ pro Palama contra Barlaamum & Acindynum* senten-

sententiam tulit. *Demonstratio de emendando tempore Paschatis: Tractat. de Constructione Globi* & alia quam plurima, quæ memorat Cave P. II. p. 279. & Possevinus in *app.* S. Oudinus l. c. p. 622. seqq. Restat unica adhuc Epistola commemoranda typis excusa & græc. lat. edita a Cl. Normanno Upsaliæ 1693. 4. inter Theoduli Opera.

NICEPHORVS.

Philosophus & Orator Patriarcha Constantinop. an. 895. claruit *Oratione Panegyrica* sive *Vita Antonii Caulei Patriarchæ Constantinopol.* qui anno 891. obiit. Habetur illa lat. apud Surium T. I. d. XII. Febr. & Bolland. ad d. XII. Febr. Manuscripta vero in Bibl. Vindob. adservatur. De eo Cave P. I. p. 399. II. p. 168. Hanckius l. c. c. 20. p. 397. Voss. Hist. Gr. Lib. II. C. XXVI. p. 294.

NICEPHORVS VRANVS.

Magister Antiochiæ, S. *Symeonis Stylitæ Junioris Vitam* exaravit, quam expresserunt Bollandiani ad d. Maj. XXIV. Conf. Cave Diss. I. p. 13. ad calcem P. II. *Histor. Litter.*

NICETAS.

Byzantinus, professione Monachus, anno 1120. clarus composuit *Tractatum Apologeticum pro Synodo Chalcedonensi adversus Armeniæ Principem.* Extat illa græc. lat. *Græc. Orthod.* T. I. p. 663. Fragmenta vero apud L. Allat. *de Consens.* L. I. c. 5. §. 3. p. 72. & lib. *de Purgatorio Eccles. Græc.* p. 314. Agit de Niceta Cave P. I. p. 456. Du Pin T. IX. p. 199.

NICETAS.

Choniates a Patria, alias vero *Acominatus* dictus, magnus Logotheta Secretorum, Inspector ac Judex Veli ac Præfectus Sacro cubiculo initio Sec. XIII. claruit, vir dignitate, uti dictum, in Imperio & aula Constantinop. illustris. Obiit Niceæ post ann. 1206. Scripsit *Historiam* sive *Annales* Libr. XXI. ab anno 1118. ad 1205. græc. & lat. primo editos interprete Hier. Wolffio Basil. 1557. f. Parisiis deinde lat. 1566. Francof. 1568. f. Genev. 1593. 4. postremo cum Scriptoribus Historiæ Byzant. anno 1647. f. operosa cura Caroli Anni b. Fabroti. Præter istos annales scripsit *Thesaurum Orthodoxæ fidei* Lib. XXVII.

quos in Bibl. Bodlejana, elegantissime descriptos se vidisse testatur Cave P. I. p. 488. Libros V. priores vertit & lat. extulit cum doctissimis notis Petrus Morellus Paris. 1580. Genev. 1592. 8. & extant in Bibl. Patr. T. XXV. p. 54. ut & fragmentum ex libro XX. de Ordine, qui servatur, cum quis à Saracenismo ad Christianismum transit T. II. *Bibl. Paris.* 2. f. 625. & inter Sylburgi *Saracenica* 1595. 8. p. 74. Scripsit quoque *Confutationem Legis Muhammedicæ: Comparationem hyemis & æstatis: Epistolas VI.* Quæ omnia adhuc Manuscripta adlegat Cave P. II. p. 247. Evolv. Buddeus, Oudinus, Labbeus, Vossius. De Stylo Nicetæ consulas Lipsium l. c. ita scribentem: *Jam inter infimos quoque græcos duo sunt, quos non contemno. Prior est Nicetas Choniates. Is parum adhuc vulgo notus, fateor; sed dignissimus notitia: purum, rectumque ingenium, si aliud illo ævo. Stylus ejus operosus Poetas & Homerum sæpe resipiens: ut res & narratio ipsa distincta, compositu sine vanitate, sine ineptiis, brevis quod satis sit & fida. Crebra apud eum & opportuna monita: judicia non libera solum, sed sana.* Plura exhibet Thomas Pope-Blount Censur. *Celebr. Autor.* p. 404.

NICETAS DAVID.

Paphlago dictus apud Vossium l. c. c. 25. forte, quia natione Paphlago fuit, ut arbitratur Labbeus, p. III. aut Dadybrorum in Paphlagonia sub Metropolita Gangrensi Episcopus extitit, prout conjicit Leo Allatius ad calcem T. I. *Græc. Orthodox.* Claruit Niceras anno 880. Scripsit *Vitam S. Ignatii Patriarchæ Constantinop.* quæ gr. lat. inter Acta Concil. VIII. Ingolstadii 1604. 4. edita & Concil. T. VIII. p. 1179. extat. *Apostolorum XII. Elogia XII. Orat. in Marcum, Evangelia in Nativitatem S. Mariæ: in Exaltationem S. Crucis. in S. Gregorium Theologum. In S. Hyacinthum Amastrensem Martyrem* & alia, gr. lat. edidit Fr. Combefisius in Auct. Paris. 1672. *Encomium in Eustachium, Agapium, Theopistum & Theopistem* gr. lat. cum notis extulit idem in *illustrium Christi Martyrum Triumphis* Paris. 1660. 8. p. 45. Lib. pro *Synodo Chalcedonensi adversus Epistolam Regis Armeniæ*, gr. lat. ap. Leon Allat. *Græc. Orthod.* T. I. p. 663. quam tamen alii Nicetæ nostro abjudicant. Conf. Cave P. I. p. 395. Oudin l. c. p. 177. Fr. Combefisius in auctoribus recensitis ante suam *Bibliothecam SS. Patrum Concionatoriam* p. 32. & alibi. Plura tamen Nicetæ Manuscripta: *Carmen ad S. Angelum Hymnus in Mariam; Carmen ad S. Christophorum Martyrem.* & alia extant in Bibl. Vindo-

Vindob. ut nos erudit Cl. Cave P. II. p. 166. Conf. Du Pin. l. c. T. VII. p. 196. qui Stylum ejus ab elegantia & nitore, quin imò facilitate jucunda maximopere commendat. Conf. Voſſius H. G. L. II. c. XXV. p. 289. Hanckius l. c. c. XVI. p. 258.

NICETAS.

Ex Chartophylace Conſtantinop. Maroniæ Theſſalonicenſis Archi-Epiſcopus, latinis admodum favit, quibuscum uniri avide ſperavit. Floruit an. 1201. atque ſcripſit *Lib. VI. Dialogorum de Proceſſione SS.* quorum fragmenta exhibet L. Allatius *adverſus Hottinger.* c. 19. p. 467. *Reſponſio* ejusdem *ad interrogata Baſilii Monachi* extat gr. lat. in *Jure Gr. Rom.* l. 5. p. 345. De eo Cave P. I. p. 487.

NICETAS PECTORATVS.

Sive *Stethatus*, monachus & Presbyter in Coenobio Studienſi, an. 1057. clarus, latinorum hoſtis infenſiſſimus, ſcripſit *Lib. de Azymis, de Sabbatorum Jejuniis & nuptiis Sacerdotum adverſus Latinos.* Hunc exhibet Caniſius T. VI. p. 4. Baronius in T. XI. appendice & alii. *Canon in S. Nicolaum*, ex quo quædam profert L. Allatius *libro adverſus Hottinger.* c. 11. p. 208. *Tract. de anima* ex quo idem fragmenta dedit *lib. de Octava Synodo Photianâ* c. 14. p. 545. *Carmen Jambicum in Symeonem Juniorem, Præceptorem* gr. idem Diatriba *De Symeon. Script.* p. 168. & alibi. Reliqua in Manuſcriptis delitescunt, quorum quædam, v. g. *Oratio invectiva contra blaſphemam Armeniorum hæreſin*, & *Centuriæ III. capitum Aſcetico-rum* in Bibl. Vindob. viſuntur, prout refert doctiſſimus Cave P. II. p. 199. Conf. Cl. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 78. & 111.

NICETAS.

Barianus de Placentia, Theologiæ Profeſſor, Ord. Erem. D. Auguſt. regularis obſervantiæ, Mediolani olim ſcripſit *Tractatum de monte Impietatis* anno 1494. ad Georgium Alban. Epiſcopum & Cardinalem. Impreſſus ille Cremonæ anno 1496, at recuſus & ſubjunctus *Montibus Pietatis Romanenſibus* Lipſiæ 1670. à D. Aſciano editis.

NICETAS SEIDVS.

Scriptor Græcus latinorum adverſarius qui juxta *Cavii* conjecturam circa ann. 1110. claruit. Scripſit adverſus Latinos, qui Dogmata & ritus ab Eccleſiæ Romanæ antiquitate commendabant, li-

brum, hoc argumento : *Non simpliciter antiqua novis venerabiliora, adeoque neque nova vetus Roma, nec sides sede.* Ex hoc Opusculo quædam transscripsit Leo Allatius *de Consens.* Lib. I. c. 14. §. 1. 2. L. II. c. 1. §. 2. L. III. c. 12. §. 4. de eo Cl. Du Pin. T. IX. p. 198.

NICETAS SERRON.

Ex Diacono & Magistro Constantinop. Heracleensis Archi Episcopus factus anno 1077. claruit Scripsit *Comment. in Nazianzeni Orationes* XVII. qui inter Nazianz. opera extat. Hunc mutilum atque mancum olim edidit Jac. Billius. *Catenam in Jobum* quæ lat. prodiit Venet. 1587. 4. & cura Patricii Junii Londini 1637. fol. quam tamen Olympiodoro magis adscribit Cl. Du Pin. T. VIII. p. 114. *Comment. in Nazianzeni Tetractica, Monostica, & Epigrammata* græcè excusum sub Nicetæ Davidis Paphlagonis nomine Venet. 1563. 4. *Responsa Canonica* ad Interrogationes Episcopi cujusdam Constant. gr. lat. apud Leunclavium *Jur. Græc. Rom. Lib. V. p. 310.* De quibus tamen Cl. Cave P. II. p. 202. erudite observat, quod sex tantum numero ibidem habeantur, at in Vindobonnensi Bibl. in Manuscripto Codice novem capitula numerentur.

NICETAS.

Mytilenæus, Maroniæ ex magnæ Ecclesiæ Chartophylace Archi Episcopus Thessalonicensis anno 1101. clarus, scripsit *Responsiones ad interrogationes a variis* ad illum factas, quas vide gr. lat. *Jur. Gr. Rom.* Lib. V. p. 346. Lib. de *Miraculis S. Demetrii Martyris*, Manuscriptus in Bibl. Bodlejana. Exposit. *Canonum S. Damasceni* & alia de quibus Cl. Cave P. II. p. 246. Hic Nicetas unus idemque videtur cum illo de quo p. 13. diximus.

NICETIVS.

Lemovicensis Nobilis, Trevirensis Monachus primum & postea abbas maximopere a Sidonio Apollinari & Gregorio Historico laudatus, L. X. Hist. c. 19. *Erat apud urbem Trevericam vir eximiæ Sanctitatis Nicetius Episcopus, non solum in prædicatione admirabilis facundia, verum etiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe.* Theodoricum Mediomatricum Regem & filium ejus Theodebertum vitiorum libere coarguit. Ob id veritus a Theodorico anno 527. Archi Episcopus Trevirensis constituitur. Concilio Arvernensi I. anno 549. Aurelianensi V. & Arvernensi II. 551. Parisiensi II. Nicetius subscripsit. Cum autem Clotharium Regem ob incestas nuptias sæpius excom-

excommunicaret, ab eodem in exilium missus, a Sigeberto tamen Clotharii filio anno 565 revocatus sedique pristinæ restitutus est. Transiit ad Christum anno 568. Illud in eo mirandum narrat Gregorius in Vitis Patr. c. 17. quod ad Clericatus ordinem natus videretur Nicetius, ut quidem cum Corona, quam Clerici tunc temporis gestare solebant, infans instar attonsi rarescentibus in orbem pilis ex matris utero prodierit. Scripsit Nicetius *de Vigiliis Servorum Dei Tract.* item *de Bono Psalmodiæ* quem utrumque, Nicetæ Dacæo Episcopo alioqui ab Holstenio & Sirmondo adscriptum, nostro vendicavit Luc. Dacherius *Spicileg.* T. III. *Epistola ad Justinianum Imper.* qua illum ab hæresi revocat. & *Epistola ad Clodosvindam Clotarii filiam*, qua eam hortatur, ut maritum suum, Alboinum, Longobardorum Regem ad fidem Catholicam adducat. Vtraque extat Concil. T. V. p. 832. Plura videsis apud Gregorium. libr. *de Gloria Confessorum, Vitis Patrum & Historia Francorum.* Fortunatum *in Carminibus.* Surium *in Vitis SS.* Baronium & Spondanum in *annalibus.* Miræum in Fastis belgicis. Browerum *in Not. ad Fortunatum.* Hadrianum Valesium *in libris rerum Francic.* Sanmarth. Fratres *in Gall. Christ* Tom. I. f. 717. Cl. Cave P. I. p. 284. Oudin. l. c. p. 132. seqq. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. V. p. 73.

NICODEMVS.

Æthiops, suæque gentis monachorum Hierosolymis ad Sepulchrum Domini degentium Abbas anno 1440. clarus, scripsit *Epistolam* ad Eugenium P. R. qua obsequium, Romanæ sedi a se præstandum, prudenter declinavit. Extat illa lat. Concil. T. XIII. p. 1214. De eo H. Wharton in app. P. I. Cav. p. 81.

NICODEMVS.

Ex Pharisæo, Christi Discipulus, cujus mentio facta Joh. III. 1. 2. c. VII. 50. XIX. 39. claruit ab anno 34. Scripsisse fertur *Evangelium de Passione & Resurrectione Christi*, quod ex Ebræo in latinum sermonem translatum exhibent *Orthodoxogr.* p. 643. Antwerp. 1522. Lips. 1516. 4. Saxonice quoque in Bibl. S. Benedicti Cantuar. illud extare nos docent Welochus *not. ad Hist. Bedæ* p. 77. seq. & Cave P. I. p. 9. Fides, quam meretur hoc scriptum nulla est, spurium quippe non immerito existimandum, atque suppositititium. Conf. Jo. Albertus Fabricius Cod. N. T. apocrypho, Ittigius de *Sec. I. Script.* p. 19.

NICO-

NICOLAVS AVXIMANVS PICENS.

Italus Picenus O. min. ſodalis Bernardino Senenſi admodum familiaris, Vir pius atque pro Seculi ratione non indoctus, Vicarius Provinciæ S. Angeli Terræ S. Præfectus. circa ann. 1430. claruit. Scripſit *Summam Caſuum Conſcientiæ* Venet. 1484. impreſſam. *Supplementum ad Summam Piſanellam* Mediol. 1444. Venet. 1469. 4. *Interrogatorium Confeſſorum* Venet. 1489. 8. *Comment. in Regul. Fratr. minorum, Juris Canonici Epitomen, Sermonum Librum & Quadrageſimale* eidem tribuit Lucas Waddingus de Script. O. min. p. 263. quæ autem teſte Whartono l. c. p. 72. nondum excuſa ſunt.

NICOLAVS BARIANVS.

Italus Placentinus O. Erem. S. Auguſtini regularis obſervantiæ monachus, Theol. & Juris Pontificii Doctor. claruit anno 1494 In defenſionem ordinis ſui ſcripſit *Cauſam Vitalianam, & præcedentiam Eremitarum & minorum, Cremonæ* 1500. *Quadrageſimale quodlibeticum* LXXVII. *quæſtionum prædicabilium.* Bonon. 1501. 4. De *Montibus Pietatis* Lib. ad Georgium Cardinal. Albanenſem Cremonæ 1496. & ad calcem *Libri de Montibus pietatis Romanenſibus* Lipſiæ 1670. 4. Conf. H. Wharton l. c. p. 121. Cave P. II. p. 318.

NICOLAVS CABASILAS.

Græcus, Scriptor doctiſſimus, Rom. Eccleſiæ hoſtis acerrimus, Sacelli primum curator, tum Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis Sec. XIV. circa ann. 1350. floruit. Scripſit *Liturgiæ expoſitionem*, quæ græco lat. in auct. Patr. Pariſ. 1624. T. II. p. 200. Lat. Venet. 1545. Antw. 1560. *De Vita in Chriſto* Liber ex interpretatione Jac. Pontani Ingolſt. 1604. 4. *Oratio contra Foeneratores* ab eodem Pontano lat. facta ibidem græce vero Aug. Vindel. manca licet atque mutila, integra vero Samoſcii 1694. Hæc omnia Nicolai opuſcula habentur lat. Bibl. Patr. T. XXVI. *Encomium S. Theodoræ viduæ* gr. lat. apud Henſchenium d. April. V. Comment. in *Librum tertium magnæ Conſtructionis Ptolemæi.* Baſil. 1530. *Schemata quædam Aſtrologica, Obſervationes in viſionem IV. animalium Ezechielis, Lib. de Proceſſione SS. & alia* quam plurima exhibent H. Wharton l. c. p. 30. Leo Allatius *Diſſertatione de Nilis.* c. 14. Spizel. arc. Bibl. retect. p. 114. doctiſſimus Cave P. II. p. 280. qui eruditiſſime

me obſervat, quod in Bibl. Vindobon. *de Vita Chriſti Libri* VII. reperiantur manuſcripti, quorum ſex tantummodo priores ediderit Pontanus. Idem addit cauſam, cur doctiſſima Nicolai ſcripta in membranis deliteſcant, atque tenebris damnata ſint, quod latinorum placita multo acumine expugnaverit. De eo Anton. Poſſevinus *in app. S.* Aub. Miræus in auct. c. 439. p. 262. Phil. Labb. T. II. *Diſſ.* p. 114. Bellarminus, Mallinckrot, aliique complures.

NICOLAVS.

Arremarenſis primum Ord. Benedicti, poſt Claravallenſis Ord. Ciſterc. Monachus, S. Bernhardo a ſecretis Epiſtolis, præcipue circa annum 1152. clarus, ob peſſimam tamen verſationem in officio ſuo, in Italiam aufugit atque S. Bernhardi hoſtis acerrimus factus eſt. Scripſit *Volumen Epiſtolarum ad diverſos*, quod ſtudio Joh. Picardi in auct. Bibl. Veter. Patr. 1610. primum prodiit, dein T. XII. Bibl. Colon. P. I. f. 645. & alibi. Lib. *Sermonum Henrico Campaniæ Comiti* dicatus reperitur in Bibl. Ciſterc. T. III. p. 193. *Epiſtolas II.* primus extulit Baluzius. *Miſcell.* T. II. p. 234. Conf Labb. p. 116. T. II. Cave P. I. p. 469. Oudin. p. 435. ſeq. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 91.

NICOLAVS de CLEMANGIS.

Origine Gallus, in pago Clemange, ſito in Campania, ejusdemque Provincia, Catalaunia, natus. Præceptoribus uſus Petro Nongentino, Gerhardo Macheto & Joh. Gerſone. Inſignis proinde Theologus factus atque Orator eloquentiſſimus. In academia Pariſienſi ſcribendis Epiſtolis primum adhibitus, poſt Benedicto XIII. a ſecretis fuit. Poſt varias demum fortunæ viciſſitudines Theſaurarius apud Lingones, imò hoc abdicato officio, Cantor, nunquam vero Archidiaconus Bajocenſis Eccleſiæ factus eſt. Claruit anno 1416. Obiit circa ann. 1440. & ſepultus eſt in Sacello Navarrici Collegii ſub Lampade, quæ coram magno altari de tholo pendet. Ibidem hoc ejus Elogium:

Qui Lampas fuit Eccleſiæ ſub Lampade jacet.

Epitaphium quoque ibidem adjectum exhibet Oudinus p. 700.

Belga fui, Catalaunus eram, Clamengius ortu:
Hic humus oſſa tenet, ſpiritus aſtra petit.

Fuit Nicolaus Vir pius, Scriptor nitidissimus, Schismatum & vitiorum Ecclesiæ censor accerrimus. Opera ejus aliquot prodierunt Paris. 1521. & a Margarino Bignæo in prima Bibl. Patr. editione repræsentantur. Plurima vero ex antiquissimis editionibus atque Manuscriptis descripta, notisque illustrata & Glossario Latino-Barbaro aucta, elegantissima editione produxit Joh. Martinus Lydius, Veteraqu. Verbi Dei minister, Lugd. Bat. 1613. 4. Eorum seriem, quia rarum carumque volumen est, recensere non pigebit. Lib. *de corrupto Ecclesiæ statu* cum amplissimis Lydii notis. Inde hunc librum cum sequenti carmine seorsim recudi fecit Helmst. 1620. Joh. a Fuchten & ante illum Leonhardus Hutterus Witteb. 1609. qui etiam Nicolai defensionem adversus Gretserum suscepit edit. ibidem 1613. 4. *Deploratio calamitatis Ecclesiasticæ per Schisma nefandissimum, cum exhortatione Pontificum ad ejus extirpationem*, carmine heroico. De *Lapsu & reparatione Justitiæ*. seorsim. Viennæ 1481. 8. *Disputatio habita per Scriptum, super materia concilii generalis, cum quodam Scholastico Paris.* seorsim Viennæ 1482. 4. *De Annatis non solvendis*, quem tamen styli barbaries Nicolao abjudicare videtur, extat in Fasciculo rerum Expetend. Colon. 1553. f. 189. *De filio prodigo. de fructu eremi: De fructu rerum adversarum. de novis celebritatibus non instituendis. De Præsulibus Simoniacis. Oratio ad Galliarum Principes*, qua eos a bello civili dehortatur. *Epistola ad Gerhardum Machetum, quod tam corpore, quam mente e Babylone sit fugiendum.* Epist. III. *ad Gregor. XII. scriptæ nomine Bened. XIII. pro extirpatione Schismatis & unione Ecclesiæ. Scripta quædam nomine academiæ Parisiensis. Volumen Epist.* CXXXVII. cum notis Lydii. *Fragmentum Descriptionis Vitæ Tyrannicæ cum detestatione ac reprehensione*, carmine heroico. *De Anti Christo, ejus ortu, Vita, moribus & operibus*. Tantum. Post hæc Librum *de Studio Theologiæ* extulit Dacherius *Spicil. T. VII. Epistolas aliquot hactenus* ineditas idem T. VI. *Carmen de Vitæ rusticæ felicitate*, quære apud Camerarium Meditat. histor. T. III. Manuscripta alia Nicolai opuscula, *Comment. in Esaiæ capita LX. Sermones de Innocentibus: Epistolas IX.* & plura dabit Launojus *Hist. Gymnas. Navarr.* P. II. p. 578. H. Wharton. p. 64. Oudinus p. 698. Possev. appar. S. T. II. p. 146. quos consule. Miranda cæterum parrhesia, qua cordatus ille vir, in mediis desperati ævi turbis, circa Concilium Constantiense scilicet, cujus Patres carnales bestias vocare ausus, vid. Lydium. *Epist. Dedic.* & Nicolai Epist. 102. p. 290. seqq. calamum tam aperte contra βδελύγματα stringere non fuit veritus. Cæteroquin evolve

volve Cl. Colomesium *in Paralip. ad Script. Eccles.* pag. 705. inter Opera ejus a Fabricio edita.

NICOLAVS CVSANVS.

Sive de Cusa, a vico Natali, Dioecesis Trevirensis, ita dictus, pauperculi piscatoris filius, ex Canonicorum regularium, juxta Pennotum, Sodali, Monasterii Woltsbergensi Præposito, Archidiacono Leodiensi & Decano S. Florini, Brixinensis Episcopus atque Cardinalis. Vir fuit profundæ scientiæ, parum tamen sibi constans. Concilii enim Basileensis autoritatem fortiter primo propugnabat, postmodum vero ad Eugenii partes deficiens. Floruit ab anno 1448. ad 1464. quo obiit. Opera ejus, quæ Paris. 1514. Basil. 1565. T. III. fol. prodierunt, sunt sequentia. *De docta ignorantia* Lib. III. *Apologia ejusdem Tract. de Conjecturis*, quas seorsim explicatas germanice dedit Leonh. Krentzheim Goerlicii 1588. *De filiatione Dei; de Genesi: De Visione Dei: de pace Dei Dialogus: De dato Patris Luminum: De quærendo Deum: De Veneratione Sapientiæ: de Deo abscondito Dialogus. De annunciatione: de Catholica Concordantia Lib. III. De die Novissimo* & alia Cl. Whartono & Labbeo memorata, quæ, cum huc non faciant, sponte nostra prætermittimus. Quam libere compilationem antiquarum decretalium Pseudo Isidori perstrinxerit, ex ejus de *concordantia Catholica* Lib. 3. c. 2. D. Zieglerus ostendit, quem vide Prælim. ad Jus Canon. p. 51. Conf. Vossius de *Hist. Lat.* II. p. 563.

NICOLAVS DINCKELSPIEL.

Natione Svevus, Viennensis Rector anno 1420. clarus, qui anno 1431. Concilio Basileensi interfuit. Scripsit *Sermones X. de dilectione Dei & Proximi: de Præceptis Decalogi: de Oratione Dominica: de tribus partibus poenitentiæ: de VIII. Beatitudinibus: De VII. Peccatis mortalibus: Confessionale Peccatorum: De V. sensibus*, quæ singula prodierunt Argentinæ 1516. fol. Plura Manuscripta memorat Henr. Wharton *app. Cav.* p. 68. ut sunt, *Tract. de donis SS. gratitudine & Ingratitudine: de Communione Sacramentali*, quæ in Bibl. Augustana adservantur. Conf. Simler. *Biblioth. Tigur.* p. 518. Possevin. *app. S.* T. II. p. 147. Theoph. Spizel. *Arcan. Bibl. retect.* p. 246.

NICOLAVS DIONYSII.

Aliis *de Nysse*, natione Gallus, Ord. minor. Theologus celebris,

Conventus Rothomagensis Præpositus, Provinciæ Franciæ Vicarius & Minister Provincialis, anno 1501. clarus, Rothomagi anno 1509. obiit. Scripsit *Resolutionem Theologorum*. Venet. 1568. 1574. *Sermones plures* Basil. 1508. Brixiæ 1585. *Sermones æstivos & hyemales: de adventu duplices: de Quadragesima:* Rothomagi 1508. Argent. 1510. *Sermones de tempore a Dominica II. post Pascha ad Adventum*. Paris. 1510. *Speculum mortalium* Paris. 1518. Evolv. Henr. Wharton l. c. p. 133.

NICOLAVS EVBOICVS.

Episcopus Saguntinus, anno 1439. clarus græcæ & latinæ linguæ peritissimus, hinc Patrum in Concilio Ferrariensi & Florentino interpres omnium suffragiis cooptatus. Extant ejus *Orationes* in Concilio dictæ, inter *Acta Concil. Dissertatio Juliani Cardinalis, de Symbolo fidei*, ejusdemque additione, a Nicolao græce facta, visitur manuscripta in Bibl. Vindob. Lib. *de Origine & rebus gestis Turcorum* Basil. 1565. f. prodiit. *Epistolam* manuscriptam ad Andronicum Callistum, Philosophum, memorat Labbeus Bibl. manuscripta p. 101. Alia exhibet Cave P. II. p. 306.

NICOLAVS EVMERICVS.

Catalaunus Gerundensis, Ord. Præd. Inquisitor Generalis per totam regis Aragoniæ ditionem ab Innocentio VI. P. R. 1356. ordinatus. Post Capellanus & summus causarum Judex a Gregor. XI. constitutus est. Obiit Gerundæ 1399. Scripsit *Directorium Inquisitorum*, quod cum Comment. Fr. Pegnæ prodiit Venet. 1595. f. Romæ 1578. 1587. Barcinone antea excusum 1503. Plura Manuscripta vide apud Ambrosium de Altamura *Bibl. Præd.* p. 142. & Oudin. l. c. p. 667. seq. Conf. Wharton l. c. p. 32. Anton. Possevin *appar. S.* T. II. p. 149. Anton. Senens Lusitanum in *Bibl. Fratrum Prædicatorum*.

NICOLAVS.

Gallus, in Orcitanis natus, Carmelitarum VII. Prior generalis in Gallia, sub Gregorio X. anno 1271. floruit, Autor Libri, cui titulus: *Ignea Sagitta*, vid. Lydius ad Clemang. f. 23. b.

NICOLAVS DE GORRAM.

Patria cognomine, Provinciæ Hartfordiensis in Anglia oppido, natus, circa ann. 1400. floruit. Erat Ord. Prædic. suique ordinis in Gal-

Gallia Provincialis. Plura de eo disceptent alii, prout operose effecit Labbeus T. II p. 119. Scripsit *Comment. in IV. Evangel. excusa* Colon. 1537. *Comment. in Acta Apostolorum & omnes Pauli Epistolas*, Hagenoæ 1502. Paris. 1521. f. *Comment. in Epistolas Canonicas* sub Thomæ Wallensis nomine sæpius edita *Comment. in Apocalypsin. Sermones de Tempore & SS.* qui cum Comment. in Epist. Pauli prodierunt. Singula Gorrami Opera extulit Joh. Keerberg. Antwerp. 1617. & 1630. f. T. II. Manuscriptos Gorrami labores vide apud Baleum, Pitseum, Altamuram, Simlerum Bibl. Tigur. p. 519. De ipso quoque conferas H. Wharton. l. c. p. 49. Possevin. *app.* S. Aub. Miræum l. c. Oudinum l. c. p. 661. Bellarminum & alios.

NICOLAVS.

Grammaticus dictus, ex Monacho Patriarcha Constantinopol. anno 1089. juxta Baronium factus, Vir mediocriter doctus, juxta ejusdem Baronii calculum, anno 1117. obiit. Scripsit *Decretum Synodalia II. de Nuptiis patrui avunculive*, quæ extant Jure Græc. Rom. Lib. III. p. 215. a Leunclavio edito. *Decretum de Præstatione Canonicorum*, Lib. IV. p. 269. *Epist. Synodalis* p. 271. *Responsiones Synodicæ ad varias Quæstiones* inter Theodori Balsamonis Opera, Paris. 1620. p. 227. Sed in fine mutilæ, prout ex Lambecio erudite observat Cl. Cave P. II. p. 203. qui *Carmen ejus de Jejuniis & Festis totius anni* it. *Responsa Ecclesiastica* ad Joh. Monachum Sinaitam, & alia manuscripta ejus Opuscula, ex eodem Lambecio memorat. Conf. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 114.

NICOLAVS HANAPVS.

Gente Gallus, a patria cognomine, Diœcesis Rhemensis oppido, ita dictus, Ord. Dom. Monachus, Sedis Apostolicæ Pœnitentiarius, ob insignem pietatis & prudentiæ laudem, Patriarcha Hierosolymitanus a Martino P. R. & primus in Syria & Palæstina fidei Censor, a Nicolao III. P. R. renunciatus est. Floruit 1270. Obiit Ptolomaide anno 1288. Scripsit *Biblia pauperum* cap. 134. ex universa SS. decerpta, Bonaventuræ falsò adscripta, quæ primus edidit Michael Zinserus, Riedlingensis, Tubingæ 1533. post recusa Venet. 1537. Paris. 1547. 8. Basil. 1555. Dum hæc scribimus, reperimus inter Basileensis Bibl. Manuscript. Theol. a Spizelio arc. Bibl. p. 22. communicata, Nicolai de Hanapis, Patriarchæ Constantinop. *Applicationes*

totius Bibliæ ad quamlibet materiam, asservari. Et omnino conjicimus, easdem illas cum supra dicto *Exemplorum Libro* sive *Enchiridio*, a Zinsero luci publicæ datas. Conf. de Nicolao Cave P. I. p. 509. Aub. Miræus l. c. c. 448. p. 294. & qui illum adlegat, Oudinus, p. 556.

NICOLAVS HYDRVNTINVS.

a Patria dictus, anno 1201. clarus, Benedicti, Cardinalis, qui ab Innocentio III. P. R. ad restituendam inter latinam & græcam, Ecclesias, unionem, Constantinopolin missus fuerat, interpres fuit. Scripsit græce varios adversus Latinos Tractatus, utpote *de Processione SS. de Pane fermentato discipulis a Christo in cœna dato. De Jejunio Latinorum in Sabbato. Conjugio Sacerdotum*, & alia, quorum fragmenta exhibet L. Allatius de Consensu & libro adversus Hottingerum locis a Caveo P. I. p. 487. citatis.

NICOLAVS.

S. Lamberti Leodiensis Canonicus, floruit 1120. Scripsit *Gesta S. Lamberti, Pontificis & Martyris*. Vide illa T. I. *Gestorum Pontif. Tungr. Traj. & Leod.* Joh. Chapeavilli f. 371.

NICOLAVS DE LYRA.

Normanniæ, in Diœcesi Ebroicensi, oppido, quo prognatus fuit, ita dictus. Non enim Brabantinus fuit, quod Drusius, aliique ajunt, a Valer. Andr. *Biblioth. belgica.* citati p. 690. neque Anglus, quod Trithemius, Baleus, cum aliis adseruit, sed uti dictum Lyra, Normanniæ vico ortus sicut clare docet Epitaphium, ejusque inscriptio laminæ æreæ in cisa, Parisiis, ubi, postquam in magno conventu Fratrum suorum. Ord. minor per plurimos annos docuerat, anno 1340. d. 23. Octobr. vivendi finem fecit. Tale habet exordium,

Lyra brevis vicus Normanna in gente celebris
Prima mihi vitæ janua sorsque fuit.

Vide si libet, integrum relatum ab Henr. Willoto *Athenis. Francisc.* p. 283. ex parte vero ex Fr. Schweertii deliciis a Valerio Andrea l. c. qui etiam suppositititium aliquod Epitaphium, quo Brabantinus traditur Lyranus. addit atque rejicit, & Labbeus p. 120. Ex Judæo ad Christianam fidem conversus vulgo creditur. Verum nihil dicamus de silentio Abarbanelis, Pauli Burgensis, Lutheri, ipsiusque Lyrani, aliorumque complurium, neque memorabimus Franciſci Mise-

Misenensis, Theodori Bibliandri, Davidis Chytræi, Rolfinckii, Richardi Simonis & cæterorum, de ortu ejus Judaico dubitationes, hoc saltem inculcabimus, neminem ante Sixtum Senensem extitisse, qui ejus Judaismi fecerit mentionem. Imo hunc reticet Epitaphium & alia, quibus pro suus dimicat sententia Michael Henr. Reinharda in *Pentac. Conatuum Sacrorum* Lipsiæ 1709. 8. edit. p. 158. seqq. Scripsit Lyranus *Postillas perpetuas sive brevia Commentaria in Vniversa S. Biblia* Lib. LXXXV. quæ post alias editiones Basil. 1508. Lugd. 1529. VI. Volum. fol. emendatius, quam antea factum fuerat, anno 1590. Lugduni emiserunt Fr. Feurardentius, Joh. Dadræus, & Jacob de Cuillii. Cœterum quot modis hoc Lyræ opus modo impugnatum, modo propugnatum & expolitum sit, Calovius T. I. Bibl. Illustr. f. 9. edocuit. Et vel ex solo pretioso *Bibliorum Glossatorum Duacensium* Opere, anno 1617. edito & 1634. Antwerpiæ cura Leandr. Benedict. recuso, abunde constat. Præter namque Strabi Fuld. *Glossam Ordinariam*, novis Patrum græc. & lat. Scholiis auctam, nec non Anshelmi Laudunensis interlinearem, exhibentur isthoc Nicolai Lyrani *Commentationes* una cum additionibus P. Burgensis, qui anno 1430. censuras quasdam in Lyrannum scripsit, atque Matthæi Dœringi, Saxonis, replicis, quas 1440. pro Lyra adornasse traditur. Adde Joh. de la Haye *Biblia Maxima*, quibus in iterata equidem editione Paris. 1660. Nicolai de Lyra annotationes præfixit. *Postillæ majores sive Enarrationes in Epistolas & Evangelia Dominicalia.* Venet. 1516. 1588. 8. *Tract. de idoneo ministrante & suscipiente SS. Altaris Sacramentum*, qui cum Thomæ libello ejusdem argumenti prodiit. Disput. *contra perfidiam Judæorum*, Venet. 1483. Tract. *contra Judæum quendam* Lugd. 1529. *Contemplatio de Vita & gestis S. Francisci.* Antwerp. 1623. 4. *Tractatus de Differentia* nostræ translationis ab Hebr. litera in V. T. Rothomagi. *Præceptorium* verò Lutetiæ in ipsis Typographiæ primordiis prodiit. *Tract. de Animæ Claustro : De Visione Divinæ Essentiæ ab animabus separatis*, manuscriptos memorat CL. Cave P. II. p. 274. *Probatio adventus Christi per SS. a Judæis receptas*, Francof. 8. *Humilis Confessio* post peractum ejus opus Biblicum, quam vide apud Waddingum *Bibl. Minor.* p. 265. & Baluzium. *Not. ad Vit. P. P.* Aven. T. I. c. 808. Alia exhibent Bellarminus, Baleus, Waddingus, quos consulas. Hæc de Nicolao Lyrano qui *Doctoris plani & utilis* titulum olim obtinuit, teste Willoto l. c. cui etiam debitam non derogavit

gavit laudem B. Lutherus, vide loca a Thoma Pope-Blountio *Cens. Celebr. Aut.* p. 424. seqq. adducta, atque inde Pontificiorum convitia reprime.

NICOLAVS.

Methonensis Episcopus, Græcus atque Schismaticus, prout audit *Collect. Magn. Bibl. Patr. Colon. Ind. Chronol.* Exhibent illi, sicut & Bignæus, Tract. ejus *de S. Eucharistia*, ad eos, qui hæsitant, ajuntque consecratum panem & Vinum non esse corpus & sanguinem DN. nostri J. C. vid. T. VI. *Bibl. Patr. Paris edit. 2.* f. 1146. Illi, ni fallimur, ad Sec. XII. ejus ætatem collocant. Hic vero, Bignæum puta, *Indic. Chronol.* ad XIV. refert. CL. Cave ad annum 1190. probabiliter eum reponit. Scripsit quoque *Tract. III. de Processione SS.* quorum tamen vel tertium Juniori adjudicant alii. Alium Nicolai laborem super addit Oudinus p. 468. *Discussionem Theologicæ institutionis Procli, Platonici Philosophi, ne quis probabilitate deceptus a fide deficiat.* Qui Codex Manuscriptus in Bavarica Elect. Bibl. asservatur. Conf. de eo Ant. Possevin T. II. p. 152. *appar.* S. CL. Du Pin. l. c. p. 113.

NICOLAVS.

Eò, quod Secretioris Consilii apud Constantinop. Senator erat, juxta nonnullos dictus *Mysticus*, circa annum 892. clarus, quo Patriarcha Constantinop. factus est. A Leone, cujus quartum improbaverat matrimonium, anno 903. in exilium missus, ex quo tamen post Leonis mortem ab Alexandro revocatus, sedique restitutus est. Obiit anno 924. Extant *Epistolæ* II. *altera* ad Anastasium P. R. *altera* ad Joh. X. Concil. T. IX. p. 1264. *Decretum de Literis Patriarchalibus gratis concedendis* græc. lat. *Jure Græc. Rom.* L. IV. p. 249. *Epistola* ad Simeonem Bulgariæ Principem græc. lat. apud Baronium ad ann. 917. atque *aliæ* V. ad Armenorum, Saracenorum, Longobardorum, & Amalphitanorum principes & ad Episcopos extra communionem existentes, Lat. ibid. Hæc & alia tradit Cave P. I. p. 398.

NICOLAVS DE ORBELLIS.

Andegavensis, Ord. minor. Provinciæ Turonensis sodalis, Theol. & Philosophiæ Scholasticæ in Pictavensi Gymnasio professione nulli secundus, Scoti vindex acerrimus, claruit circa ann. 1455. testibus Trithe-

Trithemio, *Illustr. Script. Eccles.* f. 146. H. Willoto *Athen. Franc.* p. 274. & Simler. Epit. Gesn. f. 518 H. Whartono *app.* Cav. p 94. Oudino p. 716. Ibidem quoque ejus Scripta enarrata videas. E quibus huc spectat *Compendium super Sententiam P. Lombardi, secundum Doctrinam & elegantiora Joh. Scoti, Doctoris subtilis dicta, huc applicata concinnatum*, editumque Hagenoæ 1503. 4. Paris. 1511. 1517. 8. 1520. 8. *Sermones in omnes Epistolas Quadragesimales, Lugduni 1491.* Conf. Luc. Wadding. *in Bibl. Ord. min.* f. 268 Antonius Possev. *appar. S.* T. II. p. 153. Bosius *de Signis Ecclesiæ* L. VI. cap. 4. post alios.

NICOLAVS OREM.

Gente Gallus, patria Normannus. Theologus Parisiensis, Collegii Navarrici Majoris Magister, Caroli V. Galliæ Regis, cognomento Sapientis, Præceptor, ex Decano Episcopus Rothomagiensis, Scientiæ Theol. & profanæ in Schola Paris. sua ætate, Coryphæus, uti eum depingunt Sammarth T. II. *Gall. Christ.* f. 650. Ejus opera usus Carolus V. qui Gallicam S. Bibl. Versionem curavit. Cui & aliis cum incumberet rebus, Episcopatum Lexoviensem præmii loco accepit. Obiit circa ann. 1384. Scripsit Nicolaus Tract. *de Mutatione Monetæ*, qui in Bibl. Patr. editionibus passim extat. Tract. *de Sphæra*, gallicè Paris. 1546. *Politica atque Ethica Aristot.* & alia ab eo in Gallicum translata, Lutet. 1486. 1488. 1534. Et hic omnino est Nicolaus ille Orem, qui memorabilem admodum orationem anno 1364. in vigilia Festi Nativ. quæ fuit quarta Dominica adventus, Avenione, coram Urbano V. P. R. ejusque Cardinalibus, super dicto Esaiæ LVI. *Juxta est Salus mea* &c. habuit, illaque auditoribus suis, totique adeo Clero exitium de proximo imminens, contestatus, signa prædictionis ex illorum sceleribus ingenue & acriter indicavit. Primus eandem ex Vetusto Manuscripto codice produxit Flacius, & *Catalogo Testium Veritatis* inseruit. Post illum & alios Salomon Gesnerus, cum alia quadam Luciferi ad P. R. ex antiquitate profecta Epistola, a Flacio 1549. Magdeburgi primo edita, & Oremio quoque in veteri Codice adscripta, Wittebergæ recudi fecit lat. 1604. & mox Germanice 1605. Quædam ex illa sistit Lydius ad Clemang. p. 27. a.

NICOLAVS PLONIUS.

Aliis *Blonius*, Polonus, Doctor Decretorum, Capellanus & Epi-

Episcopus Posnonienſis, anno 1434. clarus, *cujus Sermones de Tempore & de SS.* impreſſi, Argentinæ 1495. conſcripti ab eo anno 1438. uti videtur capi ex Sermone 113. circa 1. membri medium. Tract. *Sacerdotales de Sacramentis & divinis officiis.* Paris 1514. 4. *De Excommunicationibus: de Horis Canonicis dicendis: de Interdicto Eccleſiaſtico: de Irregularitate: de Sacramentis & eorum adminiſtratione: de Sacrificio Miſſæ.* Hi VI. Tract. excuſi ſunt Argent. 1593. & in *Tract. Tract.* Juris, Venet. 1584. T. XIV. ſeq. *Opus de Sacramentis & Cenſuris Eccleſ.* Paris. 1551. 8. Lugd. 1565. Paris. 1586.

NICOLAVS I. P. R.

Hujus nominis, patria Romanus, cognomento Magnus, præfuit Sedi ab anno 858. ad 867. calculo Labbei p. 122. & Cavei P. I. p. 387. qui plura de eo retulerunt. Photium odio habuit Nicolaus, eumque excommunicavit. Scripſit *Epiſtolas* complures, quæ in Concil. Tomis hinc inde repræſentantur. Seorſim vero prodierunt Romæ 1542. fol. Si cuipiam vacat, aut volupe eſt, legat, quæ de ejus autoritate Monarchica, Tyrannide, variisque pro augenda ſedis Romanæ potentia conatibus, graviſſime diſſeruit Zieglerus *Prælim. Jur. Canon.* p. 17. Conf. Dieterici *Brev. Pontif.* p. 157. ſeqq. & quid de Scriptis ejus obſervet Cl. Du Pin. T. VII. p. 81. 84. 85. & 179.

NICOLAVS II. P. R.

Gerardus antea appellatus, Burgundus, ex Epiſcopo Florentino, Pontifex conſecratus, anno 1059. Berengarium ad Palinodiam redegit atq; Conſtitutionem adverſus Conjugium & concubinatum Clericorum edidit. Obiit Florentiæ 1061. Habentur *Epiſtolæ* VIII. Concil. T. IX. p. 1091. de eo Cave P. I. p. 428. Du Pin. T. VIII. p. 27. ſeqq.

NICOLAVS IV. P. R.

Hieronymus antea dictus, Patria Picenus, domo Asculinus, Monachus Franc., poſt Epiſcopus Prænestinus & S. Sabinæ Presbyter Cardinalis. Anno demum 1288. Pontifex Rom. coronatus eſt. Fidem Chriſtianorum inter barbaros promovere allaboravit. Obiit Romæ 1292. Epitaphium, ejus inconcinno carmine ſcriptum, exhibet Wadding. ad ann. 1292. qui nobiliorem infimul inſcriptionem eodem adduxit loco. Scripſit *Conſtitutionem pro Benedictinis* Paris 1519. 8.

Epiſto-

Epistolas quam plurimas, quarum aliquot Bzovius & Waddingus, locis a Caveo adductis p. I. p. 517. fistunt. *Comment. in aliquot Libros SS. in Magistrum Sententiarum L. b. IV. Sermones de Tempore: Constitutiones Ecclesiast. adversus hæreticos*, & alia, exhibet Manuscripta, Lud. Jacob. a S. Carolo *Bibl. Pontif.* p. 165.

NICOLAVS V. P. R.

Thomas Sarzanus antea dictus, patria Genuensis, vel juxta Platinam, Lucensis, Vir magni ingenii, multæque eruditionis, ab Eugenio in Germaniam missus, ut Schisma comperet. Hinc expeditionis satis prosperæ mercedem, Cardinalitiam dignitatem & Episcopatum Bononiensem tulit. Post 1449. Eugenio in Sede Romana successit. Felicem Antipapam, Friderici Imper. ope a Sede depulit. Obiit ann. 1455. Vir litteratissimus, primusque litterarum in Italia restaurator atque Patronus maximus. Extant *Epistolæ VI.* & *Avisamenta Oratoribus suis data, pro extinguendo Schismate.* Concil. T. XIII. p. 1321. *aliæ plures Epist.* apud Bzovium ad ann. 1447. Waddingus *in annal. min. T. V.* & alibi. Evolv. H. Wharton. l. c. p. 88.

NICOLAVS DE SCHONBERG.

Theodorici filius, Cardinalis, natus in Suevis Misnensibus, sicut loquitur Epitaphii inscriptio, Romæ, ubi anno 1537. Obiit, in Templo Minervæ posita. Vid. Schneideri *Chronicon Lipsi.* l. I. p. 8. ubi ejus Epitaphium extat & Mallinkrot *de Archi Cancell. S. R. J.* p. 159. Vitam illius descripsit plenius, qui Cardinalium omnium vitas & res gestas T. V. prosequutus fuit, Antonius Auberius. Fuit autem Schonbergius ab Italis, *Nicolaus de Alemannia*, nuncupatus, Prædicatorum Ordinis Theologus, inde Archi-Episc. Capuanus, tandemque Cardinalis Presbyter Titulo S. Christi creatus, vir omnino, gente Zeloque illustris, Coram Julio II. P. R. totoque Cardinalium cœtu *Orationes V. de admiranda Christi cum Diabolo in deserto pugna* solenniter, summaque cum laude, habuisse fertur, quas Joh. de Sleiniz, Canon. Misnensis dicti, Nicolai Consobrinus, Lipsiæ anno 1511. typis exscribi curavit. Recusas edidit Adamus Rechenbergius Lipsi. 1684. Porro, cum jussu Pauli III. P. R. qui unacum LXX. aliis Schonbergium purpuræ honore donarat, novem Cardinales & Episcopi ad deliberationem Reformationis Ecclesiæ Rom. cum in doctrina, tum in moribus,

singulariter delecti essent, *libroque peculiari morbos ac nævos Ecclesiæ* dictæ conscripsissent, hunc verò plurimi suppressum maluissent, Nicolai Schonbergii tamen opera & nisu ille emanavit, seorsim editus sub hoc titulo: *Consilium delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia.* Vid. Thummius *de Reform. Luth.* f. 130. Dieter. *Brev. Pontif.* p. 380. & huic cit. Vergerius P. Venet. Conf. Wolffg. Mayer *de Vulneribus Eccles. Rom.* edit. Basil. p. 89. Et hunc librum de cunctis Sacerdotum vitiis & morbis, vidisse se, magnamque spem melioris Eccles. rerum conditionis inde hausisse, fatetur aperte, Joh. Genesius Sepulveda, Cordubensis, *Lib. de Correctione ann.* Venetiis editi 1546. Epist. dedicat ad Cardin. Casparum Contarenum, qui non tantum interfuerat dictæ deliberationi, sed Libellum cum aliis collegerat, suaque subscriptione, primo loco facta, eundem munierat. vid. Genesium atque Dietericum l. c.

NICOLAVS SIMONIS.

Batavus Harlemensis, Ord. Carmelitani in Cœnobio Harlem. Monachus, post in inferiori Germania Provincialis, atque Theologus suo tempore maximus, floruit ab anno 1495. ad ann. 1511. quo Harlemi obiit. Scripsit *Sermones de Tempore & SS. Repetitiones & Disput. Venet.* 1497. Unica harum seorsim prodierat Venet. 1487. *Comment. in Librum II. Decretalium Mediol.* 1505. 1510. *De Potestate Papæ, Imperatoris & Concilii Lib IV.* cum præced. opere prodierunt. Alia quam plurima ejus Opuscula, hactenus inedita, exhibent Simlerus *Bibl. Tigur.* p. 525. Fr. Sweertius *Ath. Belg.* p. 582. Antonius Alegrius *Paradiso Carmelit. Decor.* Sec. XVI. c. 350. Adde H. Wharton. p. 125. Voss. de *Hist. Lat.*. Lib. III. p. 639.

NICOLAVS.

Svessionensis Monachus, anno 1120. clarus, scripsit ad Rohardum, Svessionensis Ecclesiæ Decanum, *Vitam S. Godefridi, Ambranensis Episcopi*, qui anno 118. obiit. Extat illa apud Surium T. VI. d. VIII. Novembr. De eo Du Pin. T. IX. p. 196. & Vossius de H. L. L. II. p. 402.

NICOLAVS TRIVETHUS.

Anglus Norfolciensis, S. Theol. D. Ord. Domin. ejusque Conventus Londin. Prior, floruit anno 1310. Obiit 1328. Scripta & laudes ejus

ejus extollunt Baleus, Pitseus, Altamura, Wharton, Oudin, Possevinus, Trithemius, Bellarminus, Aub. Miræus, Labbeus aliique innumeri. Vix unicum tamen atque alterum inter est in lucem publicam editum, scilicet *Comment. super August. de Civitate Dei*, Basileæ una cum Comment. Thomæ Valois in idem de Civitate Dei opus. anno 1479. Tholosæ 1488. Venet. 1489. *Chronicon Angliæ*, ab anno 1135. ad 1307. quod Lucas Dacherius extulit, *Spicil.* T. VIII. reliqua ejus opuscula Manuscript. videas apud autores modo citatos. Adde Sandium *in not. ad Vossium* n. 199.

NICOLAVS TVDESCHVS.

Siculus Catanensis, O. B Monachus, & S. Agathæ abbas, deinde Archi-Episcopus Panormitanus, Canonici Juris ea ætate princeps, Lucerna Juris vulgo dictus. Fr. Zabarella & Antonio Butrio, Præceptoribus usus. Magnam in Concilio Basileensi sibi famam paravit, atque Cardinalitiam dignitatem, virtutis præmium, a Felice V. accepit. Claruit ab anno 1428. ad an. circiter 1443. quo fertur peste correptus obiisse. Scripsit *Comment. in V. Lib. decretalium*, Venet. 1492. Lugd. 1586. ibid. 1524. excusa. *Comment. in Clementinas. Consilia 117. Quæst. subtilissimas quæ cum Consiliis Lugd.* 1584. 1586. prodierunt. *Repetitionem in caput*, per tuas, *de Arbitris. Practica: Thesaurum singularium in Jure Canon. Decisionum: Tract. de superioritate Concilii supra Papam*, qui omnino Nicolao debetur. Hæc omnia prodierunt Lugduni 1547 f. Vol. V. Venet. 1592. f. T. VIII. ibid. 1617. f. T. IX. Consule Cl. Wharton. l. c. p. 71.

NICON.

Armenus circa an. 691. clarus, puer adhuc institutum monasticum diligenter excoluit. Mortuus post varias peragrationes an. 998. Res ejus gestas consignavit abbas quidam, quas in latinum transtulit Jacobus Sirmondus. Plurima ex illis transcripsit Baronius, quem consule. Scripsit Nicon *de Impia pessimorum Armenorum Religione* Tract. quem mutilum antea editum, ex codice integro gr. & lat. vulgavit, Jo. Cotelerius *not. ad Patr. Apost.* p. 152. Plura suppeditabit erudite observata, Cl. Cave P. II. p. 186.

NIERSES.

Ghelajensis Armenus, Patriarcha Armeniæ anno 1166. factus, Vir

pacis concordiæque ſtudioſiſſimus. Cum Manuele, Græcorum Imperatore litterarum habuit commercium Nierſes, qui de quibusdam non ſatis caute dictis admonitus, mentem mutavit, concordiamque inter græcos & Armenos, quovis promovere modo allaboravit. Præmatura tamen morte abreptus, ſuccubuit 1173. *Colloquium ejus cum Theoriano, Manuelis Legato*, de utraque Chriſti natura, extat gr. lat. excuſum a Joh. Leunclav. Baſil. 1578. 8. recuſum in auct. Duceano Pariſ. 1624. T. I. p. 439. Hunc Dialogum tranſtulit in linguam Armenam & cum Leunclav. Verſione vulgavit, Galanus, *Conciliat. Eccleſ. Arm.* P. I. a. p. 242. ad 322. *Epiſtolaris fidei Profeſſio ad Manuelem, Imper.* ex qua plura producit Galanus P. II. T. I. Qu. I. Sect. V. p. 136. *Liber Canticorum* Venetiis prodiit, quo utuntur adhuc Armeni. *Carmen Elegiacum*, quo Patriæ calamitates deplorat, cujus amplum ſpecimen armenice & lat. exhibet idem Galanus, P. I. c. 10. p. 94. Loquitur de Nierſe Guil. Cave P. II. p. 228.

NIERSES.

Armenus Lampronenſis, Oſciuni Armeniæ Principis filius, Epiſcopus, gente & pietate clarus, floruit anno 1175. Ob miram atque eximiam pietatem in Sanctorũ numerum relatus eſt. Inter fuit Concilio Tarſenſi anno 1177. ubi præclaram *de Eccleſiæ Concordia orationem* habuit, quæ magnam partem Armen. & lat. apud Galanum l. c. P. I. c. 22. p. 326 extat. Vertit e græco in Armenum *Hiſtoriam Gregorii M. Dialogum* nempe, *de Vitis Patrum, & Regulam S. Benedicti.* Scripſit *Expoſitionem fidei*, ex qua quædam adducit Galanus P. II. T. I. Qu. III. §. 1. p. 101. Librum *de Traditionibus Patrum*, ex quo nonnulla profert idem Galanus T. II. Qu. 3. §. 7. p. 70. Qu. 9. §. 2. p. 198. Alia quoque opuscula exaravit Nierſes, quibus teſte Caveo l. c. p. 229. Synodi Chalcedonenſis fidem viriliter propugnavit.

ERNOLDVS NIGELLVS.

Abbas, ſub Ludovico Imper. anno 834. clarus, a quo in exilium miſſus eſt. Vt autem ex eo revocaretur, ſcripſit *Lib. IV. de Geſtis Ludov. Imp.* carmine elegiaco, eoque ex ſententia Cl. Cavei P. II. p. 159. non plane in eleganti, qui in Bibl. Vindob. adſervantur. Prooemium, Principium & finem exhibuit Lambecius, *Comment.* Lib. II. c. 5. n. 25. p. 359. ſeq. 427. ſeq.

NIGEL-

NIGELLVS DE WIRECKER.

Anglus, Eccleſiæ Cantuarienſis Præcentor & Monachus Ord. Bened. an. 1200. clarus, quem a multa lectione & acri judicio commendat Baleus *Cent. III.* c. 50. p. 645. Scripta ejus adhuc inedita memorant Baleus, & Pitſeus. Illud vero, quod Coloniæ 1499. 4. prodiit, *Brunellum*, ſive *Speculum ſtultorum*, carminice exaratum, inſcribitur. In hoc Cleri Papæi abuſus & ſcelera vehementer taxat, unde Teſtibus Veritatis annumerari meruit Flacio, Wolffio & aliis. Recuſum illud *Speculum* Francof. 1602. & Wolferbyti 1662. 8. quæ tamen editio ſubſtituit pro Nigello, *Vigellum*. De antiquioribus editionibus Jac. Thomaſ. *peculiari Diſſert. de hoc Nigello*, Lipſiæ habita §. 13. & §. 61. Vid. poſt Baleum, Pitſeum, Flacium, Hallervordium *Bibl. Curioſ.* p. 292. Henr. Oræum *Nomenclat. eccl. Doct.* p. 106. Lydii *Analect.* ad Clemang. f. 9. b. f. 25. a. Cl. Joh. Albert. Fabricium Bibl. Lat. Lib. I. p. 277.

NILVS CABASILAS.

Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis, magnus latinorum hoſtis anno 1340. clarus, ſcripſit Lib. II. quorum alter *de cauſis diviſionum in Eccleſia*, alter *de Primatu Papæ* gr. prodierunt, Londini. 4. gr. lat. Baſil. 1544, 4. Francofurti 1555. 8. cum notis Salmaſii Hanov. 1608. 8. itemque cum Salmaſio, de Primatu Papæ, Lugd. Batav. 1645. 8. Scripſit Nilus quam plurima, Leoni Allatio *Diſſ. de Nilis* c. 14. p. 49. & Cl. Caveo P. II. p. 277. memorata, quæ inter Lib. XLIX. *de Proceſſione SS. adverſus latinos*, quibus tantam apud ſuos exiſtimationem obtinuit, ut in Synodo Conſtantinopolitana, cum Patres græci, quibus modis contra latinos diſputandum, deliberarent, Cabaſilæ opera diligentius uſurpanda eſſe, decreverint.

NILVS.

Monachus Conſtantinopolitanus, poſt Macarii Mortem anno 1378. Patriarcha factus, anno 1386. obiit. Scripſit *Orationem Supplicem ad Deum contra Barbarorum incurſionem, bellum inteſtinum, famam, peſtem & mortem ſubitam*, quam in lat. vertit Jo. Sambucus & edidit Patav. 1555. 4. gr. extat manuſcripta in Bibl. Vindob. teſte Caveo P. II. p. 287.

NILVS

NILVS DAMYLA.

Italus, Hieromonachus Cretensis, anno 1400. clarus, latinorum hostis acerrimus, composuit Opus *de ordine in Trinitate & de Processione SS.* quod manuscriptum in Vaticana Bibl. habetur. Fragm. ejus adducit L. Allatius, idque gr. lat. Lib. *adversus Hottinger.* c. 19. p. 441. *Collectanea* ad Maximum, Monachum, ex *Scriptura de Processione SS.* Tract. II. *de Damaso Papa & fide antiquæ Romæ: de Synodis duabus Photianis*, quorum fragmenta locis a Caveo adductis exhibet idem, Leo Allatius, quem consule.

NILVS DOXOPATRA.

Ecclesiæ græcæ Archimandrita, anno 1043. floruit, atque scripsit, rogatus per litteras a Rogerio, Siciliæ Rege, Tract. *de Majorum Patriarcharum Sedibus*, ex quo ampliſſima produxit fragmenta Leo Allat. de *Concord. Eccles. Orient. & Occid.* L. I. Integrum vero librum gr. lat. excudi fecit Stephanus Moynius *Varior. Sacr.* T. I. p. 211. De eo Cave p. I. p. 422. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 111.

NILVS.

Metropolita Rodius, Latinis infensiſſimus, Gregorii Palamæ Sectarius, circa annum, ut conjicit Cl. Wharton app. Cav. p. 33. 1360. vixit. Scripsit *enarrationem Synopticam de SS. & Oecumenicis Synodis IX. quæ* extat ad calcem *Nomocanonis Photiani* a Juſtello, Patre, editi Paris. 1615. 4. & a filio, *in Bibl. Juris Canon.* ibid. 1661. f. T. II. p. 1155. *Orationem in S. Matronam* gr. lat. Leo Allatius vulgavit.

NILVS.

Patria Constantinopolitanus, nobili genere satus. Constantinop. primo præfectus, dein Monachus & Presbyter, S. Joh. Chrysostomi discipulus, circa annum 440. floruit. Multa scripsit Opuscula, quæ maximam partem collegit, atque gr. lat. edidit, Josephus Maria Suaresius, Romæ 1673. Hæc ordine repræsentat Cave p. I. p. 241. seq. & alii Hoc saltem addimus, quod *Præceptiones Sententiosæ* seu *Capita Paranetica*, seorsim quoque prodierint, Lugd. Bat. apud Fr. Raphelengium, 1590. *Sententiæ vero Morales* e græco in lat. versæ, juxta tenorem Codicis pervetusti e Græcia elapsi, editæque Argentorati, ex ædibus Schurerianis, a Bi-

a Bilibaldo Pircheimero, Norinbergensi, interprete, hoc quidem elogio præfixo:

His paucis redolet, quicquid cecinere Prophetæ,
Et Lex, & quicquid Sacra Sophia docet.

Sed hæ sententiæ, ab illis Paræneticis a Neandro, Grynæo, & aliis, editis, ordine non nunquam haud leviter, numeroque differunt. *Epistolæ* Nili num. 355. gr. lat. a Possino editæ Paris. 1657. 4. auctiores recusæ sunt, cura Leonis Allatii, Romæ 1668. f. quibus Dissert. de Nilo affixit. *Sermones* autem, quorum fragmenta exhibet Photius Cod. 276. dubio procul interierunt. Epistolæ complures, a prioribus diversæ, memorantur in Actione IV. Synodi VII. ubi fragmenta reperies. *Liber adversus Gentiles*, Nicephoro Hist. Eccl. L. 14. c. 54. memoratus non extat. *Tetrasticha ejus Paræneticæ, versibus heroicis & elegiacis*, cum Anonymi Scholiis habentur in Bibl. Vindob. & alia ejus opuscula manuscripta, quorum cum impressis Nili Laboribus collationem necessariam commendat doct. Cave P. II. p. 86. Confer. si placet Cl. Du Pin. Bibl. Nouv. T. IV. p. 26. seqq. Vossium L. II. de Histor. Gr. p. 259.

NITHARDVS.

S. Angilberti, Palatini Regis Pipini, Abbatis S. Richarii & Berthæ Caroli M. filiæ, ex Hildegarde natæ, filius, relicto Seculo, vitæque genere militari, præfectus fuit abbas Monasterii S. Richardi in Centulâ, juxta Sanmarth. T. IV. Gall. Christ. f. 786. Claruit 843. Obiisse fertur 853. Scripsit *Lib. IV. de dissidiis Lotharii, Ludovicii, & Caroli fratrum, Ludovici Pii filiorum*, editos a Pithoeo anno 1588. 8. Paris. inter *Script. coætan.* Francof. 1594. 8. p. 433. *inter Script. Francicos.* ab Andr. Duchesnio T. II. p. 259. & in Collectione Script. rer. Germ. Jo. Schilteri Argentor. 1702. f. Plura de eo dabit Vossius Lib. II. Hist. Lat. c. 34. & Cl. Cave P. I. p. 376. quos conferas.

NONNVS.

Ægyptius Panopolitanus, quem Sixt. Senensis inter Græcos Christianos Poetas Principem numerat, floruit circa ann. 410. Extat ejus *Paraphrasis S. Joh. Evangel.* quam varii interpretes ediderunt. Prodiit gr. Romæ 1508. Francof. 1541. gr. lat. Paris. 1578. 8. Heidelb. 1596. cum notis Nansii Lugd. Bat. 1598. 8. Paris. 1623. gr. a Dan. Heinsio ibid. 1627. 8. gr. lat. in app. Bignean. Paris. 1624. f. *Collectio Historiarum* gr.

prodiit, Etonæ 1610. 4. cura Richardi Montacutii. Lat. edit. illam Jac. Billius, inter opera Nazianz. Paris. 1583. & 1609. T. II. Διονυσιακῶν *Lib.* 48. ab eo adhuc gentili conscripti, prodierunt cum lectionibus Falckenburgi & Canteri gr. Antwerp. 1569. 4, gr. lat. Hanov. 1605. 8. inter *Poetas Heroicos græcos* Genev. 1606. f. P. II. p. 307. cum notis Scaligeri & Cunæi Hanov. 1610. Hæc & alia de Nonno exhibet Cave P. I. p. 213. Stylus Nonni in quibusdam obscurus videtur Borrichio *Diss. academ. de Poetis* p. 18. qui plura quoque profana, quæ gentilissimum sapiunt, non raro observat. de Nonno agunt Possevin *app. S.* & *Bibl. Select.* Aub. Miræus. *auct.* Oudinus & ex antiquis, Suidas *in Lex.* aliique. Conf. Du Pin. l. c. p. 77.

NORBERTVS.

Natus est Xanthis Cliviæ oppido, Heriberti & Hadewigis filius, ex aula Friderici, Archi Episcopi Colonienſis, in Imperatoriam accitus, e qua in monasterium Sigebergense transiit. Hic, postquam a Gelasio P. R. prædicandi facultatem obtinuisset, Ordinem Præmonstratensium condidit. Post anno 1127. Archi Episcopus Magdeburgensis consecratus, Concilio Remensi anno 1131. celebrato, interfuit. Obiit anno 1134. Magdeburgi. ætat. fere 52. Cæterum corporis Norberti in Bohemiam translationem anno 1626. factam, atque in Narratione Pragensi falso adsertam, adversus fratres Strahovienses *peculiari Disquisitione* scrutatus est Cl. Barthol. Christ. Richardus, Bibl. Jenensis, Fautor noster æstumatissimus, quæ Jenæ 1709. 4 prodiit. Quod super est, Jo. Launoyus Parisiis 1658. edidit *Inquisitionem in Privilegia Ord. Præmonstr.* cui *Responsionem* opposuit Norbertus Callieu. ibid. 1661. Conf. & Cornelius Polycarpus de Hertoghe *Relig. Can. Ord. Præmonstr.* p. 288. seqq. Scripsit Norbertus *Sermonem exhortatorium ad fratres*, quem habes *Bibl. Patr.* T. XXI. p. 118. Ei quoque *tres libri Visionum* tribuuntur ut & *diversæ Homiliæ*. De eo præter cit. autores Aubertus Miræus in *Chronico Præmonstratensi a p. 14 - 91.* Huc facit *Dissertatio Epistolica* carissimi fratris, Jo. Christophori Olearii, ad Cl. Krausium Hallensem, *de Numis Norberti bracteatis*, Arnstadii anno 1704. 4. excusa. Compendium *Vitæ & Instituti S. Norberti* Guid. Bentivolo, Cardinalis Romæ 1632. 8. imprimi curavit, ut testatur Leo Allatius, *Apibus Vrbanis.* p. 76.

NOTKERVS.

Qui Sigeberto *Rogerus* scribitur, Germanus, Sueviæ Ducis filius,

lius, Episcopus Leodiensis anno 971. ordinatus, anno 1007. e vivis decessit. Scripsit *Historiam Episcoporum Leodicensium*, quam cum aliis vulgavit Joh. Chapeaville Leodii 1612. *Vit. S. Landealdi, Ecclesiæ Romanæ Presbyteri*, apud Surium d. XIX. Mart. *Vit. S. Remacli Episcopi Trajectensis, ad VVeinfridum abbatem.* ibid. d. III sept. *de miraculis S. Remacli* Lib. II. ibid. qui tamen ad seniorem quendam Notkerum pertinent. *Vit. S. Hadalini*, apud Bollandum Febr. III. T. I. & Mabillon *Sec. Bened.* II. p. 1013.

NOTKERVS BALBVLVS.

S. Galli Monachus & Presbyter, qui à Trithemio, Sanmarthanis, Miræo & aliis male cum Leodiensi confunditur, atque teste Cl. Caveo P. I. p. 411. Sec. IX. floruit, Scripsit *Martyrologium*, quod vide apud Canisium T. VI. *Lect. antiq.* f. 759. *Hymnos* etiam Notkeri hujus, Sequentiarum autoris, aliquot cum aliorum non paucis T. V. P. II. f. 725. idem exhibuit, & inter illos memorabilem quandam *Dilucidationem*, amico Lantberto a Notkero scriptam f. 739. qua explicare conatus fuit, pro insigni, quam in Musicis habuisse visus fuit, peritia, *Literas Alphabeti integri*, *Antiphonis tunc superscriptas*, a Romano quodam Musico, qui Petrus dictus, ab Adriano P. R. ad instantiam Caroli M. misso, ut Galliarum Ecclesias atque monachos in cantu aberrantes, ad primævum modum Gregorianum reduceret, sicut refert Eckehardus, in *Vita Notkeri* c. 8. 9. apud Goldast. T. I. *Rerum Alemann.* f. 227. & Canis. T. VI. l. c. f. 933. Conf. quæ de diversis Dissonantiarum Gall. reformationibus sive emendationibus disseruit Calvisius, Lib. de Initio & Progressu Musicæ. Carol. du Fresne *Glossar.* T. I. f. 1. *Vitam quoque Caroli M.* a Notkero Sangallensi scriptam, allegat, atque inde aliquem de *Organis Musicis* locum adducit Barthius, ad Claud. Poet. f. 179. b. Cæterum observes, varios fuisse Notkeros, de quibus, cum eorum non extent scripta, hic non disserimus, sed potius ad Jodoci Mentzleri Epist. ad Goldastum, quæ inter Goldasti Epistolas, numero X. extat, Lectorem cupidum, remittimus. Pariter quoque Cl. Caveum commendamus, qui Metzlerum in compendio exhibuit. T. II. p. 187.

NOVATIANVS.

Stoicæ Sectæ Philosophus, post Christianus, Presbyter ac per varias artes Episcopus Rom. factus, circa an. 251. vixit. Vivis eum coloribus

ribus depingit Cyprianus *Epist.* 67. ad Cornelium: *In perniciem fratrum lingva sua perstrepit, & facundiæ venenatæ jacula contorquet, magis durus Philosophiæ secularis pravitate, quam Philosophiæ Dominicæ lenitate pacificus, desertor Ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector pœnitentiæ, Doctor superbiæ, veritatis corruptor, perditor Charitatis.* Ejus est error de lapsorum pœnitentia, nunquam in Ecclesia toleranda. Scripsit Novatianus *Epistolam ad Cyprianum*, quæ inter Cyprian. num. 30. habetur. *Lib. de Trinitate & Epistola de Cibis Judaicis* inter Tertulliani, cui adscribebantur olim, Opera. *Lib. de Paschate: de Sabbatho: de Sacerdote: de Oratione: de Animalibus mundis & immundis: de Instantia: de Attalo: de Circumcisione &* alia deperierunt. Extat inter Hieronymi Opera T. IV. *Lib. de Vera circumcisione*, cujacis autem sit ille, an Hieronymi, an Novatiani, nos plane fugit. Conf. Cl. Cav. P. I. p. 66. Arnold. *Hæresiol.* & Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. I. p. 181. Hieronymus in Catalogo.

NOVATVS.

Non ille quidem famosus hæreticus, qui anno 254. virus suum spargere cœpit, sed Monachus quidam Catholicus, quem Seculo IV. vixisse tradit Margar. Bignæus, ejusque *homiliam de humilitate & Obedientia atque calcanda superbia* edidit, T. II. Bibl. Patr. Paris. 2. f. 446.

O.

ODDO.

S. Remigii apud Rhemos abbas anno, 1135. clarens. Anno 1136. ex Italia redux construendæ Montis Dei Carthusiæ fundamentum dedit. Scripsit Epist. *De miraculo quodam S. Thomæ Apostoli*, quam habet Mabillon *Analect.* T. I. p. 334. Conf. Cl. Du Pin. T. IX. *Bibl. Nouv.* p. 196.

ODILBERTVS.

Sive *Odelbertus*, cognomento *Crassus*, Mediolanensis Archi-Episcopus ann. 804. creatus, Bernhardum, in Italia Regem, coronavit, obiit 814. Jubente Carolo M. anno 811. scripsit Librum *de Sacramento Baptismi & ejus Ceremoniis.* Hic manuscriptus extat in Bibl. Augiensi, & specimen ejusdem cum Epistola Caroli M. apud Mabillon *Analect.* T. IV. p. 317. De eo Ferd. Ughellus *Ital. S.* T. IV. p. 106. *Capitula-*

pitularia Regum Francorum Steph. Baluz. Cave P. II. p. 158. Du Pin. T. VII. p. 158.

ODILO.

De Mercorio, vetusta in Arvernis prosapia genitus, ordinatus anno 994. Abbas Cluniacensis, S. Majolo, Præceptori defuncto, suffectus, sicut etiam docent versus, de quinque memorandis Abbatibus Cluniacensibus, quos è Chronico Alberici produxerunt Sanmarth. T. IV. f. 277.

Ordine *Berno* prius, stat honore beatior *Odo*,
Surgit ab his Sanctus *Majolus* fama Virorum,
Igneus ardentem vix cohibens animum.
Post fuit Arverius *Odilo* missus ab oris,
Mitior ingenio, quam ferus imperio.
Primus *Hugo* venis discretis usus Habenis,
Ordine posterior, utilitate prior.

Primus festi omnium animarum autor, Odilo traditur, juxta P. *Damianum*, in ejus Vita. Conf. autorem *Apiarii Rom. Phil. Marnixium Sanctaldegondium* p. 2. c. 8. Propter Virtutes, insignem comprimis erga Pauperes liberalitatem, *Archangelus Monachorum*, audit Alberico & Fulberto Carnotensi. Obiit autem anno 1048. calculo gallis per ea tempora usitato, & relato Sanmarth. l. c. Labb. p. 127. Caveo P. I. p. 414. qui plura de ejus gestis consignavit. Scripsit *S. Majoli*, prædecessoris sui, *Vitam*, quæ habetur apud Surium XI. Maj. *Hymnos* IV. de eodem. *Epistolas ad Fulbertum: Vitam Adelheidis*, Lotharii primum, Italiæ Regis, dein Othonis M. Imper. Conjugis, anno 999. defunctæ, evulgatam quoque T. V. H. Canisii P. II. p. 395. & sub finem *Annal. Heremi Helvet.* Christoph. Hartmanni Ord. Ben. it. *de ejusdem miraculis: de Festis Domini, B. Virginis ac Script. Sermon. XIV.* unde Sermonem de Nativ. Salvatoris, cum aliis ejusdem argumenti, seorsim exhibuit Daumius, *& Statutum de defunctis.* Edita extant hæc Odilonis Opuscula anno 1614. in *Bibl. Cluniacensi*, studio Martini Marrier, & Andr. Duchesnii, inde relata in *Bibl. Patr.* T. XVII. p. 653. *Epistolas aliquot.* vid. apud Dacherium *Spicileg.* T. II. De eo post cit. aut. evolv. Vincent. Barralium *Chron. Lerin.* P. I. f. 39. III. f. 151. qui Odilonem, Lerinensis quoque monasterii gubernacula anno 997. gubernasse, scribit. Conf. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 49.

ODILO.

Gallus S. Medardi apud Suesſionenſes Monachus, anno 930. clarus, ſcripſit Lib. *de translatione reliquarum S. Sebaſtiani Martyris & S. Gregorii M. Papæ in ſuum S. Medardi Monaſterium, anno 626.* factæ, eundemque *Ingranno*, Decano Medardenſi, inſcripſit. Extat ille anonymus *apud* Bolland. d. XX. Jan. integer *apud* Mabillon. *Sec. Ben.* IV. P. I. p. 383. *Hiſtoriam de Translatione SS. Tiburtii, Marcellini ſeqq. Petri & Sociorum*, in idem S. Medardi Cœnobium anno 828. factam, quæ reperitur. *Sec. IV. Bened.* T. I. p. 411. De eo dixit Cave P. II. p. 183. Oudin. p. 302. *Suppl. de Script. Eccleſ.* Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 52.

ODO.

Aſtenſis, Ord. Bened. Monachus, Autor *expoſitionis in Pſalmos per contemplationem, ad Brunonem Signienſem Epiſcopum*, circa ann. 1120. florentem, exaratæ. Habetur illa appendicis vice T. II. Opp. *Brunonis Aſtenſis, Epiſcopi Sign.* edit. Venet. 1651. De quo ſupra ſuo loco. Conf. Labb. T. I. *Diſſ.* p. 213. Du Pin. T. IX. p. 159.

ODO.

Qui & *Odoardus*, Aurelianenſis Scholaſticus, primus abbas S. Martini Tornacenſis, poſtea Epiſcopus Cameracenſis, anno 1105. inde Aquiſcinctum relegatus, ubi & 1113. exul, obiit. De eo Molanus *in natal. SS. Belg.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 704. Sanmarth. T. I. f. 237. Labbeus T. II. p. 128. Cave P. I. p. 445. Du Pin. T. IX. p. 180. aliique. Opera ejus Trithemius recenſet atque Bellarminus, *Lib. Script. Eccleſ.* edit. Paris. 1617. exinde in *Bibl. Patr.* transſcripta T. XXI. *De Myſterio Dominicæ incarnationis; Dialogus contra Leonem Judæum; de Peccato Originis: de Blaſphemia in SS. de Villico inquitatis; Collationum Lib. &c. Expoſitio in Canonem Miſſæ*, quæ ſeorſim prodiit cum Fr. Titelmanni libro, ejusdem argumenti, Antwerp. 1530.

ODO.

Anglus Cantianus, Cœnobii Cantuarienſis Prior, Ord. Bened. & juxta Pitſeum *de Script. Angl.* p. 226. Monaſterii de Bello abbas, claruit anno 1160. Scripſit *Epiſt. ad Adamum Igniacenſem, quendam fratrem Novitium*, quam vid. *apud* Mabillon *Anal.* T. I. p. 349. Blaſphemam illam

lam judicat Cave P. I. p. 471. eò quod Benedicto illa adscribat, quæ Christo soli juxta Scripturæ ductum, competant. Conf. Du Pin. T. IX p. 187.

ODO.

Cluniacensis vulgo dictus. Hic ex Francorum nobilibus oriundus, Remigii, Antisiodorensis Monachi, auditor, è Canonico & Archi-Cantore S. Martini Turonensis Monachus, atque postea Abbas II. Cluniacensis, Bernonis Successor, porro tertius Aureliaci, inde XVIII. Floriacensis Cœnobii abbas, tandemque abbatiæ quoque S. Juliani præfectus, sicut colligimus ex illis, quæ diversis locis de eo habent Sanmarthani T. IV. f. 117. 275. 406. & 546. Mortuus traditur Sigeberto anno 937. Labbeo vero 942. Silv. Marulo ann. 943. Sanmarth. anno 944. Vitam ejus scripsit *Johannes*, Discipulus, quam quære *apud* Surium d. XIIX. Novembris. Scripsit Odo *Vitam Geraldi, Comitis Aurel. Lib. IV.* Tract. *de Reversione S. Martini Turonensis à Burgundia.* Tract. *quod B. Martinus par dicitur Apostolis*, quæ tria Opuscula, unacum Salviano, prodierunt, Paris. 1511. *Sermones IV. Collationum Lib. III. Antiphonæ XII. de S. Martino Versus & Hymni*, quæ omnia edidit Andr. Du Chesne in *Bibl. Cluniac. Paris.* 1614. p. 65. *Moralium in Job. Lib. XXXV.* ex Gregorii Moralibus excerpti, Parisiis, cura Martini Marrier 1617. 8. Omnia hæc Odonis Opuscula continet T. XVII. *Bibl. Patr.* p. 252. seq. *Chronicon Succinctum*, idque manuscriptum aliaque Odonis Opuscula, quæ quidem interierunt, vid. ap. Cavium l. c. Du Pin. T. VIII. p. 49.

ODO DE DIOGILO.

Vel Deuil, primus abbas S Cornelii Compendiensis, post abbas S. Dionysii in Francia, anno 1152. factus, scripsit *de Profectione Ludovici VII. Regis Francorum in Orientem*, quod extat in Opere Chiffletii, anno 1660. 4. Divione vulgato, cui titulus: *S. Bernhardi Clarævallensis abbatis Genus illustre assertum.* Floruit Odo ad ann. 1168. quo obiit, ut testantur Sanmarth. *Gall. Christ.* T. IV. & qui ex illis transscripsit, Oudinus Suppl. p. 429.

ODO.

Gallus, Monachus & postea Glannafoliensis atque Fossatensis anno 868. abbas, autor Libri *de Miraculis S. Mauri*, apud Mabillon.

billon. *Sec. Bened.* IV. P. II. p. 165. extantis, memoratus Sanmarthanis l. c. f. 627. Caveo P. II. p. 164. De alio quodam Fosſatenſi Odone, Monacho, noſtroque multo recentiore, Conf. Voſſ. H. L. l. 3. c. 6. pag. 768.

ODO RIGALDVS.

Ordinis Seraphici Fratr. minor., poſt Theol. Magiſter atque Orator parum vehemens, demum conſecratus Archi-Epiſcopus Rothomagenſis ab Innocentio IV. P. R. anno 1247. Obiit 1275. Scripſit *Regulam vivendi*, apud Petrum Rudolphum, in Hiſt. Seraphica. *Comment. in IV. Libros Moſis: in Pſalmos & Evangelia*, quæ in manuſcript. adhuc latent. De eo Sanmarth. T. I. p. 581. Oudin. p. 540. ſeq. l. c.

ODO SOLIACENSIS.

Antiquæ Proſapiæ, Philippi Auguſti Franciæ & Henr. II. Angliæ, Regum, conſanguineus, juxta Petrum Bleſenſem ad Epiſcopem Pariſienſem evectus, anno 1197. anno verò 1208. extinctus, annotantibus Sanmarth. T. I. f. 439. *Ejus conſtitutiones & Præcepta Synodalia* de VII. Sacramentis, eo ſcilicet Seculo confictis, videas T. VI. *Bibl. PP. Paris. edit. 2.* f. 629.

ODO.

Canonicus Regularis S. Auguſtini, claruit circa ann. 1160. & ſcripſit *Literas VII. de Officiis Canonicorum Regularium*, quas exhibet Lucas Dacherius *Spicil. Patr.* T. II, Evolv. Du Pin. T. IX. p. 186.

ODORANNVS.

Monachus S. Petri Vivi Senonenſis, Ord. Ben. ſcripſit *Chronicon rerum in orbe geſtarum* ab anno 675. ad ann. 1032. qui floruit. Extat illud in *Collect. Franc. Script.* anno 1636. Pariſiis ab Andr. Du Chesne edito. De eo Cl. Du Pin. T. VIII. p. 108.

ODORICVS.

De Portunaono, quod oppidum in Foro Julii, Italus, Ord. min. anno 1320. clarus, anno 1331. Vtini deceſſit. Scripſit poſt peragratam majorem Aſiæ partem, *Itinerarium de mirabilibus Orientalium Tartarorum*, quod exhibet Bollandus, cum Odorici vita T. I. ad d. XIV.

XIV. Jan. Verum, illius autorem, vix fuisse credit Baluzius, Odoricum, *not. ad Vit. Pap. Avenion.* T. I. p. 1411. seq. Vide si placet, quid Cl. Cave de illo moneat P. II. p. 274. Reliqua *Odorici* Scripta exhibet Simlerus atque Possevinus, eademque, *Sermones atque Epistolas*. Evolv. Luc. Waddingum *in Bibl. Ord. min.* p. 270.

OECVMENIVS.

Scriptor Græcus, cujus ætas ad ann. 800. vel 900. imò & 1000. rejicitur. Opera ei adscripta prodierunt græc. Veronæ 1532. Lat. Venet. 1556. 8. græc. lat. Paris. 1631. f. duobus divisa Tomis, cum Aretæ Cæsareensis in Apocalypsin Explanationibus edita, extant, interprete *Joh. Hentenio*, emendatore vero & prælectore illius editionis *Federico Morello*. Habentur in ista, recensente Labbeo, p. 133. & Caveo P. I. p. 414. *Enarrationes in acta Apost. Comment. in Epist. S. Pauli*, præmissa enarratione de D. Pauli peregrinatione & Euthalii Diaconi Prologo: *Comment. in Epist. S. Jacobi, aliasque Canonicas*. Commentationem istarum catenas e Chrysostomo, aliisque P. P. confecit. vid. Labb. l. c. p. 132. & Meelfuhrer. *Centur PP.* p. 221. ubi & de Theoduli Cælesyriæ Presbyteri Catena in Epist. ad Rom. maximam Partem ex Oecumenio hausta, quam vide T. I. *Bibl. Patr. Paris.* edit. 2. f. 1157.

OGERIVS.

Abbas de Lucedio Ord. Cisterc. in Sabaudia circa annum 1150. clarus, scripsit Opus insigne Sermon. XV. *de Cœna Domini*, quod absque autoris nomine inter *Bernardi Opera* habetur, Prologus incipit: *Paschalibus dapibus satiati.* Hæc scribit Oudinus l. c. p. 419. Conf. Du Pin. T. IX. p. 91.

ERICVS OLAI.

Svecus, Theol. D. Vpsalienſis, & Ecclesiæ Metropolitanæ ibidem Decanus, anno 1464. clarus, scripsit *Historiam Svecicam & Gothicam*, Libris VI. ab Erico Rege ad Caroli Canuti tempora, quæ prodiit cura & notis Messenii, Holmiæ. 1615. 4. cura Joh. Loccenii inter alias Sveciæ antiquitates, Vpsaliæ, 1654. 8. & in Svecicum Sermonem translata 1678. Conf. Joh. Scheffer. *in Svecia Litterata* p. 14. seq. & Joh. Mollerus *in Hypomnem. Hist. Crit.* pag. 358.

OLAVS M.

Lincopensis, Præpositus Stregnensis, Joh. Fratris in exilio Comes atque Secretarius, atque Successor a Paulo III. P. R. anno 1544. in Archi-Episcopatu quidem designatus, nunquam tamen eundem obtinuit, Concilio tamen Tridentino interfuit. Scripsit Lib. *de Gentibus Septentrionalibus*, Antwerp. 1558. Francof. 1618. 8. lat. German. extant ex Versione Israelis Achatii. Argent. 1567. 8. Joh. Baptistæ Fuckleri, Basil. 1567. f. Anglice Londini 1658. Belg. Amstelod. 1665. 8. *Epitome* prodiit cura Corn. Scribonii Graphei, Antwerp. 1562. 8. 1586. 16. Ambergæ 1599. 8. Lugd-Bat. 1652. 12. Judicia de hoc libro pro utraque collegit sententia Cl. Mollerus l. c. p. 369. seq. *Tabula Terrarum Septentr.* prodiit, Venet. 1539. Conf. de illa Simler. *Bibl.* p. 531. *Epitome Revelationum Birgittæ*, Romæ vulgata est, teste Joh. Messenio, *in Chron. Episcop. Svec.* p. 44. Conf. Schefferus, *Svecia Litterata* pag. 26.

OLBERTVS.

Belga, Monachus Lobiensis, post abbas Gemblacensis, veljuxta nonnullos primus S. Jacobi abbas Leodicensis, anno 1020. clarens, scripsit jussu Reginerii, Hannoniæ Comitis, *Vitam S. Veroni Confessoris*, quæ cum Scholiis *Georg. Galopini* prodiit, 1636. Montibus. Plures SS. Vitas Olbertum scripsisse, Bucelinus *in Germania S.* fidem facit. Quod Olbertus noster cum Alberto Monacho Lobiensi atque abbate Gemblacensi, idem extiterit, clarè nos docet Vossius de H. L. l. 2. c. 41. p. 352. c. 44. p. 369. Conf. præter hunc, Cave P. II. p. 197. & Cl. Du Pin. T. VIII. p. 52

OLIVERIVS.

Scholasticus Colonensis, Vir pietate atque facundia insignis, à Pontif. R. ad crucem prædicandam, in Brabantiam, Flandriam, Frisiamque missus, scripsit *Epistolam de Expugnatione Damiata ad S. Engelbertum, Colon. Archi-Episcopum*, quam T. I. *Gestorum Dei per Francos*, Jac. Bongarsius exhibuit. Conf. Du Pin. T. IX. p. 193.

OLIVERIVS MAILLARDVS.

Armoricus, aliis Parisiensis, Ord. min. Provincialis atque Vicarius Generalis, Parisiensis Theologus atque Concionator, anno 1494.

1494. clarus, Toloſæ an. 1502. ad cœleſtia tranſiit. Scripſit *Contemplationem in Salutationem angelicam*. Paris. 1507. edit. *Quadrageſimalia II. Sermones de adventu, Pariſiis 1506. Sermones de Tempore* Lugd. 1498. 4. *Sermones de SS. & communi SS.* Lugd. 1507. Argent. 1514. *De Peccati Stipendio & gratia præmio.* Quæ omnia Lugduni cum *pulcherrimis Juris Quæſtionibus* 1499. prodierunt, & Argentinæ apud Joh. Parvum recuſa ſunt. Conf. de Scriptis H. Wharton. *in app. Cav.* p. 124. Simler. *epit.* f. 531. b. & de ipſo Oliverio H. Willot. *Athen. Franc.* p. 288.

OLYMPIODORVS.

Ex Philoſopho Peripatetico, ſicut quidam referunt, Monachus græcus, vel juxta alios Conſtantinop. Diaconus, a nonnullis ad Eccleſiam Alexandrinam relatus, vid. Labb. p. 133. ſeq. Hujus quoque ætas æque ut Oecumenii, incerta eſt. Cave tamen P. I. p. 414. illum ad ann. 490. reponit. Scripſit *Comment. in Eccleſiaſten*, qui extat gr. lat. in auct. Patrum Duceano T. II. p. 602. Lat. 1511. 4. Baſil. 1536. 1551. & in Bibl. PP. T. XVIII. *Comment. in Jobum.* Lat. Venet. 1587. 4. græc. lat. Londini, 1637. fol. *Comment. in Threnos Jeremiæ*, qui impreſſus Romæ cum Origenis Comment. 1598. 4. Vide de Scriptis Olympiodori Caveum l. c. Labb. l. c. atque Simlerum. Fuit etiam alius *Olympiodorus Thebæus*, iſto antiquior, cujus quædam Excerpta ab anno 407. ad 425. a Photio ſervata, Cod. 80. Tomo. verò I. *Hiſt. Byzant.* a ſe editæ, notisque illuſtratæ, memorat Labbeus l. c. p. 134. Imò ſi P. Comitolo credimus, Olympiodorus Diaconus *Catenæ in Jobum* concinnator, plane diverſus eſt ab Olympiodoro Monacho, genere græco, e Peripateticorum Schola, non ignobili autore *Comment. in Ariſtot. Meteora*, quos reliquiſſe & *Eccleſiaſten* quoque ſuccincte enucleaſſe dicitur. Vid. Comitolus *Præf. ad Lect. præmiſſa Olympiodori Catenæ in Jobum*

OLYMPIVS.

Natione Hiſpanus, Epiſcopus, ſcripſit *Librum fidei adverſus eos, qui naturam & non arbitrium in culpam vocant, oſtendens non creatione, ſed in obedientia inſertum naturæ natum*, prout refert Gennadius de Scriptor. c. XXIII. Fragmentum ex Sermone quodam Eccleſiaſtico de Pec. Orig. adducit Auguſtinus Lib. I. *contra Julianum.* Cæterum antiquior paulo videtur Cl. Cypriano, quam a Caveo ad ann. 430. collocatus, quem proinde in *notis ad Gennad.* p. 100. evolvas.

OPTATVS.

Afer, Milevitanæ Eccleſiæ in Numidia Epiſcopus, ſub Valentiniano & Valente, Imperatoribus, circa ann. 368. florens, ſurgentis Donatiſtarum Sectæ refutator doctiſſimus. vid. Baron. ad ann. 368. Scriptor acutus, quamlibet ſimplex, Barthio *Claud. Mammert.* p. 413. pius, elegans, ſummus argumentandi artifex. vid. *Adverſ.* l. 29. c. 16. Ejus *ad Parmenianum Epiſcopum, Donati Succeſſorem, libros*, quorum VI. tantum Hieronymo, VII. vero aliis numerantur. vid. apud doctiſſ. Cav. P. I. p. 131. ſeq. Eosdem cum obſervationibus & notis Gabrielis Albaſpinæi, Carolus Paulinus Aurelianenſis, edidit. Paris. 1631. fol. & eodem anno Londini cum notis Caſauboni. 8. prodierunt Pariſienſis iſtius edit. ordinem Labbeus ſiſtit p. 137. de Londinenſi vero adeas Riveti Crit. l. 3. c. 5. De aliis edit. conf. Simler. Bellarm. & alios. Adde, quæ Pariſiis 1679. fol. cura Philippi Priorii excuſa eſt, editionem, quam inſigniter commendat Cave l. c. Librorum contenta exhibet Cl. Du Pin. T. II. p. 109. ſeqq. Hic ipſe Du Pin. nuperrime *VII. Optati Libros* Pariſiis excudi fecit 1700. fol. quos prolixe enarrant Cl. Act. Erud. editores. ann. 1701 menſe majo.

ORDERICVS VITALIS.

Angligena, Ord. Bened. Monachus, Uticenſis ſive S. Ebrulfi in Normannia, anno 1140 clarus, ſcripſit *Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Collectioni Hiſtor. Normann. Paris.* cura Andr. Du Chesne 1619. editæ, inſertam p. 324. vid. eundem *in prolegom.* de Orderico & Cl. Du Pin. T. IX. p. 189.

ORESIVS.

Oreſiii, cujusdam abbatis, *libellum de VI. cogitationibus Sanctorum*, Henricus Caniſius e manuſcript. Codice Melch. Goldaſti lat. edidit T. V. *antiq. lect.* p. 950. Sed quando vixerit, dicere noluit, imò nec divinare.

ORIENTIVS.

Hiſpanus Tarraconenſis, Epiſcopus Eliberitanus anno 516. clarus, ſcripſit *Commonitorium fidelium metro heroico*, ut mulceat legentem ſvavi breviloquio, uti habet Sigebertus Catal. c. 34. Edidit illud Mart. Delrio cum notis Antwerp. 1600. recuſum Salmant. 1644. 4. & exinde in Bibl. Patr. relatum T. VIII. p. 875. Prodiit quoque

cura

cura Andreæ Rivini emendatum, & Scholiis quibusdam enarratum, Lipsiæ, 1651. 8. & in *Collectione nova Veterum Scriptorum & Monumentorum*, quam Edmundus Martene Paris. 1700. 4. vulgavit. Agunt de eo Cave P. I. p. 278. Aub. Miræus *Schol.* ad c. 9. Gennadii *de Script. Eccles.* Anton. Possevinus *app. S.* qui tamen illum multo antiquiorem, absque prævia ratione, facit. Conf. Cl. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. V. p. 38. *Memoires de Trevoux* T. I. p. 20. T. II. p. 112. ubi variæ ejusdem editionis correctiones, reperiuntur. Adde Act. Erud. ann. 1701. p. 154.

ORIESIS.

Ægyptius abbas sive Monachus Theodori & Pacomii, celeberrimorum Sec. IV. Abbatum, æqualis aut collega, sicut e Gennadio c. 9. & Honorio Augustod. refert Labb. p. 138. Scripsit, teste Gennadio, Libr. *divino conditum sale, totius que Monasticæ disciplinæ instrumentis constructum, in quo totum pene V. & N. T. compendiosis dissertationibus juxta Monachorum duntaxat necessitatem inventam fuerit expositum*, sed illud jam pridem periit. Extant adhuc *Oriesis Regulæ de Institutis Monasticis* Bibl. Patr. T. IV. p. 92. ad calcem *Prosperi de Vita contemplativa*, Colon. 1536. 8. & in *Collect. Regularum Holsteniana*. Floruit juxta Cav. P. I. p. 112. anno 344. Confer. Du Pin. T. II. *Bibl. Nouv.* p. 68.

ORIGENES.

Clementis Alexandrini non tantum, sed & Ammonii, auditor, sub Alexandro Severo usque ad Gallum & Volusianum Imperatores, florens, ordinatus anno 218. Presbyter, anno verò 254. ætatis 69. denatus. *Adamantius* dictus, ob animum plus quam adamantinum, utpote, quem nec vitæ austeritas, nec perpetui labores (ultra sena millia namque librorum scripsisse fertur Epiphanio,) nec dura paupertas, nec æmulorum improbitas, nec suppliciorum terror, a sancto instituto vel tantillum dimovere potuit, (quanquam Epiphanius hæresi LXIV. n. 2. Lapsum ejus vel solus testari voluerit, quem ideò post alios confutat Arnoldus, *Hæresiol.* T. I. p. 94.) sicut loquitur Erasmus, vita Origenis, ejus Operum T. I. editionis Basileensis, 1571. præfixa, qui addit, nomen hoc ei non tantum a moribus, ut aliis, inditum, sed ab ipso vitæ exortu & providentia divina in præsagium futurorum, datum. De ejus Vitæ ortu & progressu, Scriptis item, genuinis & supposititiis, servatis & deperditis, deque illius radiis &

deliquiis, veterum atque recentiorum testimonia & Judicia, alia bona, alia rigida, quædam etiam media, si legere juvat? evolve, quæ prolixe congesserunt, Thomas Pope-Blount in *Censura Celebr. autorum*, p. 197. seq. & Cl. Petrus Daniel Huetius, *in Vita Origenis, Operibq Origenis*, de quibus modo dicendum, præmissa. Et in compendio Natalis Alexander, *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus*, Sect. III. P. I. p. 100. art. 12. & cap. 4. art. 2. p. 132. Nimis verum est illud Cassiodori: *Ubi bene Origenes, nemo melius: ubi male, nemo pejus.* Utinam Senior & honoratior non dedisset maculam in gloriam suam! Nihilominus tamen apologias pro Origene non pauci conscripserunt. Præprimis autem Petrus Halloix, Jesuita, in *Origene defenso*, Leodii 1648. edito, & Innocentio X. nuncupato, fusissime illum tutari ausus, quanquam exiguâ suorum gratiâ, vide Labb. p. 140. Ita Petrus Cunæus quoque Origenis errores palliare tentavit Lib. III. *de Rep. Hebr. c. 3.* p. 398. & Jacobus Merlinus, in *Apologia pro Origene*. Joh. Horbius *in Historia Origenianismi* multa quoque notatu digna adduxit. Ast dogmata Origenis cum Philosophia Platonica rigide comparavit, atque perstrinxit, Paganinus Gaudentius, Theologus & JCtus Pisanus, cujus Liber prodiit Florentiæ, 1639. 4. Summam gravissimorum Origenis errorum sistit Cl. Cave P. I. *Hist. Litter.* p. 56. qui causas eorum varias ex prolixis aliorum scriptis summatim quoque recenset. Opera Origenis, aliquoties edita extant. Prodierunt autem Parisiis 1512. 1522. 1530. 1536. Basileæ 1536. auctiora vero ibidem 1545. 1571. Paris. 1574. 1604. 1619. *Singula ejus in Sacras Scripturas Commentaria*, quæcunque græce reperiri potuerunt, Petrus Daniel Huetius, græca ex antiquis codicibus manuscriptis primus maxima ex parte in lucem edidit, quæ jam extabant, varias editiones inter se contulit; Latinas interpretationes partim a se, partim ab aliis elaboratas, græcis adjunxit, universa notis & animadversionibus illustravit. Rothomagi 1668. Parisiis 1679. f. T. II. & Colon. recusum 1685. f. Ibidem præfixit *Origeniana*, Tripartitum Opus, quo Origenis narratur Vita, doctrina excutitur, scripta recensentur. Seorsim vero prodierunt, *Protrepticus ad Martyrium*, cum notis Wetstenii, Basil. 1674. 4. *Epistola ad Julium Africanum de Historia Susannæ*, gr. lat. cum præcedenti opusculo, & jam ante Aug. Vindel. 1602. 4. *Contra Celsum Lib. VIII.* græc. lat. Aug. Vindel, Hœschelius edidit. 1605. 4. & cum

cum notis doctissimis, Spencerus, Contabrigiæ 1658. 4. *De Oratione* Liber, diversus ab illo, quem Morellius, sub Origenis nomine, Parisiis, 1601. extulit, excusus est Oxonii, 1686. 12. Recusus a Wetstenio Amstelod. 1695. 4. *Philocalia*, sive de obscuris Scripturæ locis a Basilio M. & Gregorio Naz. ex Origenis Comment. excerpta, græce & lat. prodiit, Parisiis, 1618. 4. cum Joh. Tarini notis. Cum *Commentariis Basilii M. & Gregorii Naz.* Lutetiis, 1624. & cum *Libro de Oratione*, ab Oxonienſibus excuſo. *Dialogum contra Marcionitas*, edidit Wetſtenius Basil. 1674. 4. Agunt de Origene poſt citatos autores omnes Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, quibus Buddeum, Baylium, aliosque Viros Clariſſimos adjungas.

PAVLVS OROSIVS.

Hiſpanus, Tarraconenſis Presbyter, circa ann. 416. clarus, ad Auguſtinum ab Eutropio & Paulo, Epiſcopis, anno 413. miſſus, ut illi Priſcillianiſtarum & Origenis errores in Hiſpaniam propullulare, denunciaret. Hieronymum quoque adire juſſus eſt, ut mentem ejus de animarum origine, exquireret. Pelagio maſcule obſtitit, ejusdemque errores rejecit. Criminis quidem blasphemiæ apud Joh. Hieroſol. accuſatus, illud tamen *Apologetico contra Pelagianos, de arbitrii Libertate*, diluit, quæ prodiit Lovanii, 1558. & ad calcem Hiſtor. Colon. 1572. Pariſ. 1639. & in Bibl. Patrum T. VI. p. 448 Hunc Librum interpolatum eſſe ad oculum monſtrat, Cave P. I. p. 217. *Libr. VII. Hiſtor. adverſus Paganos ab O. C.* ad annum 416. quod opus *Hormeſta Oroſii*, paſſim audit, atque Auguſtini hortatu conſcriptum, adverſus infamatores Chriſtiani nominis, qui dicebant defectum Romanæ Reipubl. à Chriſti Doctrina profectum. Paſſim illud prodiit Coloniæ & Pariſiis, ordine a Caveo obſervato. Celebratur autem editio Mogunt. 1615. cum notis Latii & Schotte. *Conſultatio Oroſii ad S. Auguſtinum de errore Priſcillianiſtarum & Origeniſtarum* præfixa eſt *Auguſtini Libro adverſus Priſcillianiſtas*. De eo Labb. p. 174. T. II. Voſſius l. 2. H. L. c. 14. Andr. Schott. *Bibl. Hiſp.* T. II. f. 206. Du Pin. l. c. T. III. p. 156. Bayle *Dict. Hiſt. & Critiqu.*

OSBERNVS.

Anglus, Cantuarienſis Præcentor & monachus, Lanfranco Archi-Epiſcopo Cantuar. percharus, anno 1070. clarus de quo Wilhelmus

mus Malmesburiensis in Lib. de Regibus Angl. cap. 8. ubi de Dunstano: *Plura & non contemnenda de Viro volentem dicere revocat Cantuariæ Cantor Osbernus, qui ejus vitam Romana eloquentia composuit, nulli nostro tempore stylo secundus, Musica certe omniũ sine controversia primus,* & Bolland. T. IV. p. 659. Extat *Dunstani Vita* Lib. II. apud Mabillon Sec. V. p. 654. Scripsit præterea *Vitam S. Odonis.* ibid. p. 287. Vitam S. Elphegi in compendio apud Surium d. XIX. April. integram Bolland. eodem die T. II. *Vitam S. Bregvvini. Vitam S. Odonis Lib. I. Dunstani Lib. I. Vit. S. Elphegi* videas apud Cl. Wharton. T. II. p. 73. *Angl.* S. qui tamen Vitam S. Bregwini Eadmero, genuino autori, restituit. Plura te monebit Cave P. II. p. 201. Possevin. *app. S.* Baleus, Pitseus, atque Oudin. p. 323. qui Osbernum nostrum cum sequenti Osberto confundere, vetat, quem tamen eundem cum nostro esse, nonnulli contendunt.

OSBERTVS.

Anglus, Cantuariensis Monachus, anno 1120. clarus, scripsit *De Vita & Miraculis S. Dunstani Lib. II.* apud Surium d. XVI. Maj. Fragmenta exhibet Mabillon *Sec. Ben. V.* p. 701. Vid. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 107.

OTHELGRIMVS.

Monachus Werthinensis, Socius S. Liudgeri, Monasterienſis Episcopi, qui mortuus est anno 809. Scripsit ejusdem *Vitam Lib. II.* quam edidit Browerius in *Syderibus suis Germaniæ.* Mabillon *Sec. IV.* T. I. p. 15. Bolland. d. 26. Martii. Plura de hoc opusculo litigat Oudinus *Suppl. de Script. Eccles.* p. 255.

OSMVNDVS.

Episcopus Asturiensis, anno 1059. clarens, scripsit ad Idam, Comitissam, Eustachii Comitis Bononiensis uxorem, templum in B. Virginis honorem extruentem, *Epistolam de Capillis B. Mariæ,* quam exhibet Mabillon. Anal. T. I. p. 287.

OTHLONVS.

Fuldensis Monachus, circa ann 1101. clarus, cujus nomen tunc primo inventum adserit H. Canisius, cum ederet, eique assereret *Lib. II. de Vita S. Bonifacii Martyris,* Germanorum Apostoli, Archi-

Archi-Episc. Moguntini T. IV. *Lect. Antiq.* p. 2. f. 391. Extat quoque apud Surium d. V. Junii. Mabillon. *Sec. Ben. III. P. 2.* p. 28. Nota, quæ Cave contra Browerum, hoc opusculum Othlono abjudicantem, afferat, P. II. p. 218. Atque, quid Oudinus, p. 353. roboris suæ addat sententiæ, qua Othlonum, Fuldensem extitisse Monachum, inficiatur, eundemque S. Bonifacii Socium fuisse existimat. Conf. Vosf. *de Hist. Lat.* l. 2. c. 41. Du Pin. T. VIII. p. 110.

OTHMARVS LVSCINIVS.

Argentinus, Juris Pontif. D. & Autor *Allegoriarum Plectrorum, & Scruporum Psalterii Davidici*, edit. Augustæ 1524. 8. eodem tempore floruit. Idem *Haymonis Comment. in Epist. Pauli* editionem Argentinensem anno 1519. *Epistola* quadam ad Sixtum Hermanni Parochum D. Thomæ, nobilitavit.

OTHO de S. BLASIO.

A Monasterio S. Blasii Ord. Bened. in Diœcesi Constantiensi ita dictus, natione Germanus, complevit *Chronicon Ottonis Frisingensis* usque ad sua tempora 1190. quod cum Ottone Frising. extat in *Collect. rerum Germ.* Christ. Urstisii cura publicata, Francof. 1585. fol. typis Wæchelianis, ibid. recusa 1670. f. Conf. Anton. *Possev. app.* S. T. II. p. 204. Alia quædam elucubravit Otho, prout ex Joh. Heroldi *Epist.* ad Casparem, primum S. Blasii abbatem, scripta, patescit. Pervenit ad manus nostras liber hoc titulo : *Ottonis a S. Blasio Chronica prima.* Libri series omnes S. Historiæ Genealogias, ad Timotheum Titumque, Pauli Discipulos usque, figuris pulchre distinguit. Opus sane & elegans & non contemnendum. Exordium ejus sic sonat: *Considerans Historiæ S. prolixitatem, nec non & difficultatem.*

OTTFRIDVS.

Cœnobii Wizanburgensis in Alsatia, nunc ad Spirensem Episcopatum sub Præposituræ titulo pertinentis, Ord. Bened. Monachus, anno circiter 900. ut Cl. Lambecius T. II. *Bibl. Vindob.* p. 416. egregie monstravit. Scripsit eo tempore, quo Franci primo nomen Christo dederunt, *Evangeliorum Librum*, Francico, h. e. Theotisco rythmo, adeoque primus fuit, qui perdifficilem Germanorum Sermonem literis tractare aggressus est. Librum istum, quem

insignem, egregiumque antiquitatis thesaurum prædicat Rhenanus, *Rerum German.* L. 2. f. 112. ab ipso tempore Comitiorum Augustanorum Frisingæ in turri, inventus fuit. Joh. Isaac. Pontanus rarum quoque librum vocat *Orig. Franc.* p. 582. & cum non sit in omnium manibus, nonnulla inde exscribit, quædam etiam explicat. Conf. p. 578. 588. Eundem & quidem manuscript. Mœno-Francof. an. 1658. cum ibi circa Aug. Imper. Leopoldi Electionis tempus degerem, in Bibl. publica mihi ostensum, recordor. Nunc vero typis impressum exemplar teneo, evulgatum Basileæ 1571. 8. cura Matth. Flacii, Illyrici, ejusque Præf. & Indice illustratum. Sed & *Marquardi Frekeri* emendationes an. 1631. Wormatiæ super illum editas esse, non ignoro. Extat & in Bibl. Vindobonensi, ex quo Codice lacunam non exiguam explevit paulo ante laudatus Lambecius. Pleniorem operam promittit Vir egregie eruditus, Diedericus von Stade, in *Specimine Lectionum antiquarum Francicarum ex Otfridi libris Evangeliorum*, Stadæ, 1708. 4. edito, quæ, ut propediem edatur, avide expectamus. Promiserat jam ante Vir de Litteratura Francorum meritissimus, Schilterus, hunc librum rarissimum, eumque ex manuscript. Codice Viennensi a Cl. Joh. Philippo Schmidio, Argentoratensi, descriptum, vulgare, quod morte quidem præpeditus, institutum vix adimplevit. Exhibuit tamen Schilterus Dedicationem Ottfridi ad Regem Ludovicum Germanicum, cum interpretatione latina. Colloquium vero Christi cum Samaritana, antea a Lambecio editum, recudi fecit Cl. Joh. Phil. Palthenius, ad calcem *Harmoniæ Evangel. Tatiani*, Gryphiæ, anno 1706. 4.

OTTO.

Illustris heroum sanguine Scriptor, utpote qui Parente Leopoldo, Marchione Austriæ, matre Agnete Henr. IV. filia, quæ Friderico Sveviæ Duci nupta prius fuerat, prognatus, nepos autem Henrici V. Imper. ex Sorore, & Conradi præterea III. Cæsaris, Sveviæque Ducis Friderici, uterinus frater extitit. Ordinem Cistertiensem ingressus, abbas Morimundensis, in Lingonienſi Diœcesi monasterii, creatus, in quo, postquam Frisingensi Bavariæ Episcopatu a Conrado III. Imper. donatus esset, fatis etiam concessit, an. 1159. sicut pluribus docet ejus continuator *Radevicus*, Trithemius item, Vossius

l. 2. H. L. c. 53. Labbeus p. 149. & Chrysostomus Henriquez *fascic. Cistert.* huc citatus a Sanmarth. T. 4. f. 674. Claruit *Lib. VIII. Chronicorum*, ab O. C. ad sua usque tempora diductorum & *de gestis Frid. I. Imper. Lib. II.* Extant illi Argent. 1515. Basil, 1569. & auctiores in *Hist. German.* Vrstisii, Francof. 1585. & 1670. T. I. p. 1. Scripsit *Historiam Austriacam*, quam quidem manuscript, penes se habuit, Wolffgangus Lazius, ut Cave P. I. p. 465. testatur, quæ tamen nunquam evulgata est. Conf. de eo Cl. Du Pin. T. IX. p. 189.

OTTO.

Arosiensis Episcopus ab anno 1487. factus, in carcerem Holmiensem, anno 1521. a Christierni II. Vicario conjectus, e vivis excessit. Publicavit anno 1504. 8. Arosiæ, *Breviarum secundum ritum almæ Ecclesiæ Arosiensis.* De quo Hallervord *in Bibl. Cur.* Scheffer. atque Mollerus l. c. p. 360.

P.

PACHOMIVS.

THebaide in Ægypto ortus, ex Gentili milite factus Monachus, dein Tabennensium in Ægypto abbas & auctor, anno 340. clarus, circa ann. 350. vel 360. obiit. Ejus Vitam descripsit Simeon Metaphrastes, quam exhibet Surius ad d. XIV. Maj. *Regula Monachorum* supereſt, quam æneæ tabulæ inscriptam, ab Angelo accepisse fertur, Pachomius. Extat illa *T. IV. Bibl. Patr. Colon.* & post *Cassiani Operum* plerasque editiones. Vide quid circa eam moneat Cave P. I. p. 113. Eadem, sed brevior, habetur apud Palladium in *Histor. Lausiaca* edit. Meursii f. 89. 189. Nonnulla ejusdem *Monita Spiritualia* latinè edidit Gerh. Vossius, *append. ad Opera Gregorii Thaumaturgi*, Mogunt. 1606. 4. Extant quoque in *Bibl. Patr.* l. c. *Epistolas V. ad Monachos* scriptas enumerat Gennadius *de Script.* c. VII. quæ tamen deperierunt. Conf. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 68.

PACIANVS.

Hiſpanus, in Pyrenæi Jugis Barcilonæ Epiſcopus, caſtitate & eloquentia, tam vita, quam ſermone clarus, elogio Hieronymi & Freculphi. Claruit circa ann. 370. Filium, Flav. Dextrum, ex legitimo thoro ante Epiſcopatum accepit. Obiit ſub Theodoſio, circa ann. 389. Extant ejus *Epiſtola III. contra Novatianos, Parænet. ad Pœnitentiam, & Libell. de Baptiſmo ad Catechumenos.* Paris. edit. a Tilio 1538. 4. a Paulo Manutio, Romæ 1564. fol. & *in Bibl. Patr.* T. IV. p. 305. 315. *Exhortationem ad Pœnit.* vide quoque poſt *Claud. Mamertum, Hermæque Paſtorem*, Barthii, p. 933. *Cervulus* Liber, quem ſcripſit, deperiit. Conf. de eo Cave P. I. p. 132. Hieronymus *de Script. Eccleſ. c. 106.* Colomeſius *in Paralipomenis de Scriptoribus Eccleſ.* quæ nuper ex edit. Joh. Alb. Fabricii 1709. 4. cum reliquis *Colomeſii Opuſculis*, Hamburgi, prodierunt. Vid. p. 705. ſeq. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. II. p. 101.

PACIFICVS.

Ord. min. frater, quem Novarienſem vocant Poſſevinus & Waddingus, eique tribuunt *Summam Caſuum Conſcientiæ*, ab eo *Pacifi-cam* dictam, atque a Fr. Tarviſino, Carmelita, Italice redditam, Venetiisque anno 1574. & 1580. editam. Bellarminus ad ann. 1480. eum collocat, & Cl. Wharton *app. Cav.* p. 106. An ſit ille idem *Pacificus Minoritæ* Picens, H. Willoto *Athen. Franciſc.* p. 289. memoratus, Franciæ primus Provincialis, ab ipſo Franciſco deſignatus, in pangendis verſibus adeo felix, ut *Rex Verſuum* nuncuparetur? Non liquet. Ejus namque nec ætatem nec Scripta tetigit Willotus.

PALLADIVS.

Galata, Helenopoleos primum in Cappadocia, tum Aſponitanus Epiſcopus, Evagrii Pontici diſcipulus, Ruffini æqualis, circa ann. 401. claruit. Vide quæ de ejus Vita prolixe tradit Cl. Cave P. I. p. 204. Palladio tribuitur *Hiſtoria Lauſiaca*, quam poſt multas editiones latinas gr. extulit Joh. Meurſius, Lugd. Bat. 1616. 4. græc. lat. extat cum notis Fronto-Ducæi in *Auct.* 1624. T. II. p. 893. Supplementum vide apud Cotelerium, *Monum. Eccleſ. Græc.* T. II. p. 341. & Fragmenta XI. T. III. p. 117. 158. Manuſcript. Codicem aſſervavit olim Cl. Voſſius editis duplo auctiorem. *Dialogus* it. *de Vita S. Joh. Chryſoſtomi inter Palladium, Epiſcop. Helenop. & Theodorum Eccleſ. Rom. Diaconum.*

Vide

Vide, quæ circa hujus Dialogi autorem disceptent alii, apud Cl. Caveum l. c. Prodiit Lat. ex Versione Ambrosii Camaldulensis Venet. 1533. 8. & cum Chrysostomi Operibus, passim. Græce vero per Emericum Bigotium, Paris. 1630. 4. *De Gentibus Indiæ & Brachmanibus Liber*, quem edidit græc. lat. Edoardus Bissæus, Londini 1665. 4. Hunc pariter fœtum, neque Palladio firmiter adjudicari posse, existimamus. Vid. eruditissimam Cavei animadversionem. P. II. p. 82. contentam. Cæterum Meursius præfatione ad Lectorem, *Hist. Lausiaca*, scripserat, in Bibliotheca sua esse ejusdem Palladii διήγησιν περὶ τῶν καθ' Αἴγυπτον διαλαμψάντων ἁγίων πατέρων, cujus quoque communicationem promiserat. An præstiterit, prorsus nos latet. Neque Valerius Andreæ, quando *Bibl. Belg.* p. 536. & seq. Meursii Scriptorum Syllabum exhibet, istius Opellæ meminit. Conf. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. III. p. 92.

PAMPHILVS.

Abydorum Episcopus, anno 484. juxta Cl. Caveum P. I. p. 262. clarus, scripsit *Epistolam ad Petrum Fullonem, adversus Clausulam Trisagio additam*, quam habes græc. lat. *Concil. T. IV.* p. 1117.

PAMPHILVS.

Ortu Phœnicius, anno 294. clarus, Pierii Alexandrini discipulus, ipse tandem Presbyter Cæsareæ constitutus, Vir æque munificentissimus atque S. Litterarum Cultor strenuus, qui magnam librorum copiam Cæsareæ comparavit, Martyr factus anno 309. Descripsit Pamphilus ex Origenis Hexaplis, *Versionem LXX.* atque in Ecclesias Palæstinæ, hinc *Palæstinam* dictam, introduxit. Extat manuscripta penes Claramontanos Patres, teste Huetio *Origen.* l. 3. c. 2. §. 4. Scripsit quoque, dum in carcere includeretur, *Libr. V. Apologeticos* pro Origene, quibus VI. addidit Eusebius, post ejus interitum. Primus eorum Latine factus a Ruffino, extat inter Origenis & Hieronymi Opera. Reliquorum verò fragmenta videas apud Photium Cod. 118. Conf. Cl. Cave P. I. p. 76. qui illorum, qui Pamphilum nihil unquam scripsisse autumant, sententiam confutat. Adde Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. I. p. 200.

PANADORVS.

Ægyptius Monachus, Aniani Synchronus, circa an. 401. floruit sub Arcadio Imperatore. Scripsit teste Syncello, *Chronogrophiam*, cujus fragmenta, ex eodem Syncello, ampliſſima exhibet Scaliger, *in animadverſionibus Euſebianis*. De eo Cave P. I. p. 202.

PANDVLPHVS.

Piſanus, Cardinalis, anno 1184. clarus, exaravit *Vitam Gelaſii II. P. R.* quæ cum notis Conſtantini Cajetani prodiit, Romæ, 1638. 4. Scripſiſſe quoque fertur *additiones ad Chronica Damaſi Papæ*, prout obſervat Cl. Cave P. II. p. 232. & Caſim. Oudin. p. 377. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 196.

PANTALEON.

Magnæ quondam Eccleſiæ Dei Diaconus, prout ſemet vocat, *Sermone de Luminibus S.* Salvatore puta ejusque Præcurſore, qui habetur gr. & lat. *inter Orthodoxogr. SS. Patr. græc. Grynæi* f. 396. & in auct. Combefiſii, quod Pariſ. 1648. f. prodiit. Lat. tantum T. II. *Bibl. Patr. Pariſ. edit.* 2. f. 1165. Idem cum alio quodam *Sermone in Exaltationem S. Crucis* extat, T. VII. *Bibl. Colon.* & apud Gretſer. *de Cruce* T. II. col. 1233. *Orationes II. in Domini transfigurationem glorioſam* gr. lat. apud Combefiſiū *Auct. Nov.* T. I. col. 1579. quarum tamen poſtremam Pantaleoni abjudicat. *Laudatio S. Michaelis, Archangeli*, apud Lipomannum, & Surium, aliosque. Tract. *de Proceſſione SS.* adverſus græcorum errores, lat. in *Bibl. Patr. edit. Lugd.* 1677. T. XXVII. & apud Petrum Stevartium *auctar.* 1616, 4. Ingolſtadii vulgato p. 535. Cæterum cum Caveo *Diſp. I.* poſt P. II. p. 15. & Oudino p. 529. Combefiſii amplectimur ſententiam, qui noſtrum Pantaleonem Diaconum, cum Pantaleone Presbytero pro uno eodemque agnoſcunt. Ætatem ejus quod attinet, Bignæus ad VII. Sec. eum retulit, ad annum verò 850. Coccius. Oudinus eum reponit ad annum 1252. Grynæus & Cl. Cave l. c. ingenue ſcripſerunt: non liquet.

PAPHNVTIVS.

Ortu forſan Ægyptius, Anachoreta, circa annum 370. floruit, cujus Vitam prolixe deſcribit Palladius, *Hiſt. Lauſiaca*, cap. 62. ſeqq. Scripſit *Vitam S. Onyphrii, Anachoretæ celeberrimi & aliorum ejus temporis Patrum*

Patrum Eremitarum, quam vide apud Surium d. XII. Jun. & Rosweydum, de *Vitis Patrum*. Lib. I p. 99. Manuscriptum græcum adservatur in *Bibl. Vindob.* Conf. Cl. Cave P. II. p. 45. qui illam a Simeone Metaphraste interpolatam esse, suspicatur.

PAPIAS.

Asianus, Episcopus Hieropolitanus, S. Joh. Auditor, Polycarpi familiaris, teste Irenæo, & Eusebio, cujus elogio vir erat *imprimis difertus ac eruditus & Scripturarum* peritus, Lib. III. c. 38. Quod autem Eusebius illum alio loco, fuisse mediocri admodum ingenio, adserat, ad mysticos quosdam Scripturæ Sacræ sensus restringendum videtur. De Chiliasmo, quem fovit, aliisque ejus erroribus, Conf. Gerhard. *Chiliasmo destructo*. p. 184. 306. seq. Augustus Pfeiffer. *Antichiliasm*. p. 104. seq. Martyrem ipsum facit Steph. Gobarus, apud Photium, Cod. 232. qui sub M. Aurelio, Pergami, fuerit passus. Scripsit Papias *Lib. V. Explanationum Oraculorum Dominicorum*, quorum saltem fragmenta, *de Millenio, de Matthæo & Marco, apud Irenæum*, L. 5. c. 33. Eusebium l. 3. c. 39. Andream Cæsareensem *Comment. in Apocal. Serm. 12.* & apud Oecumenium *in cap. 27. Matthæi* extant. Cæterum observes, minus probabile nobis videri illud Du Pinii adsertum, quo Libros V. Papiæ, Trithemii adhuc tempore superfuisse, frustra fuit persuasus. Solide hanc litem diremit, Vir de antiquitatibus meritissimus, Guil. Cave P. II. p. 15. Conf. quoque eundem Du Pin. *Bibl. Nouvelle*, T. I. p. 53. Arnoldum *Hæresiolog.* P. I. p. 45. quem tamen cum judicio legas.

PARATVS.

Scripsit Sermones *de Tempore & Scriptura Sacra*, Argent. 1487. Hagen. 1510. 4. Conf. Simler. f. 541. a.

PARDVLVS.

Abbas Dervensis, ex Vice Domino Ecclesiæ Remensis, Laudunensis Episcopus, circa ann. 847. factus, anno 848. Synodo Carisiacensi 849. Parisiacensi. 852. Vermerensi. 853. Svessionensi & Vermerensi II. interfuit. Obiit posthæc anno 856. *Epistola ejus ad Hincmarum Remensem* scripta, extat inter *Hincmari opera*, T. II. p. 838. de eo Cave P. I. p. 379.

PASCHA-

PASCHALIS. P. R. I.

Ortu Romanus, Ecclesiæ Rom. Presbyter, S. Stephani abbas, & anno 817. P. R. constitutus, Iconoduliæ Patronus, & propugnator, anno 824. ad plures transiit. Scripsit *Epistolas III. Concil.* T. VII. pag. 1502. & 1869. contentas. Vid. Cave P. I. p. 365. Lud. Jacob. à S. Carolo *Bibl. Pontif.* p. 168. seq. Baronius *annal.* T. IX. Joh. a Bosco in *Bibl. Floriac.* Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 177.

PASCHALIS II. P. R.

Rainerius vel *Ragingerius* antea dictus, natione Tuscus, Bledâ, Flaminiæ oppido oriundus, Presbyter & Cardinalis, titulo S. Clementis, a Gregorio factus, abbas item SS. Laurentii & Stephani, Vrbano anno 1099. in Sede Romana successit. Res, quas habuit cum Henrico Imperatore, ejusque perfidiam & Superbiam, exacte describit Cl. Cave P. I. p. 440. Obiit anno 1118. *Epist.* CVII. & *fragmenta* plura decretorum vid. *Concil.* T. X. p. 622. *Epist.* VI. apud Baluz. *Miscellan.* T. II. *Epistol.* ad Norigandum Episcop. Augustodunensem, apud eundem in *append. ad Reginonem* p. 651. Conf. Lud. Jacob. a S. Carolo l. c. p. 169. Du Pin. *Bibl. Nouv.* p. 38. seqq.

PASCHASINVS.

Lilybetanus in Sicilia Episcopus, Cyrilli, & Leonis P. R. familiaris, vixit circa ann. 443. qui proinde alius ab illo, qui sub Genserico martyrium obiit, Prospero memoratus, esse videtur. Anno 451. a Leone P. R. ad Concilium Chalcedonense missus, primus ejus decretis, Leonis nomine, subscripsit. Extat ejus *Epistola de Paschatis observatione ad Leonem* Papam, inter *Leonis Epistolas*, & emendatior apud Bucherium, *de Doctrina Temporum.* p. 75. Alia ad eundem *Epist. de damnatione Dioscuri*, in Conciliorum Tomis. *Acta Concilii Chalcedonensis* Paschasino quidem tribuit Trithemius, quem tamen ob id notavit Cave, P. I. p. 247. Conf. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 205.

PASCHASIVS.

Ecclesiæ Romanæ Diaconus, ab anno 501. ad 512. floruit, quo ipso e vivis decessit. Lepidam de Paschasii anima, Purgatorii flammis

mis exusta, vid. apud Gregorium, *Dialog.* L. IV. c. 40. Scripsit Paschasius *Epistolam ad Eugyppium*, quæ apud Surium d. VIII. Januarii & Baronium, ad ann. 496. Libr. II. *de Scriptur. S. contra Macedonium*, Colon. 1539. 8. Helmstad. 1613. cura Joh. a Fuchten, prodierunt. Inserti etiam *Bibl. Patr.* T. IX. Paris. edit. 2. f. 741. & *edit. noviss.* T. VIII. p. 806. Hos quidem Paschasio abjudicat Casimir. Oudinus. l. c. p. 107. a quo tamen prægnantiores ob causas recedit Cl. Cave P. I. p. 271. quas ibidem evolve. De eo Labb. *de Script. Eccles. Diss. II.* p. 154. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 273.

PASCHASIVS RADBERTVS.

Ortu Gallus, ex Monacho Corbejensi ad Samonam in diœcesi Ambianensi, non vero Corbejensi ad Visurgim, in inferiori Saxonia, Monasterii, abbas ab anno 844. ad 851. quo obiit. Synodum Carisiacensem adversus Goteschalcum anno 848. frequentavit, primus autor juxta Bellarminum, Sirmondum & alios, qui copiose & serio de Veritate corporis & Sanguinis Domini in S. Cœna scripsit. Vide, quæ ex ipso Paschasio adduxit Cl. Cave P. I. p. 376. Scripsit *Comment.* Lib. X. in *Matthæum. Expositionis* L. III. *in Psalmum* XLIV. *Expos. in Threnos Jerem. Lib. V.* quæ Basil. 1502. Colon. 1532. prodierunt. Lib. *De Sanctorum Cœna ad Placidum*, quem tamen multi Rabano Mauro vendicant, cujus sub nomine Coloniæ 1551. 8. prodiit. Hagenoæ antea editus, 1528. & genuino autori restitutus, Lovanii, 1561. Helmstadii 1616. cura Joh. a Fuchten. Argumenta, quibus hunc Paschasio librum restituit Cave, evolve P. I. p. 376. *Epistola de Corpore & Sanguine J. C. ad Frudegardum* & alia, habentur in Comment. ad Matthæum. *Vita S. Adelhardi abbatis Corbejensis* apud Surium & Bollandum d. 2. Jan. *Passio Sanctor. Ruffini & Valerii Martyrum:* quæ omnia junctim prodierunt Parisiis 1618. f. cura Jac. Sirmondi. Extant quoque in *Bibl. Patr.* T. XIV. p. 356. *Vitam S. Walæ, Abbatis*, sub titulo: *Epitaphii Arsenii*, scriptam exhibet Joh. Mabillon *Sec. Bened.* IV. P. I. p. 453. *Lib. II. de partu Virginis*, sub Ildefonsi Toletani nomine hactenus vulgatos, Paschasio restituit Lucas Dacherius, *Spicil. T. XII.* p. 1. Conf. Labbeus. T. II. p. 155. Oudin l. c. p. 241. Sanmarth. *Gall. Christ.* T. IV. *de Abbatibus Corbejensibus.* Sirmondus in *præludiis ad Opera Paschasii.* Du Pin. l. c. T. VII. passim, juxta cum aliis.

PATERIVS.

Notarius, & Secundicerius Romanus, circa ann. 601. & deinde juxta Arnoldum Wionum *l. 2. de ligno Vitæ* c. 38. Episcopus Brixiensis. Collegit ex Gregorii M. Præceptoris sui, Operibus, Lib. III. *Explanationum in obscuriora utriusque Testamenti loca*, excusos Romæ, 1553. f. & inter Opera Gregorii, ibidem, 1591. & editionibus aliis. Codices manuscript. plures se vidisse quidem testatur Casimirus Oudin. l. c. p. 156. vel unicum tamen integrum in Bibliotheca Cœlestinorum Parisiis extantem, Librisque tribus omnibus absolutum. Idem Oudinus, quem postea Cl. Cave P. I. p. 313. sequitur, memorat, Libros saltem duos hucusque eorum prodiisse, medium autem nunqnam fuisse publicatum, prout ex diligenti manuscripti hujus cum impressis collatione res ipsa comparuerit. Conf. Cl. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. V. pag. 146.

PATRICIVS.

Succat quoque dictus, patria Nemthuriensis, quæ hodie *Kirkpatrick* dicitur, Angliæ oppido inter fretum Dunbrittonæ & urbem Glascuensem sito, oriundus circa ann. 371. Hibernorum Apostolus & Archi-Episcopus a Cœlestino constitutus, Christianam Religionem longe lateque disseminavit. Obiit anno 493. ætatis 122. Vide quæ de ejus gestis post alios fuse exhibet, Armachanusde *Britan. Eccles. Primord. c.* 17. & quæ in Compendio sistit Cl. Cave P. I. p. 236. Opera ejus, ibidem recensita, produxit Jacobus Waræus, Londini, 1656. 8. *Sermonem*, quem Patricio affinxit Ricardus Stanihurstus *in Vita Patricii* Lib. II. Antw. 1587. edit. & Mesingamus ad finem *Florilegii sui Hibernici*, Paris. 1624. tanquam spurium, prætermisit Waræus. it. *Epistolam de missione ad Hibernos* a Gerardo Vossio excusam, & *Bibl. Patr. Colon.* 1618. insertam, eamque supposititiam, pariter omisit. *Lib. de Abusionibus Seculi*, inseruit quidem Waræus, dubiam tamen non immerito illam pronuncians. Plura suppeditant Baleus, Pitseus, & alii.

PATRICIVS ARARSIVS.

Ignotæ gentis, ætatis, & conditionis Scriptor, de quo omnes ferè Scriptores silent. Vnicus nobis constat Cave, qui P. I. p. 389. illum Sec. IX. antiquiorem facit. Scripsit Patricius Librum, *Oceanum*

num dictum, cujus præclarum de Meletio & Ario fragmentum, apud *Libelli Synodici*, a Pappo editi, autorem, habetur.

PAVLINVS.

Aquilejensis sive Forojulienſis Eccleſiæ Patriarcha, anno 776. creatus. Auſtriacum natione fuiſſe, ſunt qui aſſerant. Vir cæteroquin eruditus, qui Elipandi & Fœlicis dogmata ore & Scriptis exagitavit. Obiit anno 802. juxta Bellarminum, rectius 804. ex mente Cavei P. I. p. 348. inque majori urbis Forojulienſis Baſilica tumulum invenit, teſte Labbeo p. 159. Ejus Liber *de SS. Trinitate anno 798. adverſus Elipandum & Fœlicem* ſcriptus, habetur, Concil. T. VII. p. 1022. & *Bibl. Patr. edit. 2. Paris.* T. IV. f. 453. & poſt *Alcuini Opera*, ab Andrea Duchesnio Paris. 1617. edita. Idem Duchesnius primus protulit, ejusdem *Paulini adverſus Fœlicem* Lib. III. cum *Epiſtola ad Carolum M.* & *regula fidei metro exarata*, prout docet Labbeus l. c, qui ſimul oſtendit, *Libros VII. contra Fœlicem*, ſub Paulini nomine evulgatos, non ejus, ſed Alcuini fœtum eſſe genuinum. *Epiſtola ad Heiſtulfum increpatoria*, Concil. T. VII. p. 1064. *Epiſt. ad Carolum M.* ibid. p. 1187. Lib. *de Salutaribus Documentis* reperitur in noviſſima *Operum Auguſtini* editione Pariſienſi. *Fragmenta* quædam vid. apud Baluz. *Miſcell.* T. I. p. 362. *Hymni S.* de quibus Walafridus Strabo *de rebus Eccleſ.* c. 25. loquitur, ſine dubio intereriunt. Conf. Aubertus Miræus *Auct. de Script. Eccleſ.* c. 225. p. 223. Oudin. *Supplement. de Script. Eccleſ.* p. 209.

PAVLINVS.

Biterrenſis in Gallia Epiſcopus anno 410. clarus, cujus Epiſtolam *de ſignis terrificis* memorat Miræus, quam vide apud Baronium *Annal.* ad ann. 418. Ejus eſſe *Martyrium S. Geneſii*, Paulino Nolano vulgo adſcriptum, innuit Rosweydus *in notis*. De eo Miræus *Auct.* c. 63. & Cave P. I. p. 213. Oudinus l. c. p. 62.

PAVLINVS.

S. Ambroſii Mediolanenſis Diaconus, Notarius & Presbyter, ann. 420. clarus, ſcripſit *Vitam Ambroſii*, ejus operibus præfixam. *Libellum*, quo Zoſimo P. R. gratias agit ob damnatos Pelagium & Cœleſtium Concil. T. II. p. 1578. Liber vero *de Benedictionibus Patriarcharum*,

qui Rufini Aquilejensis est, falso ab Isidoro Hispalensi, *de Script.* c. 4. Paulino tribuitur. Evolv. Cl. Cav. P. I. p. 221. Oudinum l. c. Isidorum Hispal. *de Viris Illustribus* l. c.

PONTICVS PAVLINVS NOLANVS.

Ortu Romanus, Ausonii discipulus, Consulatum Romæ gessit anno 375. baptisatus in Patria Burdigaliæ 391. Dein Presbyter ordinatus, Natali Christi anno 393. Hispania vero relicta, cum nulli ibidem Ecclesiæ manciparetur, Italiam petiit, atque S. Ambrosio salutato, Nolam venit, ejus Ecclesiæ Episcopus factus. Obiit Vir admodum pius, an. 431. Ejus Eruditionem, Poeseos & Oratoriæ peritiam alii prædicent. Vide pluribus *Vitam Paulini*, à Francisco Sachino, Societatis JEsu, concinnatam, & Antwerpiæ absque autoris nomine, anno 1622. publicatam ab Herib. Rosweido, qui etiam omnium Paulini Operum editionem, anno dicto, typis Plantinianis, una cum suis atque Frontonis Ducæi notis, emisit. Attingemus hac occasione breviter varias illorum editiones. Prima prodiit Paris. 1516. Colon. 1560. Antwerp. 1622. 8. Optima non immerito habetur, Parisiis 1685. 4. T. II. excusa. Extant quoque inter *Orthodoxo gr.* T. II. p. 75. & in *Bibl. Patr.* T. VI. p. 163. Enumerata ista lege apud Labbeum p. 162. seqq. Caveum P. I. p. 169. & alios. Singularia reperies in Chiffletii *Paulino illustrato*, qui Divinione 1662. 4. prodiit. Adde quod *Paulini Poemata quatuor hactenus anecdota*, quorum priora tria Natali S. Felicis consecrata sunt, ultimum autem adversus Judæos & gentiles directum, eorum errores solide ac eleganter confodit, ex Codice vetustissimo primus produxit, Ludovicus Antonius Muratorius, *in Anecdotis*, quæ ex Ambrosianæ Bibliothecæ Codicibus, Mediolani, vulgavit. 1697. 4. Vide omnino, quid hac de re commoneant Actorum Lipsiensium editores Clarissimi, ad annum 1698. p. 58. De memorata toties & plane extraordinaria ejus charitate, quam post Augustinum l. 1. *de Civit. Dei* c. 10. Gregorius & Baronius quoque celebrant, vide crisin D. Nic. Hunnii, *Pelle Ovin.* §. 749. & Dannh. P. II. *Lact. Catechet.* p. 474. Historiæ veritatem dubiam facit Osiander, *Cent. V.* p. 388. De eo ex antiquioribus Gennadius Massil.

Massil. & post illum Aub. Miræus *in Schol.* ad c. 48. Joh. Alb. Fabricius *Bibl. Lat.* passim. Elias Du Pin *Bibl. Nouv.* T. III. p. 146.

PAVLINVS.

Gallus Petricordius, anno 461. floruit, non vero 480. ut in Labbeo & Oudino notat, Cl. Cave P. I. p. 256. Ejus sunt *de Vita S. Martini* Libr. VI. carmine heroico descripti, quos sub Paulini Nolani nomine prodiisse videas, Paris. 1585. & in *Bibl. Patr.* & *app. Bigneana*, p. 852. Nostro Paulino vendicarunt *Collectores Bibl. novis.* T. VI. p. 297. & Cl. Daumius, qui illos cum Fr. Jureti, Casp. Barthii, Joh. Fr. Gronovii, suisque notis, Lipsiæ 1686. 8. recudi fecit. Prodierat ante Paris. 1684. 4. teste Oudino. Ad Calcem hujus carminis aliud, *de Visitatione Nepotuli* sui reperias. Reliqua, Gennadio memorata, jam pridem deperierunt. Conf. Gennadius *de Script. Eccles.* c. 68. Aub. Miræus *in Bibl. Eccles.* Bellarminus, Labbeus, Oudin, Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 222.

PAVLVS.

A patria *Anglicus* dictus, Decretorum Doctor, circa ann. 1404. vixit, cujus *aureum Speculum*, sive *Dialogum inter Petrum & Paulum*, quo vitia Curiæ Romanæ detegit, extat apud Goldastum, *Monarch.* T. II. p. 1517. Conf. Cl. H. Wharton *app. Cav.* p. 54.

PAVLVS.

Benridiensis Canonicus & Præpositus Canonicorum Regularium D. Augustini, circa ann. 1086. scripsit *de rebus gestis Gregorii VII. P. R. & Vitam S. Herculæ Virginis*, quæ extulit Jac. Gretserus Ingolstad. 1610. 4. & post ipsum Bollandistæ. Conf. Casimir. Oudin. p. 347. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 109.

PAVLVS CARTHAGENA a S. MARIA.

Hispanus Burgensis, e Judæo Christianus ex D. Thomæ Lectione factus, Trevigni Archidiaconus, Carthaginensis & Burgensis Episcopus, Regnorum Castellæ & Legionis Archi-Cancellarius,

ac demum Patriarcha Aquilegensis consecratus, claruit. 1415. Obiit 1435. De eo præter Trithemium, Sixtum Senensem, Bellarminum, Labbeum, Caveum, Confer quæ habent Joh. Mariana, *Hisp. rerum* Lib. 19. c. 8. Schottus *Bibl. Hist.* T. II. f. 191. 225. Vossius *Hist. Lat.* l. 3. c. 7. Joh. Lucidus Samotheus *Chron* f. 187. a. Reuchlinus *Rudiment. Ebr.* f. 321. *qui eum Sacrarum Litterarum expositorem litteratissimum & Doctorem doctissimum* vocat. Scripsit Paulus *additiones morales ad Postillas Nicolai de Lyra in totam Script. S.* Lugd. 1590. & alibi editas. *Scrutinium Sanctor.* Lib. II. Mantuæ 1474. f. Burgis 1591. f. *Quæstiones XII. de Nomine Tetragrammato*, cum notis Joh. Drusii, Franekeræ, 1604. 8. *Discursum ejus de Celebratione Paschatos* notis illustravit & edidit D. Joh. Behmius, Regiomonti, 1610. 4. *Vitam Pauli* Christophorus Sanctorisius, qui Scrutinum Sanctorum Burgis 1591. extulit, eidem præmisit.

PAVLVS.

Monotheletarum Patronus, Pyrrhi in Patriarchatu Constantinop. Successor, vixit anno 642. Obiit anno 651. Extat ejus *Epistola ad Theodorum P. R.* de recipiendo edicto Imperatorio gr. lat. Concil. Lateran. act. 4. Concil. T. VI. p. 221. Fragmentum *Epistolæ ad Theodorum Pharanitam*, Concil. T. VI. p. 839. De eo Cave P. I. pag. 322.

PAVLVS CORTESIVS.

Italus, Protonotarius Apostolicus, anno 1500. clarus, commentatus est *in IV. Libros Sententiarum*, atque in *eosdem Disputationes edidit*, Paris. 1513. fol. & inter *Savanarolæ Opuscula*, Basil. 1540. f. *De Cardinalatu* Lib. X. Cortes. 1510. f. *De Script. S. omniumque disciplinarum scientia*, Basil. apud Henr. Petri. Libros VI. *de Principe*, quos ipse in *præf. sua* ad *Sententiarum* Lib. memorat. Hæc & alia Cl. Cave P. II. pag. 319.

PAVLVS CYRVS FLORUS.

Nobili gente conspicuus, ab officio *Silentiarius* dictus, claruit circa ann. 555. Erat Poeta admodum illustris, & descripsit *Templum S. Sophiæ* prolixo carmine, quod primus in lucem cum doctissimis notis græc. lat. protraxit Carolus du Fresne, ad calcem *Hist. Cinnami*

Paris

Paris. 1670. f. Insigniter hoc Carmen collaudat Agathias, de rebus Justiniani. Lib. V. & cum eo citatus du Fresne & Cave P. I. p. 294. Plura, Paulo ab Agathia tributa, Carmina, procul dubio interierunt.

PAVLVS.

Diaconus Ecclesiæ Neopolitanæ, quem Labbeus ad an. 640. retulit, in *Chronol. Script. Eccles. Vitam S. Mariæ Ægyptiacæ* a Sophronio Hierosolymitano græc. scriptam, e Græco in Latinum vertit. Vide illam apud Continuatores *Bollandi* d. IX. April. Conf. de eo Sigebertus *Lib. de Scriptor.* c. 96. Henr. Gandavensis *Caml.* cap. 8. Oudin. l. c. p. 168.

PAVLVS EMERITENSIS.

In Hispania Diaconus, juxta Labbeum anno 610. clarus, scripsit *Lib. de Vita & miraculis Patrum Emeritensium*, editum a Thoma Tamajo, Antwerpiæ, 1635. 4. De eo Baronius ad ann. 589. Loaisa *in not. ad Concil. Toletanum.* Ambros. Morales Lib. II. *Chronol. Hist.* c. 71. Mariana Lib. V. c. 13. Bernhard. Britto L. VI. *Monarchiæ Lusitanicæ* c. 19. seq. Aub. Miræus in *Auct. de Script. Eccles.* c. 174. p. 214. & qui hos omnes adlegat, Casim. Oudin. p. 157.

PAVLVS EMESENVS.

Episcopus, qui concilio Ephesino anno 431. interfuit, Nestorii Patronus, Cyrilli verò inimicus, cum quo tandem amicitiæ fœdus pepegit. Ejus *Libellus de fide* & *Homiliæ II.* Alexandriæ habitæ, extant græc. lat. Concil. T. III. p. 1089. 1096. *Epistola ad Anatolium*, militiæ præfectum, inter *Lupi Epistolas Ephesinas* lat. habetur, num. 107. Conf. omnino Cl. Cave P. I. p. 234. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 66.

PAVLVS MIDDELBVRGIVS.

Familiæ nomine carens, more gentis a natali solo cognomentum mutuatus, Italiam transgressus Foro Sempronienſis factus Episcopus, Concilioque Lateranensi interfuit, anno 1513. Laudes ejus vide penes Aub. Miræum, *Elog. Belg.* f. 18. Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 716. & Labb. p. 173. Edidit *de Paschali observatione ad Leonem X. P. R. Libros XIV.* impressos Foro-Sempronii 1513. quod opus

Pauli-

Paulina de Paſchate, dici ſolet. Item, *de die Paſſionis Dominicæ*, ad Maximilianum I. Imperatorem, Libr. XIX. Ibidem & eodem anno excuſos.

PAULUS.

Gente Perſa, Neſtorii diſcipulus, & Diaconus juxta alios, quem proinde Cl. Cave P. II. p. 85. ad ann. 436. repoſuit. Libri ejus *de Judicio*, quo Neſtorii cauſam defendit, fragmentum, exhibet S. Maximus in Tomo dogmatico contra Monotheletas, inter *Opuſcula Theol. & Polemica* T. II. p. 91. & *Concil.* T. VI. Col. 320. idem habetur. Scripſerit quoque *de Vero Bono*, cujus libri fragmentum extat, inter *excerpta Miſcell. Bibl. Vindob.* f. 104. Caveo memorata.

PAULUS PERUSINUS.

Sive de Peruſio, Carmelita, anno 1344. ſub Clemente VI. clarus, juxta Trithemium *de Script. Eccleſ.* f. 110. & Simler. f. 547. qui tradunt, eum ſcripſiſſe in *Libros Sententiarum & Quodlibeta*. An alicubi illa lucem viderint, preli beneficio, & quando, non conſtat, Dorſcheus tamen *Syllog. Semeſtr.* p. 92. Gabrielem Barlettam allegat, e comment. Peruſini in Lib. Sentent. nonnulla producentem.

PAULUS I. P. R.

Gente Romanus, Eccleſiæ Romanæ Diaconus, anno 757. Fratri Stephano in Sede Romana ſucceſſit. Obiit anno 767. Habentur ſub ejus nomine *Epiſt.* XII. *Concil.* T. VI. p. 1672. quas tamen ſuſpectas & ſuppoſititias eſſe, exiſtimat Papebrochius, obſervante Caveo, P. I. p. 345. Conf. Lud. Jacob a S. Carolo *in Bibl. Pontif.* p. 170.

PAULUS II. P. R.

Petrus Barbus alias vocatus, Venetus, mercaturæ primum, poſt Litterarum ſtudioſus, Jacobi Ricionii diſcipulus, Archidiaconus Bonon. Epiſcopus Cerviæ, Protonotarius Apoſtolicus, & Cardinalis, titulo S. Marci, Pontifex demum anno 1464. conſecratus. Hic primus autor galeri coccinei, quem Cardinales geſtant. Obiit Apoplexia 1471. Scripſit varias *Epiſtolas*, quas vide *Concil.* T. XIII. p. 1434. *in Collectione*, Romæ, 1579. edit. & in *Cherubini Bullario magno*, ibid. 1638.

Conf.

Conf. si placet Wharton, *app. Cav.* p. 100. Bartholomæus Platina, Rodericus Sanctius, Ludovicus Jacob & alii.

PAVLVS SVEVVS.

Wilensis, floruit circa finem Sec. XV. donec post exilium triennale, quod pro veritate Catholica passum tradit Willotus, *Athen. Francisc.* p. 291. Keisersbergam reversus, fatis concessit, anno 1504. Edidit *Lecturam & explanationem in I. Sentent. Scoti*, impressam Tubingæ, 1498. Simlero, cæterisque ignoratam aut præteritam.

PAULUS WANN, vide WANN.

PAULUS WARNEFRIED, vide WARNEFRIED.

REGINALDVS PAVO.

Anglicè *Peacock*, Anglus Cambrobritannus, SS. Theol. Doct. Episcopus Asaphensis atque Cicestrensis circa annum 1443. floruit. Ejus doctrinas, fata, & alia notatu digna refert H. Wharton l. c. p. 84. seqq. Scripsit *Lib. II. de Fide*, quorum posterior integer, è priore autem excerpta prodierunt, Londini, 1688. 4. Integrum Opus manuscript. extat in Bibl. Collegii SS. Trinit. Catabrig *Repressorem Nimiæ Cleri reprehensionis Lib. V.* quorum contenta enumerat doctissimus Wharton l. c. qui reliqua Peacockii Scripta ex Baleo & aliis exhibuit. Collectanea quædam ex Peacockii Scriptis edidit Joh. Foxus, Argentorati, 1554. 8.

PELAGIVS.

Ex citeriore Britannia oriundus, *Morgan* sive *Marigena* dictus, Monachus, nunquam vero Bannochorensis abbas, prout Ranulphus Cestrensis, Joh. Tinmuthensis, Nicolaus Cantilupus, Cajus, Baleus, ob id à Cavio notati, somniarunt. Romam anno 405. profectus, hæreseos suæ semina spargere cœpit. Hujus quidem criminis acusatus, diversis Orthodoxos vicibus, fraudulenter decepit. Post vero anno 418. a Concilio Carthaginensi & Milevitano publice damnatus. Docebat autem Pelagius, Peccatum Originis esse nullum, neque baptis-

mum ea de causa necessarium. Liberum hominibus in Spiritualibus arbitrium, tribuebat, causamque Salutis in bonis Operibus ponebat. Alios quoque fovebat errores, quos in præsenti non attingimus. Scripsit *Expositionum in Epistolas Paulinas* Lib. XIV. de quibus Cl. Cave P. I. *Hist. Litter.* p. 208. docte disseruit. *Epistola ad Demetriadem, de Virginitate: Libellus fidei ad Innocentium P. R.* Hieronymo & Augustino hactenus falsò adscripta, inter illorum opera exstant. *De fide Trinitatis* Lib. III. *Liber Testimoniorum: Epistolæ II. ad viduam.* Lib. IV. *de libero Arbitrio: de Natura Liber: Epistola ad Paulinum & alia ad Constantium*, juxta cum aliis, quorum saltem fragmenta vel memoria supereſt, memorantur Baleo, *Centur.* V. c. 18. de eo Gennadius Massil. & Aub. Miræus *in Scholio* ad c. 42. Conf. Arnold. *in Hæresiologia.* Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. III. p. 153. & Cl. Buddeus *in Lexico.*

PELAGIUS.

Gente Hispanus, Ovetensis in Hispania Episcopus, ann. 1109. claruit. Scripsit *Chronicon Hispaniæ*, quod cum aliis Prudentius Sandovalius 1615. produxit. Alteram quidem editionem promisit Card. d' Aguirre, *Notit. Concil.* p. 363. quam tamen non vidimus. *Commentarium* item *de præcipuis Hispaniæ urbibus*, manuscriptum memorat Antonius, *Bibl. Hisp. Vet.* T. II. Lib. VII. c. 3. p. 9. qui admodum erudite de hoc & priori Scripto disserit.

PELAGIVS. I. P. R.

Patria Romanus, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, ex Agapeti, Silverii ac Vigilii, Pontificum Rom. Apocrisiario, & postquam præclarè multa gessisset, anno 555. P. R. factus, anno 559. e terra migravit. Extant *Epistolæ XVI.* Concil. T. V. p. 788. T. I. *Epistolarum Pontif.* & T. VII. *Annal. Baron.* Aliarum *XII. Epistolarum* fragmenta primus extulit Lucas Holstenius, quæ hinc translata videas *in Concil.* T. V. pag. 805. Hic idem Pelagius in latinum transtulisse scribitur Librum, *de Vitis Patrum* anonymum, qui in Plantiniana editione, ann. 1615. & 1628. ordine quintus est. Conf. Heribertus Rosweydus *in suis ad Vitas Patrum Prolegomenis.* Aub. Miræus Auct. c. 156. & in *Scholio ad Hieron. Catalogum*, Cap. ultimo p. 38. Add. Cl. Cave P. I. p. 293. Oudin. *Supplem.*

Supplem. de Scriptor. Eccleſ. p. 126. Platina, Duchesne, Gesnerus, Du Pin, & alii. Epitaphium Pelagii ſatis elegans fiſtit Ludov. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 175.

PELAGIVS. II. P. R.

Gente Romanus, Papa conſecratus anno 579. Obiit anno 590. tabe inguinaria confectus. Extant ſub ejus nomine *Epiſtolæ* X. & *Decreta VI. Concil.* T. V. p. 931. apud Baronium & inter *Epiſtolas Pontif.* T. I. & alibi. Primam tamen epiſtolarum, ſecundam, octavam & quintam, ſpurias eſſe, lubentes agnoſcunt ipſi Conciliorum editores. Plura dabunt Cave, Gesnerus, & Ludov. Jacob a S. Carolo l. c. p. 176. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. V. p. 92.

PELBARTUS OSWALDUS.

Hungarus Temiswarienſis, Ord. Minor. anno 1501. clarescens, ſcripſit *Aureum S. Theologiæ Roſarium*, ex Bonaventura, aliisque confectum, quod, cum mortis præventu vix abſolveret, ejus perduxit diſcipulus, Osvaldus a Lasco. Prodiit autem Hagenoæ, 1504. 1508. Vol. 2. fol. Venet. 1586. 1589. T. IV. Brixiæ, 1594. *Sermones de Tempore & de Script. S.* Pariſiis excuſi ſunt. *Quadrageſimale triplex* & *Stellarium B. Virginis*, junctim prodierunt, ſub titulo: *Pomærium Sermonum*, Hagenoæ, 1475. 1498. Venet. 1586. 4. 1596. *Stellarium Coronæ B. Virginis*, impreſſum quoque Venet. 1587. *Comment. in Pſalmos*, Hagenoæ, 1504. Conf. Cl. H. Wharton *Cav. append.* pag. 132. Henr. Willot. *Athen. Franc.* p. 309.

PERDICCAS.

Protonotarius Epheſinus, cujus *expoſitionem Spectaculorum Dominicorum & memorabilium*, quæ Hieroſolymis videntur, edidit Frider. Morellus, Pariſienſis, & poſt illum multo accuratiorem, eamque græce & latine, Leo Allatius, *Symmict. P. I.* p. 65. De eo Cl. Cave *diſſert. I.* P. II. *Hiſt. Litt.* annexa, qui illum inter ignotæ Scriptores ætatis, collocavit.

PEREGRINVS.

Laureacenſis, ex Pictavienſis Eccleſiæ Præſule, Archi-Epiſcopus, circa annum 970. ſicut ex Caſpari Bruſchii Libro, *de Veteri*

Laureaco, Bignæus retulit, *Bibl. Patr. Indice Chronologico*, qui & ejus *Symbolum, sive fidei confessionem*, communicavit. T. IV. *edit.* 2. f. 1175. *Epistolam* vero integram, ad Benedictum VII. P. R. ex qua Symbolum est decerptum, exhibet, *Concil. T. IX.* p. 716. emendatiorem Cl. Lambecius, *Comment.* l. 2. c. 8. p. 641. Agit de hoc Peregrino Guil. Cave P. I. l. c. p. 411.

PEREGRINVS.

Bononiensis, Minorita, circa annum 1249. *Chronicon Ordinis* ad Gondisalvum, Generalem, scripsit, teste Willoto, *Athen. Franc.* p. 291. Excusum illud Simlerus tradit *Epitom.* f. 549. locum tamen non addidit, forte, quia ignoravit.

PERPETUUS.

Natione Gallus, Parentibus, Senatoriâ dignitate conspicuis, oriundus, Eutochii anno 461. in Sede Turonensi successor, anno 490. vel sequenti e vivis decessit. *Testamentum & Epitaphium* ejus exhibet Dacherius, *Spicileg.* T. V. *Ordinem* ab eo institutum vide apud Gregorium Turonensem, *Histor. de Gestis Franc.* Lib. X. c. 30. Conf. omnino Cl. Cave P. I. p. 256.

PETILIANUS.

Constantinianensis in Numidia Episcopus, Donatistarum Antesignanus, qui anno 399. vixit, homo audax & sui plenus, in disserendo promptior, quam eruditior, prout illum Cl. Cave P. II. p. 61. depingit. Scripsit *Lib. de unico baptismo*, quem Augustinus peculiari tractatu, *de baptismo unico adversus Petilianum*, confutavit. *Epistolam* item *Encyclicam* ad suæ partis Presbyteros & Diaconos, quam cum *Augustini confutatione*, quæras inter ejus Opera, nuper a Mabillonio producta.

FRANCISCUS PETRARCHA.

Florentinus, Patre Florentino, aut Aretii in Tuscia, aut juxta Vossium, circa Anciſam, Florentini agri vicum, Majorum suorum sedem, anno 1304. natus, anno 1374. denatus. Dantis Aligerii quondam discipulus, inde & Poëta ingeniosissimus, primus Poëta Laureatus, Romæ factus, die Resurrectionis Dominicæ, anno 1341. ætatis

suæ

ſuæ 37. pro avorum memoria Bibliothecas in 100. annos clauſas, primus reſeravit. Conf. Vives *de trad. Diſcipl.* l. 3. Lomeier. *de Biblioth.* p. 196. Parmæ quoque Archidiaconus, atque demum Canonicus Patavinus. Imò Cardinalis a Benedicto XII. creandus, modo Sororem, elegantiſſimæ formæ virginem, ab eo ſtuprari paſſus fuiſſet, prout equidem ex Hieron. Sqarziaficho, qui Petrarchæ quoque vitam ſcripſit, Matth. Berneggerus, *Idol. Lauret.* p. 120. ſeq. refert, quod tamen refellit Thomaſinus, nullam Petrarchæ ſororem, fuiſſe, adſtruens, *in Petrarcha Redivivo*, p. 7. Scripta, quæ reliquit Petrarcha, Labbeus non memorat, forte ob diſplicentes floſculos, quales quoque collegit Lydius, *epiſt. dedicat.* ad Nicolaum Clemangem. p. 4. quibus, in Rythmis maximè Ital. Romam, errorum Scholam, hæreſium Templum, Babylonem falſam, malam &c. appellitat. Prodierunt autem plurima Fr. Petrarchæ Opera, Baſil. 1496. f. & auctiora, ibidem. 1554. 1581. T. IV. H. Whartono ordine enumerata. Adde ſaltem, aliam ejus, *de Remediis utriusque fortunæ*, Libri, editionem, quæ cum præfatione Sebaſtiani Brand, & cum 254. figuris, ligno artificioſe inciſis, germanice prodiit, Francof. ad Mœnum 1559. fol. Librum item Petrarchæ, *de Republica optime adminiſtranda*, & *de officio ac Virtutibus Imperatoriis*, qui Genevæ 1617. 12. extant. Hæc a Cl. Whartono omiſſa, ſupplere voluimus. *Itinerarium Petrarchæ ad ſepulchrum Domini*, Lib. *de Vitis Cæſarum & Pontif.* Rom. L. XV. *Artem ejus Punctuandi*, maximam partem manuſcript. exhibet Whartonus p. 29. l. c. De eo præter Bellarminum, Poſſevinum, Trithemium, Poggium, P. Jovium Raph. Volaterranum, Philippum Bergomenſem, Lilium Giraldum, Leandrum Albertum, Voſſium, Whartonum, Oudinum, Cl. Buddeum, aliosque innumeros, Andreas Schræteren, *in Vita Petrarchæ*, 1622. 4. edita. Thomaſinus quoque *Petrarcham Redivivum* edidit, hoc eſt, integram Poëtæ Vitam, Iconibus ære cælatis ornatam, una cum hiſtoria nobiliſſimæ fœminæ, Lauræ, addita præterea *vitæ* per Paulum Vergerium, Leonhard. Aretinum, aliosque deſcripta, Patavii, & quidem altera vice, 1650. De Laudibus ejus prolixè diſſerit Thom. Pope-Blount *in Cenſura celebriorum autorum* pag. 432.

PETRONIVS.

Italus, Sexti Anicii Petronii Probi, Prætorio Præfecti filius, & ipse Prætor primum, post Bononiæ Episcopus, anno 440. clarus, ante annum 450. expiravit. Ejus est Liber *de Ordinatione Episcopi*, quem alii Parenti ejus perperam attribuerunt. Adscribuntur quoque Petronio *Vitæ Patrum Monachorum Ægypti*, quæ, an cum illis, quæ hodie circumferuntur, coincidant, non immeritò hæsitat, Cl. Cave P. I. p. 246. Conf. de Petronio Gennadius, *de Scriptor.* c. 41. & Aub. Miræus, *in Scholiis.* Elias Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 212. Multos Petronios alios memorat Cl. Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 386.

PETRVS ALEXANDRINVS.

Episcopus Alexandrinus, sub Diocletiano & Galerio Maximino martyr circa annum 311. Divinum Episcoporum decus, atque Christianæ Religionis Doctor eximius, vocatur ab Eusebio L. IX. c. 6. Scripsit *Librum de Pœnitentia*, ex quo supersunt *Canones XV.* græc. lat. *Concil.* T. I. Lib. *de Divinitate*, cujus fragmenta videas *Concil. Ephes. Act. I.* p. 508. *Act. VII.* p. 836. *Concil.* T. III. *Concil. Chalced. Act. I.* p. 286. & alibi. *Diatriba de Paschate*, quæ in Scoriolacensi & aliis Hispaniæ Bibliothecis, adservatur, testibus Du Fresnio, *Præfatione ad Chron. Pasch.* n. VII. Petavio, *in Uranologio*, Paris. 1630. p. 396. Videtamen, quid de eo observet Cl. Cave P. II. *Hist. Litt.* p. 41. & addeDu Pinium, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 32.

PETRVS.

Alexandrinus sub Athanasio Archi Presbyter, atque individuus ærumnarum Comes, hinc ejusdem Ecclesiæ, post Athanasii mortem, Episcopus, anno 371. factus est. Cum autem Ariani prævalerent, a sede detrusus, Romam aufugit, mox tamen a Damaso P. R. eidem restitutus. Tanti fuit habitus a Theodosio, Imperatore, ut eum juxta cum Damaso, Orthodoxæ Veritatis normam, constitueret, eumque, Apostolicæ pietatis virum, appellitaret. Scripsit *Epistolam Encyclicam*, de vi sibi ab Arianis illata, quæ principio saltem & fine truncata, apud Theodoritum l. 4. c. 22. habetur. Alterius *Epistolæ ad Episcopos Ægyptios, fidei causâ exules*, fragmenta duo exhibet Facundus

l. 4.

l. 4. c. 2. & l. 11. c. 2. Hæc & alia exhibent Cl. Cave l. c. P. I. p. 144. Du Pin. l. c. T. II. p. 132.

PETRUS de ALLIACO.

Compendii alias, Piccardiæ oppido, ad Iſaram, 1350. natus, Philoſophiæ ac Theologiæ Doctor inſignis, Academiæ Paris. Cancellarius, Magnus Regiæ Domus Navarræ Magiſter, ac S. Capellæ Palatii Theſaurarius, Regis item Caroli Eleemoſynarius. Ex Archidiacono porrò Cameracenſi, Epiſcopus Anicienſis, ſive Vellavenſis, inde & Cameracenſis creatus, tandemque Cardinalis 1411. titulo S. Chryſogoni. Ita deſcribitur Sanmarth. T. I. *Gall. Chriſt.* f. 243. Piſano Concilio ann. 1409. pariter, atque Conſtantienſi 1414. interfuit. Obiit Avenione, anno 1425. inde verò Cameracum corpus ejus relatum, & hoc nobili Epitaphio in Choro Eccleſiæ conſpicuo honoratum, juxta Sanmarthanos l. c.

Mors rapuit *Petrum*, *petrum* ſubiit putre corpus,
Sed *Petrum* Chriſtum, Spiritus ipſe petit.

Scripta quam plurima reliquit, quæ tamen in unum corpus nondum redacta, neque omnia typis hactenus vulgata, fuere. Potiſſima, eaque excuſa, enarrant, Bellarminus, Labbeus, Valerius Andreæ, & Henr. Wharton. *append. Caveana*, p. 48. Huc faciunt comprimis Theologici Tractatus XVII. quos Leander a S. Martino collegit, & Duaci, 1634. 8. edidit. Sunt autem, *Speculum Conſiderationis* XII. capitibus abſolutum. *Compendium Contemplationis* Tract. III. *De IV. gradibus ſcalæ Spiritualis: Epitome quadruplicis exercitii ſpiritualis: De Oratione Dominica*, Tractatus II. *Expoſitio Salutationis Angelicæ: Verbum abbreviatum ſuper Librum Pſalmorum: Meditationes in Pſalmum XXX. In VII. Pſalmos Pœnitentiales. Meditationes in Cantica Zachariæ, Deiparæ & Simeonis: Expoſitio in Cantica Canticorum*, & cetera. Alia Argentorati prodiit collectio, anno 1490. f. Comprehendit illa *Quæſtiones in IV. Libros ſententiarum: Recommendationem Scripturæ S. Principium in Curſum Bibliorum: Quæſtionem Veſperiarum, utrum Petri Eccleſia lege reguletur? Quæſtio de Reſumpta, Vtrum Petri Eccleſia Rege gubernetur, lege reguletur, fide confirmetur, & jure dominetur.* Seorſim prodierunt *Commentarii breves in Libros IV. Sententiarum*, 1500. 4.

Tracta-

Tractatus de Anima, Paris. 1494. 8. 1505. *Sacramentale*, Lovanii, 1487. *Vita S. Petri de Morone*, sive *Cœlestini V. P. R.* Paris. 1539. 4. & apud Surium d. XIX. Maj. *De Emendatione Ecclesiæ* Liber, extat *in Fasciculo Rerum expetend. Colon.* 1535. p. 203. & apud Wolffium, *Lect. Memorab.* T. I. p. 756. *De Ecclesiæ & Cardinalium autoritate* Liber, habetur inter *Gersonis Opera*, Paris. 1606. T. I. p. 895. Plura Petri de Alliaco Opuscula exhibet Henr. Wharton. Cœterum, ut ille in libro suo, *de Concordia Historiæ & Astrologiæ* divinatricis etiam, Diluvium Noæ, Natalem Domini & miracula ejusdem, omniaque prodigia, ex Astrologia præsciri ac prædici potuisse, arbitratus est; ita in eodem tractatu annum 1789. obtrudit, in quo Mundi finis futurus sit. Vide Jac. Thomasium, *de Stoica Mundi exustione*, p. 19. Thes. 18. Prodierunt quoque Petri de Alliaco Opuscula nonnulla, *in Fasciculo Rerum expetendarum*, quem cum appendice emisit Edwardus Brown, Londini, 1690. fol. nimirum, *Recommendatio Scripturæ Sacræ, & principium in cursum bibliæ, præsertim in Evangelium Marci, item, Quæstio in vesperiis: Vtrum Petri Ecclesia lege reguletur? & quæstio de Resumta: Vtrum Petri Ecclesia fide confirmetur?*

PETRUS ALPHONSUS.

Gente & Religione Judæus, *Moses* antea dictus, eruditus, multarumque linguarum gnarus, sub extremam Alphonsi VI. Regis Hisp. ætatem, quæ in Sec. XII. principium incidit, superstitione patria abjurata, Christiana Sacra suscepit. Eum Rex de S. fonte levans, agnomine suo insignivit, unde *Petrus Alphonsus* nuncupatus est. Aragonii Scriptores conversi hujus Judæi laudem ad Alphonsum primum eo nomine Aragonium Regem, ablegant, & Osiæ, anno 1106. Christianis S. susceptore Rege dicto Aragonio, initiatum tradunt. Vide Joh. Marianam, *Hispan. Rerum* Lib. X. c. 7. f. 419. qui tamen in neutram partem pronunciare voluit. Petrus iste noster Christianus factus, Judæorum & Maurorum Sectas scriptis exagitavit, hinc ex utraque gente ejus opera ad Veritatem perducti, sicut idem Mariana tradit. Ejus *Dialogum contra Judæos*, Coloniæ, 1536. apud Gymnicum excusum Michael Neander *in Erotem. S. Linguæ* p. 539. itemque in *Bibliothecis suis*, Simlerus atque Frisius referunt. Eundem in XII. titulos distributum vid. T. XII. *Bibl. Patr. Colon.* P. I. f. 358. & *editionis recentissimæ*, T. XXI. p. 172. Conf. quæ ex isto Dialogo, post Centuriatores, retulit Schopfius

Acad.

Acad J. C. f. 167. seq. atque adde, quæ de Alphonso habent Schottus *Bibl. Hisp.* T. II. f. 239. Trithemius f. 69. b. Hendreich *Pandect. Brandeb.* Du Pin. T. IX. p. 180. & alii.

PETRVS DE ALVERNIA.

Gallus, multa eruditione conspicuus, S. Thomæ discipulus anno 1280. claruit. Hic autor *appendicis ad Summam S. Thomæ*, cum *Summa S. Thomæ* toties impressæ. *Commentariorum in aliquot Libros Physicorum Aristot.* Venet. 1507. excusorum, *Appendicis ad Commentaria S. Thomæ* ad Libros Aristotelis, *de Cœlo*, Venet. 1495. Alia plura manuscripta in Angliæ Bibl. adservata, eaque Philosophica, memorat Casim. Oudin. *Suppl. de Script Eccles.* p. 555. seq. Possevinus *Appar.* S. Ambrosius de Altamura *in Bibl. Dominicana* & alii.

PETRVS DE ANCHARANO.

Patria Bononiensis, professione JCtus, Baldi auditor circa annum 1410. jam tum floruit. Obiit Bononiæ, ubi humatus & *Canonis speculum, Civilisque anchora Juris*, in sequenti Epitaphio celebratus:

Canonis hic speculum, Civilis & anchora Juris
Hic jacet æternas mens tenet alta domos.
Quis superavit eum virtute micante? quis isto
Consiliis hominum clarior ante fuit?

Scripsit *Comment. in Decretales & Clementinas*, Lugd. 1549. 1553. f. Bonon. 1581, f. *Consilia*, Venet. 1568. 1585. 1589. 1599. *Selectas Quæstiones JCtorum* Francof. 1581. T. III. edit. De eo Cl. Wharton. *app. Cav.* p. 62. Boissard. *Icon. Illustr.* P. I. f. 106. Labb. p. 183. juxta cum aliis, disseruerunt.

PETRVS.

Antiochenus Patriarcha, anno 1040. clarus, Scripsit *Epistolam Responsoriam ad Dominicum Gradensem*, quam vide apud Cotelerium *Monum. Eccles. Gr.* Tom. II. p. 112. *Epistolæ II.* ad Michaelem Cerularium, ibid. p. 145. quarum unam jam antea produxerat, fere integram, Leo Allatius, *de Consensu Eccles. Orient. & Occident.* l. 3. c. 12. §. 4. Conf. Cl. Cave P. I. p. 421.

PETRVS APOLLONIVS COLLATIVS vide APOLLONIVS.

PETRVS DE AQVILA.

Cognomento *Scotellus*, Baccalaureus Parisinus, Ordinis minorum, de cujus ætate nil certi definire licet, quam quod dicatur anno 1480. edidisse *Epitomen in IV. Libros Sententiarum*, Spiræ impressam. Vid. Simler. l. c. f. 552. Willot. *Athen. Franc.* p. 298.

PETRVS AVREOLVS.

Verberiæ, Piccardiæ oppido, ad Isaram sive Oesiam, fluvium, natus, unde & *Verberius* audit. Hic, cum diu in Parisiensi schola S. litteras publice docuisset, *Doctoris facundi* trito mactatus nomine, ex ordine Franciscano ad regimen Archi-Episcopàtus Aquensis evectus, anno 1321. juxta Sanmarthanos T. I. *Gall. Christ.* f. 17. qui simul notant, Minoritas, quos inter Willotus quoque est l. c. p. 294. sine fundamento Cardinalem eum factum asserentes, erroremque Ciacconii detegunt, qui Arnaldum Auxium, Pictaviensem Præsulem, pro ipso Aureolo exhibuerit, atque infulis Aquensibus decoratum observarit. Scripsit autem *Breviarium Bibliorum sive Epitomen Vniversæ Sacræ Scriptura juxta literalem sensum* edit. Venet. 1507 1571. Parisiis porrò 1565. 1585. cura Stephani Novelletii Thallorini, Theologi Parisiensis, qui repurgavit & tabulis analyticis illustravit. Argentinæ item 1514. Extant quoque *Aureoli Camment. in IV. Libros Sentent.* a Joh. Capreolo passim exagitati, editi Romæ 1595. f. & antea 1505. *Quodlibeta varia*, Rom. 1605. Quibus adde *Tract. de immaculata B. Virginis conceptione*, Tholosæ excusum, non quidem anno 1314, uti legere est apud Hippolytum Maraccium, *in Biblioth. Mariana*, sed forte ab autore tum scriptum, aut anno 1514. impressum, sicuti quidem Maraccii aut Sphalma, aut errorem æquiter corrigit, rigidissimus aliàs in alios, nostrates maxime, Labbeus. Vid. p. 184. *Rosæ distinctiones*: *Sermones de Tempore & Tract. de paupertate* manuscripta in conventu Sagiensi Normannico adservari scribit Luc. Waddingus, *de Script. Ord. Min.* p. 276. & qui ipsum sequitur, Cl. Wharton, *app. Cav.* p. 16.

PE-

PETRVS DE BERGOMO.

Ordinis Prædic. S. Scripturæ Professor, cujus *Tabulæ super omnia Opera Thomæ Aquin.* extant, Basileæ, per Bernhardum Richel impressæ, 1478. fol.

PETRVS BLÆSENSIS.

A natali Galliæ ad Ligerim oppido cognominatus, ex Canonico Bituricensis Ecclesiæ, Bathonienſis in Anglia Archidiaconus, & postea etiam Londinensis Archidiaconus & Cantuarienſis Archi-Episcopi Cancellarius, ipsiusque Regis Procancellarius anno 1160. clarus, circa annum 1200. obiisse videtur. Primus omnium fuisse apparet Calixto, Tract. *de Transsubstant.* thes. 13. qui *Transsubstantiationis* vocabulum in re Eucharistica usurpaverit. Scripta ejus post Labbeum p. 186. Cave recenset, quos proinde evolvas. Prodierunt autem Parisiis 1519. & cura Joh. Busæi Moguntiæ, 1600. 4. ibid. cum appendice 1605. 8. Paris. 1667. f. & exinde *Bibl. Patr.* T. XXIV. p. 912. 1077. inserta. *Continuatio vero Historiæ Ingulphi Crolyandensis* ad an. 1118. cum *Ingulphi Historia*, primum prodiit, in *Collectione Rerum Anglicarum*, Oxon. 1684. f. p. 108. Lib. II. *de Præstigiis Fortunæ* manuscriptos se vidisse testatur Casim. Oudin. p. 472. *Dialogus* vero *ad Henricum Regem, Opus Novellum de assertione fidei*, Lib. *de rebus gestis Henr. II. Angl. Regis*, ipsi Petro Epist. XIV. memorata, procul dubio interierunt.

PETRUS CANDIDUS DECEMBER.

Viglebanus Mediolanensis, anno 1450. clarus, Litteras græcas atque Latinas Mediolani docuit, post vero Nicolai P. V. Magister brevium factus est. Scripsit *Vitam Philippi Mariæ, Vice Comitis* Mediolani Ducis III. *Vitam Franc. Sfortiæ*, Mediol. Ducis IV. quæ posterior lucem alicubi vidit. *De genitura hominis* Liber Romæ prodiit. Opus ejus *de Origine fidei* & *Dialogus de Ignorantia Vitæ* Manuscript. extant in Bibl. Lugduno-Batava. *Epistolas* quoque & alia, Cl. Caveo P. II. p. 309. memorata, cum huc non spectent, pro lubitu evolvas.

PETRUS CASSIODORVS.

Anglus Eques, anno 1250. clarus, Vir magna conspicuus eruditionis laude, jugi Papalis pertæsus, scripsit ad Angl. Eccleſiam, *E-*

pistolam de excutienda Tyrannide R. P. in Anglia, quam exhibet Flacius in *Catalogo Testium Veritatis* p. 365. & Goldastus, *Monarch.* T. I. p. 11. Loquitur de eo Cave *in Hist. Litt.* P. I. p. 500. & P. II. p. 271.

PETRUS CELLENSIS.

Patria Gallus, prius monasterii S. Petri Cellæ prope Trecas, post S. Remigii Remensis abbas, Carnotensis Episcopus, Joh. Sarisberiensi anno 1182. succedens, vir suo seculo pius atque doctus, ut fidem faciunt Scripta, quæ Parisiis cura anonymi 1671. junctim prodierunt. Prodierant autem jam ante Lib. *de Panibus.* Lib. II. *Mysticæ expositionis Tabernaculi Mosaici: de Conscientia* Liber. Paris. 1600. 8. *Epistolarum* Lib. IX. studio Sirmondi, Paris. 1613. 8. Lib. *de Disciplina Claustrali: Sermones de Tempore &c.* quære in novissima edit. Parisiensi 1671. Conf. Cl. Cave, Oudin, Miræus, Sammarthani T. II. f. 491. T. IV. 236. Labb. p. 189. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. passim, & alii.

PETRUS CHRYSOLANUS.

Ecclesiæ Mediolanensis Archi-Episcopus anno 1110. clarus, qui tamen Sedem Archi-Episcopalem Jordani relinquere, ex sententia Concilii Lateranensis, fuit coactus. Scripsit *Orationem ad Alexium Comnenum de Processione S. S.* quam lat. exhibet Baronius ad an. 1116. gr. lat. vero L. Allatius *Orthod. Græc.* T. I. p. 379. Conf. de eo Cl. Cave P. I. l. c. p. 446. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IX. passim.

PETRUS CHRYSOLOGUS.

Italus in Foro-Cornelii, quod recentiores Imolam vocant, natus, vir eruditus & Sanctus, ex aurea ingenii atque eloquentiæ ubertate *Chrysologi* nomen consecutus, Ravennatium Episcopus factus, anno circiter 433. anno vero 449. aut 450. ad meliorem vitam evocatus, sicut ex Leonis Papæ ad Leonem, Petri Chrysologi successorem, anno 451. scripta epistola 37. certo constat. Vnde patet, quam multum aberrent, qui usque ad annum 502. supervixisse, Concilioque Romano sub Symmacho eum interfuisse ajunt, vid. Labb. p. 191. & *Bibl. Colon. Indic. Chronolog.* Scripsit *Homilias in Textus Dominicales & festivales*, non tantum 122. uti Bellarminus & Sixt. Senensis, referunt, sed 176. editas Colon. 1541. 1618. 1627. 1678. 4. Paris. 1614. 1623. Lugduni 1633. Bonon. 1643. 4. & in *Bibl. Patr.* T. VII. *Epistolam ejus ad Eutychum Archiman-*

dri-

dritam gr. lat. cum notis Gerardi Vossii, vide ad calcem *Operum Gregorii Thaumaturgi*, Mogunt. 1603. p. 205. & *Concil.* T. IV. p. 35. Elogia Chrysologi dabit Daumius, præfatione *Homiliarum SS. Patrum de Nativitate J. C.* cum nonnullis illius Sermonibus Natalitiis. Conf post alios Eliam Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 176.

PETRUS CLUNIACENSIS vid. MAURITIUS.

PETRUS COMESTOR.

Sive *Manducator* dictus, quòd S. Biblia ita memoriter proferret, quasi ea in memoriæ ventrem esu comedisset. Erat Petrus Ecclesiæ Patriæ Trecensis Canonicus, atque Decanus, nec non Ecclesiæ D. Mariæ Parisiensis Cancellarius, ac tandem tranquillitatis desiderio, prout Sanmarthani T. III. f. 1088. judicant, S. Vict. Paris. Canonicus Regularis anno 1173. Vita functus anno 1198. Silvest. Marulus Opere cui titulus: *Mare Oceano della historia S. di tutte le Religioni Lib. I.* f. 18. hoc ejus Epitaphium refert:

Petrus eram, quem Petra tegit, dictusque Comestor,
Nunc comedor. Vivus docui nec cesso docere
Mortuus; ut dicat, qui me videt incineratum,
Quod sumus, iste fuit, erimus quandoque quod hic est.

Historiæ Scholasticæ Magister, vulgò audit, quam in XVI. Libros dispertitam, Wilhelmo, Senonensi, dein Remensi Archi-Episcopo, tandemque Cardinali inscripsit, Opere isto utriusque Testamenti historias, admistis etiam profanis & insertis aliis, convasavit. Excusum illud primo Reutlingæ, 1473. post Argentinæ, 1483. Basil. 1486. f. Lugd. 1543. 8. & alibi, *Varios Sermones*, qui inter Petri Blæsensis Opuscula habentur, Comestori vindicat Petrus de Gussanvilla, in recentissima Petri Blæsensis editione, quæ Paris. 1667. fol. prodiit. *Alii Petri Comestoris sermones*, manuscripti, hinc inde deprehenduntur, de quibus Cl. Cave P. I. p. 475. & Casim. Oudin. p. 462. qui illorum 114. in Bibl. Longipontensi Ordinis Cisterciensis reperiri, fidem nobis faciunt. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 188.

PETRVS DAMIANI vid. PETRVS DE HONESTIS.

PETRVS.

Diaconus Asiaticus, unus ex iis, qui e græcia Romam in causa fidei sub Anastasio Dioscoro, Imperatore, ejusque successore, Justino, Seniore, venerunt, sicut docet Labbeus, p. 206. & Cave P. I. p. 371. Vixit circa annum 520. & ad Fulgentium Ruspensem, aliosque Africæ Episcopos, exaravit Librum *de Incarnatione & Gratia Domini nostri J. C. sive de Gratia & Libero Arbitrio.* Habetur ille inter *Fulgentii Opera* & *Orthodoxogr.* p. 1241. & *Bibl. Patr.* T. IX.

PETRVS.

Diaconus Constantinopolitanus & Cartophylax anno 1092. floruit. Scripsit *Responsa brevia ad Interrogata de diversis casibus*, quæ extant gr. lat. *in Jure Gr. Rom.* L. VI. p. 395. De eo Cave *Hist. Litt.* P. I. pag. 438.

PETRVS.

Romanus, Ægidii filius, anno 1110. natus, Monachus Casinensis, post Ecclesiæ Ostiensis Diaconus & Coenobii Casinensis Bibliothecarius, anno 1137. claruit. Tandem a Lothario, Imperii Romani Capellanus, & Logotheta factus est. Multos admodum ingenii foetus perfecit, sed collapsos ac dispersos quam plurimos. Ejus de *Viris illustribus Casinensibus opusculum*, cum notis Joh. Bapt. Mari, Romæ 1655. & Paris. 1666. 8. prodiit. Extat quoque *in Bibl. Patr.* T. XXI. p. 347. Inibi vide Petri Diaconi vitam, Laudes & Scripta p. 70. seqq. quorum aliquando edendorum spem fecit Jo. Bapt. Marus. pag. 75. Ejusdem *Monasterii Casinensis Chronica*, autore Leone Cardinale, Ostiensi Episcopo, conscripta, à Petro verò Diacono continuata, edidit, notisque illustravit, atque Clementi IX. dedicavit Angelus de Nuce, Neapolitanus, Abbas Casinensis CXXXVI Paris. 1668. & alibi excusa. Liber *de notis Literarum Romanarum ad Conradum Imperatorem*, prodiit primum, Venetiis, 1525. & deinde *antiquæ Grammaticæ Scriptoribus*, Hanoviæ editis, inseruit Elias Putschius. Conf. Cl. Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 775. & 786.

PETRVS DORLANDVS vide DORLANDVS.

PE-

PETRVS DRESDENSIS.

Qui Misnensem, Chemnicensem & Zwiccav. Scholas, rexit; Hussi & Hieronymi doctrinam secutus, Pragâ discessit anno 1409, autor *hymnorum Ecclesiasticorum, ante introitum Templi, diebus quibusdam festis decantandorum*, it. *de Natali Christi Canticorum*, quibus Latinis germanica mixta sunt. Vid. Thomasii *Dissertationem de Petro Dresdensi* & maxime de ejus *Hymnis* §. 103. *Puer natus in Bethlehem: In dulci Jubilo &c.* & aliis, qui tamen posterior rectius antiquiori tribuitur autori. Vide Carissimi fratris, Jo. Christophori Olearii, *Thesaur. Hymnol.* P. I. p. 38.

PETRVS de DVSBVRG.

A Patria dictus, Ordinis Teutonici frater & Sacerdos, anno 1326. claruit, non vero anno 1425, quod in Oudino observat Cl. Wharton *app. Cav.* p. 17. Scripsit *Chronicon Prussiæ* sive *Historiam Ordinis Teutonici*, quod e tenebris protraxit Christoph. Hartknochius, Francof. & Lipsiæ. 679. 4. Conf. de hoc autore Hartknochii *præfatio* & *Dissertatio I. de variis rebus Prussicis* p. 5.

PETRVS GALATINVS vide GALATINVS.

PETRVS.

Gente Gallus, Malleacensis Monachus, circa annum 1070. claruit. Ejus Libros II. *de antiquitate & commutatione in melius Malleacensis Insulæ & Translatione corporis S. Rigomeri* ad Goderammum, Abbatem suum, scriptos, extulit Labbeus, *Bibl. Nov.* T. II. p. 222. Conf. Cave P. II. p 202.

PETRVS de HERENTHAL.

Natione Belga, ab oppido cognomine sic dictus, Canonicus ac Prior Cœnobii Floreffiensis, Ord. Præmonstratensis, anno 1390. clarus, juxta Simlerum, *Bibl.* p. 558. anno 1436. obiit. Scripsit *Expositionem Psalmorum*, quæ Colon. 1487. f. Reutlingæ, 1498. Rothomagi 1504. 4. Colon. 1514. prodiit. *Commentarium in IV. Evangel.* & *Chronicon ab O. C. ad annum 1385.* manuscripta adducit, qui eadem in Bibl. Floreffiensi vidit, Casim. Oudin, *Suppl. de Script.* p. 657. Plura ejus Manuscripta exhi-

exhibent Cave P. II. *Hist. Litt.* p. 288. & Franc. Sweertius *Athen. Belg.* pag. 621.

PETRVS IEREMIAE.

Panormitanus Siculus, Ord. Prædicatorum Conventus Bononiensis, anno 1430. clarus, anno 1452. Bononiæ obiit. Scripsit *Sermones de Tempore & de Sanctis. Expositionem Orationis Dominicæ: X. Præceptorum: Tract. de Passione Domini: Tract de Fide:* quæ singula Hagenoæ, 1514. prodierunt. Plura vero in Manuscriptis delitescentia memorat, qui de ipso Petro nostro prolixè satis disseruit, Altamura *Bibl. Prædicat.* p. 173.

PETRVS KYERSLACH.

Cujus *Passionem Christi ex IV. Evangelistis* & ejusdem *de Planctu Mariæ* Tractatum, 1487. 4. impressum, vidimus in Bibliotheca Hallensi Mariana.

PETRVS LAODICENSIS.

Ejus & Germani, Patriarchæ Constantinopolitani, *expositiones in Orationem Dominicam*, extant T. VII. *Bibl. Patr. Colon.* f. 254. Floruit juxta Coccium Sec. VII. Conf. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 28.

PETRVS LOMBARDVS.

Lombardus a patria appellatus, Novariæ, in Longobardia Transpadana oppido oriundus, cognomento *Magister sententiarum & Theologorum Scholasticorum*, ex Canonico Carnotensi, Parisiensis, non Archi Episcopus, ut Blondellus minus circumspecte scripserat, arguente Labbeo, p. 207. sed Episcopus ab anno 1159. ad 1164. quo diem ultimum obiit. Ita Sanmarthani T. I. *Gall. Christ.* f. 435. Epitaphium ipsi positum transcripsit. Cl. Cave P. I. p. 464. idque sequens est:

Hic jacet Magister Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus, qui composuit Librum Sententiarum, Glossas Psalmorum & Epistolarum, cujus obitus est dies decimus tertius Cal. Aug.

Sunt, qui Lombardi fratres Petrum Comestorem, & Gratianum dicant, eosque tergeminos spurios aut adulterinos ex moniali seu Nonna

na natos. Vid. Tiraquellus *de Nobilit.* c. XV. n. 32. f. 109. quam quidem relationem fabulosam arbitrantur Sanmarthani, aliique, & falsitatis ex eo convincere nituntur, quod diversis illi temporibus claruerint, quodque diversis fuerint prognati locis, siquidem Lombardus, patria Novariensis, Comestor, Trecensis, Gratianus verò, Hetruscus, extiterit. Vide tamen quæ moveat Zieglerus, *prælim. Jur. Canon.* p. 29. Maximè claruit, *Libris IV. Sententiarum* passim editis, & quidem Norib. 1474. Venet. 1480. fol. Basil. 1492. 1498. fol. Norib. 1478. 1499. 1528. 8. Basil. 1513. Paris. 1564. 8. Lovan. 1556. 1576. 4. Paris. 1574. 1577. 8. Lugduni 1581. Colon. 1609. Quam inepte horum quatuor Librorum numerum e S. Scriptura exquirant Thomas, Bonaventura, Richardus Mediavillanus, &c. vid. Dorschæus, *in Antikirch. §.* 59. seqq. Cæterum, nos eam non dirimemus litem, an Lombardus ex Bandino, sive Bandinus ex Lombardo sua hauserit, sed alios potius hujus cupidos rei ad Cl. Jac. Thomas. *De Plagio Litterario.* Sect. 493. seqq. remittimus. Scripsit etiam Lombardus *Glossas sive Comment. in Psalmos*, Paris. 1541. f. & in *Pauli Epistolas Collectanea è Sanctis Patribus*, contexta, excusa, ibidem, 1535. Omnia ejus Opera prodierunt Noribergæ, 1478. Basil. 1486. Insanæ illum de Trinitate Doctrinæ accusavit Joachimus, Abbas Florensis, in peculiari libello. Christum certe perfectum esse hominem, negasse, videtur. De eo post alios, Du Pin l. c. p. 206. seqq.

PETRVS de LVXENBVRG.

Sive *de Lutzelburg*, clarissima stirpe ortus, natus ann. 1369. ex Archidiacono Drocensi, Metensis ann. 1383. adeoque vix XV. ætatis suæ anno, Episcopus, factus purpuræ etiam honore a Clemente VII. Pseudo Papa, ornatus & Diaconus Cardinalis S. Georgii in velabro constitutus, Thaumaturgus, si vera sunt, quæ passim de eo narrantur, qui tamen ann. 1387. ætatis vero XIIX. brevi consummatus, obiit. Vid. Sanmarth. T. III. *Gall. Christ.* f. 722. & Chifflet. *Vesont.* P. II. f. 290. *Orationem* sive *Litaniam ad Deum & Sanctos*, 65. strophis constantem lat. & Rythmice scripsit, quam vide apud Franc. Du Chesne, *Histoire de Tous les Cardinaux Francois*, Parisiis fol. publicata. Idem Petrus, ann. 1500. in numerum Sanctorum a Papa relatus traditur. Vid. l. c. & Ughellum *ad Ciacconium*.

PETRVS MARTYR ANGLERIVS.

Italus Mediolanensis, Protonotarius Apostolicus, anni 1501. claruit. Ob varia demum & præclara merita a Ferdinando, Hispaniarum Rege, Prior Archi-Episcopatus Granatensis constitutus. Expiravit post annum 1525. Scripsit *de Navigatione Oceani*, Parisiis 1587. 8. *De Legatione sua Babylonica* Lib. III. Basil. 1533. Colon. 1574. 8. *Epistol.* Lib. XXXIIX. Compluti 1530. Amstelod. 1670. f. impressos. Bene de eo judicat Gomecius, *de rebus Gest. Fr. Ximenii Lib. I.* quod *Styli ruditatem rerum a Petro traditarum fides egregiè compenset.* Evolv. Cl. Wharton *append. Cav.* p. 131.

PETRVS.

Natione Gallus, Vallis Sarnensis in Diœcesi Parisiensi Ord. Cisterc. Monachus, ann. 1212. claruit. Scripsit jussu Innocentii III. P. R. *Historiam Albingensium & S. belli* in eos a Simone a Monte forti, anno 1209. susceptι, quæ prodiit cura Nicolai Camuzacii, Trecis, 1615. & in *Bibl. Ord. Cisterc.* a Bertr. Tissierio, 1669. edita T. VII. p. 1. Gallice illam reddidit Arnoldus Sorbinus, atque Paris. 1569. vulgavit. Conf. Cave P. II. p. 247. Carolus Vischius, *Bibl. Ord. Cisterc. Script. pag. 276.* Oudin *Supplem. de Script. Eccles.* p. 484. Aub. Miræus in *Auct. suo de Script. Eccles.* cap. 403. atque alii.

PETRVS MONGVS.

Ex Ecclesiæ Alexandrinæ Diacono, ejusdem Ecclesiæ Episcopus quidem factus, sed ob Eutychianismum a sede remotus & in Synodo Constantinop. ann. 489. damnatus, ann. 490. obiit. Extat ejus *ad Acacium Constantinop. Epistola* apud Evagrium, L. III c. 17. De eo Cave, *Hist. Litt.* P. I. p. 260.

PETRVS de MOLLENBECKE.

Ordinis minorum & Conventus Colonienſis Lector, Autor *Tabulæ utilissimæ, in Libros V. & N. T. Comment. Nicolai de Lyra, directivæ*, editæ ann. 1480. Coloniæ, in fol.

PE-

PETRVS De NATALIBVS.

Venetus, ex Parocho Sanctorum Apostolorum Episcopus Esquilinus, circa annum 1470. quasdam *Script. S. Historias* edidit, in quibus brevitatis studiosior ac omnino diligentior est, quam Jacobus de Voragine, judice post Wicelium, in *præfatione Hagiologii*, Vossio, Lib. III. *Hist. Lat.* c. 8. Attamen cum judicio & hic Scriptor in aliquibus legendus est, uti Vasæus censet in *Chronico Hisp.* c. 5. Extat autem Argent. 1502. & Lugduni. 1542. impressus. Add. Crisin Cl. Espencæi, Doctoris Paris. in 2. Tim. IV. n. 21. ajentis: Facilius Augiæ stabulum, quam talibus fabellis multorum tum libros, tum conciones repurges, præsertim, quem *Petrus de Natalibus*, Venetus, *Catalogum Sanctorum* inscripsit. Composuit quoque *Catalogum Venetorum Senatorum & gestorum eorum*, qui Vincentiæ 1493. prodiit. De eo post jam cit. Autores, Aub. Miræus, Oudin, H. Wharton. *locis citatis.*

PETRVS.

Metropolita Nicomediensis, ann. 680, claruit. Ob hæresin Monotheletarum accusatus, crimen illud peculiari *Confessionis Libello* diluit. Extat ille gr. lat. *Concil.* T. VI. p. 842.

PETRVS NIGER.

Germanus, Ordinis Prædicat. Monachus, ann. 1475. clarus, linguæ hebraicæ addiscendæ causâ in Hispaniam se contulit. Scripsit *de Conditionibus veri Messiæ & de Judæorum perfidia*, Eslingæ, 1475. f. edit. *Clypeum Thomistarum*, Venetiis, 1481. impressum. De eo Cl. Cave P. II. l. c. p. 315.

PETRVS PALVDANVS.

Sive de Palude, Burgundus, Toparchæ in Bressia filius, unde & quibusdam Lugdunensis dicitur, quia Bressia & ad Lugdunensem diœcesin, & ad Burgundiam pertinet, docente Labbeo, p. 210. Ex Ordine Prædicatorum & Juris Pontifici Doctore, Hierosolymitanus Patriarcha, florens, non quidem ann. 1262. ut Albertus Venetus asserit, nec 1256. ut Eisengrenius, neque 1300. ut alii, de quibus Labbeus l. c. sed juxta Sixtum Senensem, Bellarminum, & Whartonum, ann.

1330. Obiit ann. 1342. Scripsit *in Libros III. & IV. Sententiarum*, quorum in *tertium* Paris. 1517. f. in *quartum* ibidem 1514. f. seorsim prodierunt. Conjunctim autem excusi sunt, Paris. 1530. T. II. f. *Sermones de Tempore per totum annum*, Antwerp. 1571. Venet. 1584. 8. Colon. 1608. 8. *Tract. de Causa immediata Ecclesiasticæ potestatis*, Paris. 1506. *Quod fratres Prædicatores possint habere possessiones & reditus*, Tract. alicubi impressum in 8. allegat H. Wharton, l. c. p. 19. *Comment. in Script. S. universam: in I. & II. Sententiarum Libros:* Codex membranaceus Petri de Palude *Commentarium in. III. Libros Sententiarũ* exhibens, habetur in Bibliotheca nostra Jenensi. *Tract. de Paupertate Christi & Apostolorum, contra Michaelem de Cæsena*, in Manuscript. passim monstrantur. Conf. Ambrosius de Altamura *Bibl. Prad.* p. 110. qui singula Paludani Opera Parisiis, cura Mag. Fratris Joh. Primarii, Regentis Parisiensis, impressa fuisse, prodit.

PETRVS PICTAVIENSIS.

Poeta & Monachus Cluniacensis, qui an. 1160. claruit, scripsit *nobile Poëma ad laudem abbatis sui, Petri Cluniacensis*, quod cum Petri Clun. Operibus impressum est. De eo Casimir. Oudin. *Suppl. de Script. Eccles.* p. 430.

PETRVS PICTAVIENSIS.

Parisiensis Academiæ Cancellarius, Petri Lombardi discipulus, ex professione Theologica ad Archi-Episcopatus Ebrodunensis Insulam evectus, obiit, ann. 1205. Albericus in Chronico scripsisse illum refert librum Theol. Sententiarum, ad Guilielmum Senonien-sium Antistitem, Postillas item & distinctiones, excogitasse quoque arbores historiarum in pellibus depingere & de virtutibus ac vitiis similiter compendiose agere. De eo Sanmarthani T. I. *Gallia Christian.* f. 277. *Summa Sententiarum* impressa est, Parisiis, cum *Summa Sententiarum Roberti Pulli.* ann. 1655. *Allegorias verò super Biblia, & super Tabernaculum Mosis*, manuscript. memorat Oudin, l. c. p. 477.

PETRVS de PILICHDORF.

Natione forsan Germanus, S. Theol. Professor, ann. 1444. clarus, prout conjicit H. Wharton, *in append. Cav.* p. 87. Scripsit *Librum con-*

tra

ra Sectam Waldenſem, qui cum Reinerii Sachoni, ejusdem argumenti opere, Ingolſtadii, 1613. à Gretſero excuſus eſt. Ibidem p. 279. reperitur pars *Tractatus contra pauperes de Lugduno*. Utrumque Opuſculum & *in Bibl. Patrum* T. XXV. eſt translatum.

PETRVS RANZANVS,
vide RANZANVS.

PETRVS RAVENNAS,
vide RAVENNAS.

PETRVS de RIGA.

Gente gallus, Eccleſiæ Rhemenſis Cantor atque Cononicus, circa annum 1170. claruit, vel juxta Ambroſium de Altamura, anno 1163, ſicut refert *Bibl. Domin. Cent.* I. ad ann. 1263. Ejus eſt *Aurora*, ſive *Heptateuchus*, *duos libros Regum & IV. Evangelia* metrice reddens, quem editioni paratum penes ſe habuiſſe teſtatus Oudin. l. c. p. 472. Conf. Joh. Albert. Fabr. *Bibl. Lat.* p. 718. Du Pin l. c. T. IX. pag. 187. Manuſcript. extat in Bibl. noſtra Salana, & quidem in codice membranaceo.

PETRVS de ROSENHEIM.

Germanus, O. B. Monaſterii Mellicenſis in Auſtria Monachus, Poeta atque Scholaſticus inſignis, circa annum, 1427. juxta Trithemium clarens, ſcripſit *Roſeum memoriale divinorum*, quod Argentorati, 1544. apud Balthaſarem Bechz prodiit, & Lipſiæ 1505. *Summam Theologiæ* & *Rationarium Evangeliſtarum*, quæ in Lateranenſi Bibl. manuſcripta aſſervari, fidem facit Cl. Oudin. p. 691. De eo Sixtus Senenſis, & Poſſevinus *app. S.* T. II. p. 266.

PETRVS SCHOTTVS vide SCHOTTVS.

PETRVS.

Basilii & Gregorii frater natu minimus, Presbyter ac Episcopus Sebastenus, comitatis, benignitatis ac beneficentiæ laude conspicuus, ann. 370. floruit. *Vnica ejus ad Gregorium fratrem Epistola* extat, Libris Nysseni adversus Eunomium, præmissa. Conf. Cave P. I. p. 139. Hanc Epistolam arabicè scriptam, sub *Demonstrationis* nomine, extare manuscriptam, testatur Abr. Ecchellensis, *Not. ad Catal. Hebedjesu* p. 11. qui aliqua ejus fragmenta ibidem produxit.

PETRVS SICVLVS.

Genere & doctrina ann. 870. clarus, de quo Baronius, Possevinus, Vossius, Miræus, Oudinus & Cave loquuntur. Scripsit *Historiam de ortu, progressu & occasu Manichæorum*, quam a Marco Velsero acceptam, primus græc. lat. extulit Matth. Raderus, Ingolst. 1604. 4. Vide illam quoque *Bibl. Patrum* T. XVI. lat. insertam. Partem ejus jam exhibuit Baronius. T. IX. *Annal.* p. 31. qui illum male *Lucam Siculum* vocavit. De eo Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 194.

PETRVS de TARENTASIA. vide INNOCENTIVS V.

PETRVS.

Theologicæ Scholæ Parisiensis Rector, post Cantor, & ob insignem, quâ pollebat, Theologiæ peritiam, Tornacensis, anno 1191. Episcopus electus, ann. 1197. obiit. Scripsit *Summam*, quæ *verbum abbreviatum*, eò, quod ab his verbis incipit, vocatur, impressam Montibus Hannoviæ, 1639. 4. *Summam, Abel: Magnam Summam de Sacramentis: Distinctiones Cantoris Parisiensis: de Contrarietatibus Theologicis Opusculum: Grammaticam Theologorum, Glossam in Libros Numerorum, Deuteronomii, Josuæ, Judicum, Ruth, in Evangelia, in Novum Testamen-*

ſtamentum & alia, de quibus Sanmarthani T. III. *Gall. Chriſt.* & Caſimirus Oudin. Suppl. *de Script. Eccleſ.* p. 464.

PETRVS TVDEBODVS
vide TVDEBODVS.

PETRVS de VINEIS.

Natione non quidem Teutonicus, ut Trithemius putavit, ſed Italus, & quidem Capuanus, ſicut docuit Simon Schardius, in vita, ejus Epiſtolis præfixa. Fridericus II. Imperator, eo Cancellario electo, in graviſſimis rebus ejus opera uſus, eique muneri dum præfuit, *VI. Libros Epiſtolarum*, ex Imperatoris ſui perſona, conſcripſit, multijuga rerum Sacrarum & profanarum ejus ævi hiſtoria refertos, & e tenebris primo erutos atque editos per Simonem Schardium, Baſil. 1566. 8. poſt recuſos, Ambergæ, 1609. 8. *Dictamina*, forſan ejus, manuſcript. allegat Cl. Cave P. I. p. 496. Contra eum Innocentius IV. qui aliis III. Librum ſcripſit *de Jurisdictione Imperii & autoritate P. R.* teſte Valentino Fœrſtero, *in hiſtoria Jur. Civil. Rom.* Cæterum ob proditionem in Cæſarem, quem veneno enecare intenderat, comprehenſus, & oculorum effoſſione multatus, in S. Miniati arce, vitæ miſerrimæ impatiens, mortemque ſibimet ipſi inferens, triſtiſſimum vitæ exitum, ann. 1249. ſortitus eſt. Vid. Pandulphum Collenutium *Lib. IV. Hiſt. Neapol.* f. 152. edit. Baſil. 1572. Andr. Presbyterum Ratisp. *in Chron.* f. 79. & adde Schardium l. c. ubi ſimul excurrit in enarrationem non paucorum optime meritorum virorum, qui vel minima occaſione gratia Magnatum lapſi, vitæ periculum ſubierint.

PHILASTRIVS.

Ex Presbytero Brixienſis in Italia Epiſcopus, ab anno 380. ad 387. quo obiit. Strenuus erat Catholicæ veritatis adverſus Arianos propugnator. S. Auguſtinus Mediolani eum ſe vidiſſe ait, *Libr. de Hæreſibus, præfatione.* Vitam Philaſtrii ſcripſit, Gaudentius, quam

vide

vide apud Surium d. XIIX. Julii. Ejus *Liber de Hæresibus*, quas a principio mundi ad sua usque tempora enumeravit, extat. T. IV. *Bibl. Patrum* Paris. edit. 2. f. 1. & in aliis editionibus. Seorsim Basil. 1528. itidemque à Fuchtenio editus, Helmstad. 1611. 4. cum insigni præfatione, Indice, atque ab illo prætermissarum supplemento, incerti autoris. In hoc tamen libro Philastrius sæpe inter hæreses numerat, quæ hæreses verè non sunt, proinde cum prudentia legendus. Agunt de eò Bellarminus, Trithemius, Sixtus Senensis, Vossius, Miræus, Vghellus, Labbeus, Cave, Du Pin & alii.

PHILEAS

Ex Thmui, ampla in Ægypto ad Ostium Mendesium urbe, oriundus, circa annum 296. & antiquitate generis & doctrina floruit, Episcopus tandem urbis patriæ evasit. Obiit Martyr sub Maximino, anno 311. capite truncatus. Scripsit *Epistolam ad Thmuitas* de Martyriis, quæ per id tempus contigerant, cujus fragmentum insigne exhibet Eusebius, L. VIII. c. 10. Ejus meminit Hieronymus, *de Scriptor.* c. 78. Cave P. I, *Hist. Litter.* p. 77. Elias Du Pin T. I. *Bibl. Nouv.* p. 201.

PHILIPPVS.

Prior Claræ vallensis, post Abbas de Eleemosyna Ordinis Cisterciensis, circa annum 1180. clarus, scripsit varias *Epistolas*, quas exhibet Tissier, T. III. *Bibliothecæ Veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, p. 238. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 91.

PHILIPPVS CALLIMACHVS EXPERIENS.

Italus Florentinus, urbe Sangeminiano ortus, anno 1486. floruit Romæ sub Pio II. Pontif. R. Post vero conjurationis suspectus, Romaque fugatus, sub Casimiri Poloniæ Regis, cujus Liberis præerat, tutela vixit. Demum Secretarii officio functus, obiit Cracoviæ, 1496. Scripsit *Historiam de Rebus gestis Attilæ, Hunnorum Regis*, Hagenoæ, 1513. seorsim excusam, & cum Bonfinio, *de rebus Hungaricis*, Francof. 1581. f. *De rebus gestis Vladislai, Poloniæ Regis*, August. Vindelicorum, 1519. 4. & inter *Hungaricarum rerum Scriptores*, Francof. 1600. f. *De Clade Varnensi*, a Lonicero in *Chronico Turcic.* T. II. Francof. 1578. f. *Consilium de bello susci-*

suscipiendo contra Turcas, Isleb. 1603. *Historia de iis, quæ a Venetis tentata sunt ad movendos Persas & Tartaros contra Turcas*, prodiit cum *Callimachi Vita* a Joh. M. Bruto exarata, inter *Persicarum rerum Scriptores*, Franc. 1601. f. Unica *Epistola* ad Angelum Politianum, quæ inter *Politiani Epistolas* habetur. Conf. Cl. Cave P. II. p. 317.

PHILIPPVS DECIVS vide DECIVS.

PHILIPPVS EYSTETENSIS.

Nobilis Alsatus, à Rodsamshausen, S. S. Literarum Doctor, Abbas Parisiensis Ordinis Cistercienſis, ac postea *Eustetensis* sive Aichstadianus XXXIX. Episcopus, quo honore a Clemente V. P. R. ornatus fuit, ann. 1305. cum ab Alberto Austriaco, Romam missus foret, teste Bruschio, *in Catalogo Episcop. Eystetens.* & Vossio, Lib. II. *hist. lat.* c. 64. Obiit ann. 1322. *Vitam* scripsit *S. Walpurgis* Virginis, Abbatissæ Heidenheimensis, e Wolffhardo, cœnobii Hasenrietani, à Carolo M. extructi, Monacho, ejusque vita Walpurgis IV. Libris conscripta, excerptam, sicut docet Vossius l. c. Lib. III. c. 4. Istam vero exhibuit Canisius T. IV. *Antiqu. Lect.* P. II. p. 560. & Bollandiani, T. V. *Commentarium* quoque *de Ecclesiæ Eystetensis Divis Tutelaribus*, SS. Richardo, Willibaldo, Wunebaldo & Walpurga, composuit, quem Gretserus cum *observationum suarum Libris II.* & *Catalogo Episcoporum Eystetensium* vulgavit, Ingolstadii, 1617. 4. de Philippo Casimirus Oudin. l. c. p. 587. H. Wharton. *append. Cav.* p. 9. Cave *Histor. Litter.* P. II. p. 272.

PHILIPPVS GALTERIVS.

Vel a monte Galerio, alias Calerio, apud Tholosates Franciscanus, circa annum 1344. teste Willoto, *Athen. Francisc.* f. 311. Varia scripsisse narratur, homiletica maximè & exegetica. E quibus tamen *Postilla* solummodo *in Evangelia Dominicalia*, prodiit, in epitomen redacta a Jonselmo de Canova, Custode Cumano, & excusa typis Balthas. de Gabiano, Typographi Lugdunensis, ann. 1510.

PHILIPPVS GREVIVS.

Sive *de Grevia*, Academiæ Parisiensis Cancellarius, anno 1230.

clarus, scripsit *Sermones* 330. *in Psalmos Davidis*, Parisiis. 1523. 8. & Brixiæ, 1600. excusos. *Commentaria in Evangelia & Job*, & alia MSS. memorat Cl. Cave P. I. p. 496. & Casim. Oudin. *Supplem. de Script. Eccles.* qui posterior erudite de Philippo disseruit. Adde Henricum Gandavens. m, *de Script. Eccles.* c. 50. & Auctorem *Vniversitatis Parisiensis*, Sec. XIII.

PHILIPPUS HARVENGIUS

vide **HARVENGIUS.**

PHILIPPVS De LEIDIS.

Lugduni Batavorum ex nobili stirpe oriundus. Doctor utriusque Juris Aurelianensis, Parisiensis Professor. post Ultrajectensis & Leidensis Canonicus, Gregorio XI. P. R. percarus, ann. 1369. floruit. Obiit Trajecti, anno 1386. Scripsit *Tractatum de Reipublicæ cura & sorte principantium*, quem Joh. Severinus, Lugd. Batav. 1516. f. edidit & *Lecturam in Librum III. Decretalium.* Omnia Philippi Opera a Joh. Franconio edita fuisse testatur Fr. Swertius, *Athen. Belg.* p. 644. Valerius Andr. *Bibl. Belg.* absque anni tamen atque loci mentione. Conf. H. Wharthon *append.* Cav. p. 41.

PHILIPPVS De MONTE CARLERIO.

Sive *de Janua*, regione subalpina oriundus, Ordinis Minorum Monachus, in Conventu Tolosano primum docuit, post vero Lector Conventus S. Loci Paduæ. Floruit, anno 1340. Ejus sunt *Conciones Dominicales totius anni*, a Janselmo Canova in Epitomen redactæ & publicatæ, Lugduni 1510. *Quadragesimale*, *Conciones de Eucharistia & Sermones de SS.* ibidem *cum concionibus*, 1515. *Postilla super Evangelia Dominicalia* MSS. extat in Bibliotheca Pembrochiana Cantabr. ut fidem facit H. Wharton, *append. Cav.* p. 25. & alibi, teste Oudino, *Supplem. de Script. Eccles.* p. 602. Conf. Anton. Possevinus *in appar. S.* Lucas Waddingus, *in Bibl. Script. Ordinis Minorum p 294.* Labbeus & alii.

PHILIPPVS.

Presbyter, D. Hieronymi optimus auditor, anno 440. claruit. Ejus *Comment. in Jobum Lib. III.* opera Joh. Sichardi, Basil. 1527. 4. apud Ada-

Adamum Petri excusi habentur, & inter Opera Bedæ & Hieronymi. Sub *Bedæ* quidem nomine illos vulgatos videas. Philippo tamen post alios ex Codicis MSS. autoritate restituit Casimirus Oudin. p. 78. *Familiares Philippi Epistolæ*, quarum meminit Gennadius, *de Scriptor.* c. 62. interierunt. De eo agunt Sixtus Senensis, *in Bibl. S.* p. 164. Trithemius *Script. Eccles.* f. 34. Cave *in Hist. Litter.* P. I. p. 246.

PHILIPPUS RIBOTUS vid. RIBOTUS.

PHILIPPUS.

Solitarius, a vita forsan monastica, appellatus, gente græcus, ann. 1105. clarus. Ejus *Dioptra* sive *Regula & amussis rei Christianæ ad Callinicum Monachum* IV. Libris per Dialogum explicata, ex interpretatione Jac. Pontani, Ingolstadii, 1604 4. cumque Jac. Gretseri notis T XII. *Bibl. Patr. Colon.* P. I. f. 677. *& edit. novissima* T. XXI. p. 553. Lib. V. in Codice MSS. græco Bibliothecæ Vindob. observat Cl. Lambecius, *Comment.* Lib. IV. p. 178. 208. Lib. V. p. 34. Vid. Cl. Cave P. I. *Hist. Litter.* p. 445. P. II. p. 204. Casimirus Oudin. *Supplement. de Script. Eccles.* p. 364. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 198.

PHILIPPUS.

Episcopus Tarentinus, ob nimium erga Petrum Leonem, Antipapam, favorem, Synodo Lateranensi, ann. 1139. celebrata, a sede remotus, in Galliam aufugit, ibidemque in Cœnobio Claravallensi, Monachus atque Prior factus, post Conventus de Eleemosyna, Cisterciensium in Diœcesi Carnotensi Cœnobii Abbas. Reversus vero in Monasterium Claravallense, in eodem obiit. Scripsit *Epistolas* XXV. quas evulgavit Carolus Vischius, libro *de Scriptoribus Ordinis Cistercienses*, p. 336. qui prolixius quoque de hoc Philippo edisseruit. Conf. Cave P. I. *Histor. Litter.* p. 462. Du Pin l. c. p. 184.

PHILO CARPATHIVS.

Diaconus Carpathi Insulæ Asiatico tractui adjacentis, vel juxta Cl. Cavium, Carpasiæ urbis in Cypro Episcopus, ob insignem Pietatis famam, ab Epiphanio consecratus, ann. 401. Tribuitur illi a

Polybio, *in Vita Epiphanii* c. 49. *Commentarius in Cantica Canticorum*, quem multi cum illo, qui in *Bibl. Patrum*, T. V. habetur, pro uno eodemque existimant. Verum non videtur ille sincerus, aut ad minimum interpolatus. Genuinum ejus exemplar MSS. penes Cl. Bigotum adservatum, memorat Casimirus Oudin, *Supplem. de Scriptoribus Eccles.* quem proximè publicandum esse, spem fecit. Agunt de hoc Philone post Delrium, Possevinum, Labbeum, Arndium, Cl. Cave P. I. *Hist. Litter.* p. 202. Elias Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. II. p. 302.

PHILO.

Diaconus Tarsensis, circa annum 107. clarus, scripsit *Acta Martyrii Ignatiani*. Prodierunt illa cum *Epistolis S. Ignatii*, curâ Jacobi Usserii, lat. Oxoniæ, 1642. & 1644. 4. Londini, 1647. Extant quoque apud Bollandum, *in Vitis SS.* d. 1. Febr. Mirum certè videtur Cavio, Usserium græca non edidisse, quorum exemplar MSS. in Bibliotheca Bodlejana ipse se reperisse, testetur.

PHILO.

Judæus, inter Scriptores Ecclesiasticos ab Hieronymo relatus, cujus rei rationem reddidit Trithemius, vid. *Micropresbyticum*, f. 409. Erat autem Philo natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, circa, annum 40. Cajo Caligula imperante legatus à suis Romam missus, de vita periclitatus est. Altera vice eò veniens, ibidem cum S. Petro, Apostolo, loquutus, ejusque amicitias habuisse & adeò quoque Marci, discipuli Petri apud Alexandriam Sectatores laudibus suis ornasse dicitur. Vide Labbeum, & quos adduxit, autores. David Hœschelius, qui *Philonis Tractatum de Mutatione Nominum in* Scriptura S. cum nonnullis aliis ejusdem, edidit, notisque illustravit, dubium non esse contendit, p. 218. quin Romæ cum Petro colloquutus & Alexandriæ cum studiosis Marci, Evangelistæ, versatus, mysteria Sacrarum Literarum ex ipso fonte haurire didicerit, erroresque deposuerit. Quicquid tamen sit hujus rei, certum est, tantam eum cum Platone & ingenio & Scriptis habuisse affinitatem, ut in Proverbium abierit: *Aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat* juxta Svidam & Isidorum Pelusiotam. Hoc tamen dicterium, ut alii existimant, ad Philonem multò antiquiorem, qui multis ante Christum

ſtum natum annis vixit, atque Magiſter Platonis fuit, ſpectare videtur. Vide Rivini *æqui librium Platonis & Ariſtotelis*, p. 26. Cæterum Philo noſter, Moſes Atticisſans dictus, teſte Voſſio, *Lib. I. Idolalatr.* c. 11. *Erat* teſte Euſebio, L. II. c. 18. *Vir in dicendo copioſus, in ſententiis locuples, in Scripturæ intelligentia ſublimis atque excelſus, qui variam ac multiplicem ſacrorum voluminum expoſitionem edidit.* Opera ejus græcè ex editione Turnebi, Pariſiis, 1552. f. Lat. cura Gelenii, 1561. græc. lat. Genevæ 1613. f. auctiora, Pariſiis, 1640. f. Francof. 1691. fol. græc. lat. cui acceſſere variæ Lectiones, & Liber *de Septenario*, ut & *de Providentia Dei* fragmentum ſatis prolixum. Ordine illa repræſentat, Labbeus & Cave, quos conſulas. Liber Philonis *de Biblicis antiquitatibus*, latine extat *in Micropresbytico*, Baſil. 1550. p. 295. & inter hujusmodi nugamenta, Lugduni 1560. 12. & alibi. Hunc tamen prudentiores Philoni noſtro abjudicant. *Breviarium de Temporibus*, prodiit Romæ, 1648. Paris. 1515. inter alia, Liber *de Genealogia Chriſti* Paris. 1612. Agit de Philone poſt alios multos Cl. Cave P. I. *Hiſt. Litter.* p. 10. & P. II. p. 8. ubi eruditiſſimam Eduardi Bernardi de Philone Epiſtolam exhibuit. Plures quoque Philones exhibet idem, *Diſp. I.* ad calcem *Partis II. Hiſt. Litter.* quos tamen a Scriptorum Eccleſiaſticorum numero, exemit. *Elogia* Philonis noſtri collegit Pope-Blount *in Cenſum Celebr. Autor.* p. 102. ſeqq.

PHILOPONUS vide JOHAN. GRAMMATICUS.

PHILOSTORGIVS.

Gente Cappadox, profeſſione Eunomianus & Anomæus, atque Atheus eò dictus, quod filium Patre minorem eſſe, contenderet. Vixit circa annum 405. quo magnam ſibi famam, Geographiæ, Aſtronomiæ, Poetices, ac univerſæ ſtudio Philoſophiæ, comparavit. Scripſit *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Libros XII.* pro duodecim literis nominis ſui, ut primum quidem librum cœperit à φ, alterum ab ι. λ. tertium, & ita porro, ut tandem integri nominis, quod eſt φιλοστόργιος fieret ἀνακεφαλαίωσις. Vid. Photii *Bibliotheca* Cod. 40. qui idem peculiari extra Bibliothecam Opere, Hiſtoriam illius in Compendium redegit,

quod Jacobus Godofredus græce latineque, e verſione ſua, commentarioque auctum, edidit, Genevæ, 1643. 4. emendatius verò cura Valeſii Pariſiis. 1673. fol. Alia *contra Porphyrium pro Chriſtianis* a ſe ſcripta ipſe memorat Philoſtorgius, L. X. c. 10. Stylum ejus comptiorem de prædicat Photius, qui Poeticis ſine tædio, minimeque ingratis vocibus utatur. Tropos quoque ac verba ſignificantia gratiam illi cum jucunditate conciliare, niſi quod interdum temere ipſis, vel nimirum detortis utendo, in frigidum & importunum ſermonem incidat. Ornari ab eo variè orationem, vel ad ſarietatem, ita, ut in obſcuritatem, nec eam ſemper gratam, occultè trahatur auditor, in multisque non incommodas loquatur ſententias. Vid. de eo Voſſius *de Hiſt Græc.* L. II. c. 20 Cave *Hiſt. Litter.* P. I. p. 228. Caſimir. Oudin. *Supplem. de Script.* p. 68. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 76. Blount *Cenſura Celebr. Autor.* p. 295.

PHILOTHEUS ACHILLINUS.

Gente Gallus, qui Carolo V. a Conſiliis fuit, anno 1370. floruit. Fictum hoc aliis nomen videtur, comprimis Goldaſto, qui genuinam ejus appellationem, *Philippus* de *Marzeriis*, detegiſſe, ſibi perſvader. Scripſit Philotheus *Somnium Viridarii*, ſive *Libros II. de Poteſtate Regia & Sacerdotali*, *Dialogi inter Clericum*, *& Militem formâ compoſitos*, quos mendoſos, Pariſiis. 1516. excuſos videas, Correctos vero & integros apud Goldaſtum, T. I. p. 58. *Monarch. S. R. J.* *Vitam S. Thomæ*, *Cretenſis Archi-Epiſcopi*, quam habent Bollandi d. XXIX. Jan. T. II. p. 995. De eo Antonius Poſſevinus, *in appar. S.* T. II. p. 279. Bollandus l. c. H. Wharton, *append. Cav.* p. 42 Caſimir. Oudin. *Supplem.* p. 137. Omnibus autem anteponendus eſt Vincentius Placcius, *de Script. Pſeudonymis* p. 11. editionis Hamburg. 1708. f.

PHILOTHEVS.

Gente Græcus, ex Monacho Moderator S. Lauræ in Monte Atho, Metropolita Heracleenſis & Patriarcha Conſtantinopolitanus eſt factus. Claruit Philotheus, ann. 1362. Obiit 1371. *Vir erat*, teſte Cantacuzeno, *Hiſt.* Lib. IV. c. 12. *ob vitæ Sanctitatem & eloquentiam venerabilis.* Scripſit *Liturgiam & Ordinem Inſtituendi Diaconum*, quam vide *Bibl. Patr.* T. XXVI. & in *Rituali Græcorum*, Paris. 1647. f. p. 1. *Sermo-*

Sermonem Encomiasticum in tres Hierarchas, Basilium, Gregorium Theologum, & Joh. Chrysostomum. Lat. ibid. & cum aliis, Ingolstadii, 1604. 4. & in *Auctuar. Patrum*, Paris. 1624. T. II. p. 313 Orationem *de Cruce*, quæ apud Gretserum, *de Cruce* T. II p. 1255. *Orationem in tertiam Jejuniorum Dominicam* græc. lat. ibidem. p. 1477. *Refutationem Anathematismorum ab Harmenopulo* scriptorum, græc. lat. apud Leunclavium, *Jur. Græc. Rom.* L. IV. p. 288. *De divina substantia, operatione, potentia, & Lumine in monte Thabor Lib. XV.* MSS. contra Libros X. Nicephori Gregoræ, pro Gregorio Palama, quorum bina exhibet fragmenta, Leo Allatius: alterum, Libro *de Libris Eccles.* græc. p. 218 alterum, *Libro de Purgatorio*, p. 770. Plura ejus MSS. adducunt Cl. Cave P. II. *Hist Litter.* p. 284. Antonius Possevinus in *appar.* S. & ex eo Casimirus Oudin. *Supplem. de Script.* p. 599.

PHOEBADIVS.

Qui Sophronio *Sœbadius*, aliis tamen *Fœbadius*, & *Fœgadus*, scribitur, Gallus, forsan Aquitanus, ann. 359. floruit, Agenni Nitiobrigum ad Garumnam in Aquitania Episcopus. Scripsit *Librum contra Arianos*, qui primo prodiit cum nonnullis aliis, Athanasii, Basilii &c. cura Theodori Bezæ, & prelo H. Stephani, 1570. Deinde Parisiis, 1586. & *in Bibl. Patrum.* T. IV. Eundem recudi fecit illustratum Casparus Barthius, Francof. 1623. 8. apud Wæchelianos, qui Aureolum libellum vocat, ad *Claud. Mamert.* p. 310. *Epistolam* alibi appellat idem, *notis ad Pornobodidasc.* p. 340. De eo Hieronymus *in Catalogo.* Labbeus T. II. p. 108. Cave P. I. p. 119. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. II. p. 107. Bayle *Dictionaire Histor. & Critiqv.* & Cl. Buddeus *in Lexico.*

PHOTINVS.

Presbyter Constantinopolitanus, ann. 506. clarus, scripsit *Vitam S. Jejunatoris, Patriarchæ Constantinopolitani*, cujus fragmentum exhibet Concil. Nicen. II. Act. IV. Concil. T. VII. p. 272. Conf. Cave P. I. *Hist. Litter.* p. 307.

PHOTIVS.

Tharasii, Patriarchæ Constantinopolitani ex sorore nepos, vir profundæ eruditionis, Imperatoris Secretarius primò, Protospatharius

thanius deinde atque urbis Senator, Eunuchus & Laicus, Sedem Constantinopolitanam, ejecto per Bardam Cæsarem Ignatio, invasit, ann. 858. Eum acerbis passim Bellarminus, Baronius, & plerique omnes Pontificii, verbis dicteriisque petunt, Richardus verò Montacutius, Norvicensis in Anglia Episcopus, ex instituto eum defendit. Laudant eum ex debito, Nicetas David, Fr. Turrianus, Lipsius, Scaliger, Andreas Schottus, Daniel Heinsius, Petrus Halloix, Isaacus Casaubonus, aliique quam plurimi, quorum arbitria congessit Thom. Pope-Blount, *in Censur. Cel. br. Autor.* p. 351. seqq. Res gestas, fataque ejus adversa modo, modo secunda, exhibet post alios in compendio Cl. Cave l. c. P. I. p. 387. Scripta Photii in unum nunquam corpus redacta sunt. Prodiit *Bibliotheca* sive *Myriobiblon*, græcè, cura Davidis Hœschelii, Aug. Vindel. 1601. f gr. lat. cum Schotti versione, licet Schotto indigna, Genev. 1613. f. Rothomagi. 1653. f. *Epistolæ*, numero 248. quas cum aliis quinque Richardus Montacutius, græce latineque, Londini, 1651. edidit, & notas addidit. Ejusdem *Epistolam invectivam ad Stauracium*, habes apud Cotelerium, *Ecclesiæ Græcæ Monument.* T. II. *Nomo Canon* sive *Canonum Ecclesiasticorum & legum Imperialium, de Ecclesiastica disciplina conciliatio*, in Tit. XIV. distributa, quæ cum *Balsamonis Operibus*, Basileæ, 1561. ex versione Henrici Agylæi, Paris. 1615. 4. 1620. f. & in Justelli *Bibl. Juris Canonici*, Paris. 1662. T. II. p. 789 De hoc Nomocanonis Opere & ratione, vide eruditos discursus Adami Riccii, Tract. *de Libris Juris Rom.* p. 308. 313. seq. & Casp. Ziegleri *prælim. ad Jus Canon.* p. 16. 18. quibus addas Andr. Schottum ad. *Myriobibl. Prolegom.* circa finem. *Acta Synodorum VII. Generalium*, a Justello cum *Nomocanone*, Parisiis. 1615. edita. *Sermo in Deiparæ Natalem* a Fr. Combefisio, 1583. T. I. *Auct. Gl. De Voluntatibus in Christo, lat.* ex versione Turriani, in Auctuario Canisii Stevartiano. p. 437. *De divinitate & Incarnatione Dissert. VI.* ex ejusdem interpretatione, apud Canisium, T. V. *Antiqv. Lect.* p. 183. & alia, de quibus Cave l. c. Plurima ejus Scripta in MSS. delitescunt, *Commentarii in Pauli Epistolas: Quæstiones ad Amphilochium: de Episcopis & Metropolitis Collectio: Opus contra latinos: Odæ IX. Prophetarum Liber cum expositione: Lexicon: Liber in Categorias Aristotelis: Syntagma Canonum: Symbolum fidei: Tract. de Patriarchis, sede sua injuste pulsis: Disputatio de Processione Spiritus S. Tractatus de Manichæis*, & alia, de quibus partim Cave l. c.

l. c. partim Colomesius, *in Paralipomenis ad Cartophylacem Cavei.* Casimirus Oudin l. c. p. 285. seqq. De Photio Nicetas David, *in Vita Ignatii.* Anastasius, Bibliothecarius, *in Vitis Rom. Pontif.* Baronius, *Sec. IX.* Possevinus *in appar. S.* Dionysius Petavius *in Theol. dogmatibus.* Fr. Combefisius *in apparatu ad Bibl. Patrum Concionatoriam.* Natalis Alexander, *Hist. Eccles. Sec. IX. P. I. c. 3. art. 25. p. 260. P. II. Diss. 4. p. 100. seq.* Cl. Buddeus, *in Lexico*, Hanckius, *de Byzant. rerum Scriptor.* c. 18. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 80. & 103. Labbeus, *de Scriptoribus*, & alii.

PHOTIVS.

Tyriorum urbis Metropolita, ann. 451. claruit. Lites ipsi perpetuæ interceserunt cum Eustathio, Beryti Episcopo. Hic, cum sedi suæ sex Phœniciæ civitates, Tyro subtractas, subjiceret, Photius ad Martianum, Imperatorem, *Libellum supplicem* scripsit, qui gr. lat. Concil. T. IV. p. 541. habetur. Conf. de eo Cave P. I. *Hist. Litter.* pag. 252.

PIVS I. P. R.

Patria Aquilejensis, Pontifex Rom. ab ann. 127. ad 142. juxta accuratiorem Pearsoni & Dodwelli calculum, sub cujus nomine circumferuntur *duæ ad Justum Viennensem Epistolæ*, quas spurias prudentiores agnoscunt. Habentur illæ apud Baronium, & inter *Orthodoxogr.* T. II. p. 3. *in Bibl. Patrum* editionibus singulis, & Joh. a Bosco, *Bibl. Floriac.* P. II. p. 22. 24. Conf. Lud. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* pag. 186.

PIVS II. P. R.

Gente Picolomineus, ortu Senensis, Corsiniani natus, anno 1405. initio Scriba in Concilio Basileensi, postea Friderici III. Imperatoris Secretarius, *Æneas Sylvius* prius dictus, porro Episcopus, Tergestinus, & Senensis, inde Cardinalis, tandemque Pontifex Rom. anno 1458. creatus. Quibus gradibus eo devenerit, ipse enarrat, Epistola 201. conf. 398. & Dietericum *Brev. Pontif.* p. 345. Vossium, *de Hist. Lat.* p. 536. Henr. Whartonum *append. Cav. p. 95.* p 95. & Cl. Buddeum, *in Lexico.* Laudat illum Spondanus, *Annal. Eccles.* ad annum 1458. §. 9. 13. *Vir erat literis, eloquentia, dexteritate & prudentia nulli secundus,*

cundus, adeoque scribendo delectatus, ut nec perpeti morbi articularis dolore, nec multitudine negotiorum oppressus, ab eo cessare potuerit. Obiit Aneonæ 1464. Omnia ejus Opera Basileæ, 1551. fol. ex officina Henrici Petri edita, Labbeus & H. Wharton, & Cl. Cavius recensent. *Historia rerum ubique gestarum*, prodiit Venet. 1477. *Orationes quædam*, Islebii, 1603. *Historia rerum Friderici III. Imperatoris*, quam Bœclerus e MSS. edendam promiserat, sed quod ille ob mortis præventum præstare non potuit, id Kulpisius egregie præstitit, qui illam cum annotationibus, Bœcleri, Argentorati, 1685. fol. emisit. *Alia ejus Opuscula & Epistolæ familiares, in quadruplici vitæ statu ad diversos transmissæ*, numero, 432. multa eruditione & antiquitate refertæ, & eximio Autoris præconio insignitæ, impressæ sunt Romæ, 1475. 4. Noribergæ, 1481. Lugduni, 1581. Antw. 1640. 4. Bellarminus, quidem, ac post illum Moguntini dicunt, multa eum audaciori prius calamo scripsisse, quæ Pontifex factus retractaverit. Sed refelluntur a Crocio, T. I. *Vindiciarum Anti Becani sui* f. 470. ubi notabiles flosculos promit, ab ejus, cum jam Pontifex esset, ore prolapsos, vagum Monachum, Diaboli mancipium esse. Fideli animo thesaurum nullum anteponendum. Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, majori restituendas videri. Confer, ejus Iconem, & elogium apud Boissardum, *Icon. Illustr. Viror.* P. III. p. 11. seq. Adde Hieronymum Balbulum, Episcopum Gurzensem, libro *de Coronat. ad Carol. V.* p. 49. & Joh. Bapt. Egnat. *Clar. Vir. Epist.* 59. Cæterum Pius hic II. ob tria moribundus maxime fertur doluisse. *Primo* quod scripserit, Tractatum, de duobus amantibus. *Secundo*, quod Catharinam Senensem, sortum Papæ, canonisaverit. *Tertio* quod Christianum populum, ad bella contra Turcam gerenda, concitaverit. Notavimus hoc ex vetusto libro Chronico Silesiæ, MSS. Conf. Ludov. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 187. seqq.

BARTHOLOMÆVS PLATINA.

Non vero *Baptista Platina*, uti Bellarmino, & aliis vocatus, à patria cognomine, agri Cremonensis, Platina, dicto, provecta jam ætate, militiæ ante deditus, teste Volaterrano, literas didicit, & a Pio II. Abbreviator Apostolicus constitutus est. Floruit, ann. 1474. Fata ejus durissima, quibus ipsum afflixit Paulus II. P. R. exposuit Cave, P. I. *Hist. Litter.* p. 103. post alios. Demum Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus,

ctus, singulari Sixti IV. Clementia factus, Primariusque Abbreviatorum Societatis, extitit. Obiit Romæ peste correptus, 1481. Scripsit *Historiam de Vitis Pontificum Romanorum*, quæ seorsim, Basil. 1479. Noribergæ, 1481. f. Lovanii, 1572. Venet. 1518. f. Colon. 1600. & 1611. 4. Lugd. Batav. 1645. prodiit. Cum aliis ejus Opusculis, H. Whartono memoratis, l. c. p. 103. Colon. 1529. Lovanii, 1572. Colon. 1574. f. *Dialogum de floseculis lat. linguæ*, Venet. 1480. 4. *De tuenda valetudine: de Natura rerum*, & alia. Colon. 1529. 8. Paris. 1530. 8. Basil. 1541. 4. *Historiam urbis Mantuæ & Sereniss. familiæ Gonzageæ, Lib. VI.* emisit Petrus Lambecius, Viennæ, 1675. 4. *Index Archivi Arcis S. Angeli* MSS. memoratur, Cl. Mabillonio, *in Itinere Italico*. De eo Jovius, Boissardus, H. Wharton, Cave, Buddeus, Blount, Bayle, l. c. Sagittarius, *Introd. ad Hist. Eccles. c. 25*, Vossius, *de Hist. Lat.* aliique complures.

POLEMON.

Apollinarii, Hæresiarchæ, discipulus, vixit ann. 385. Scripsit Sermonem Antirrheticum adversus S. S. Patres, cujus fragmentum exhibet Maximus *in Tomo dogmatico Opusc. Theol. & Polem. T. II.* p. 90. Hic idem Maximus fragmentum ex Sexta ejus ad Timotheum, impietatis socium, Epistola, fistit, quod etiam in *Concil. T. VI. col. 316*, repetitur. De eo Cave, P. II. *Hist. Litter.* p. 50.

POLYBIVS.

Epiphanii discipulus, ejusque juxta nonnullos Diaconus, & Rhinocurorum postea Episcopus factus, ann. 403. Scripsit Epiphanii gesta & posteriorem vitæ partem, quæ cum Johannis parte priori lat. extat apud Surium, d. XII. Maj. græc. lat. inter *Opera Epiphanii*, editionis Petavianæ, T. II. *Epistolam* item *ad Sabinum*, Epiphanii Successorem, qua Epiphanii exequias sibi descriptas mitti rogat. Conf. Cl. Cave, P. I. p. 206.

POLYCARPVS.

Smyrnæ Episcopus, ann. 94. vel sequenti, ut creditur, a S. Joh. Apostolo & Evangelista, ordinatus, nonnullis Apostolorum, & eorum, qui Dominum viderant, Magistris usus, juxta Hieronymum, Lib. *de Script. Eccles.* De ejus Pietate, doctrina, Zelo, ac Martyrio, abunde omnes ii, qui veterum Patrum tradunt historias,

atque monumenta. Vid. Spizelii, *Acad. Veter. JEsu*, p. 22. qui plures collegit. Scripsisse fertur *Epistolas* perplures Irenæo, Maxentio, Svidæ, memoratas, spurias tamen magis atque illam *ad Philippenses*, quæ inter Ignatii Epistolas habetur. Prodiit quoque eadem græc. lat. *in Vita Polycarpi*, Duaci à Petro Halloix edita, 1633. & auctior *in appendice Ignatiana* Usserii, Oxonii, 1644. ex editione Maderi, Helmst. 1651. Inter varia Sacra, à Stephano le Moyne, Lugd. Batav. 1689. 4. & *Epistolas Patrum Apostolicorum*, Anglicè factas, atque editas, à Guilielmo Wakæo, Londini, 1693. 8. & ante hos omnes cum *Ignatii & Dionysii, Scriptis*, Paris. 1498. Argent. 1502. Basil. 1520. Colon. 1536. *in Micropresbysico*, Basil. 1550. Colon. 1557. & alibi. Autoritas hujus Epistolæ dubia alioqui fuit existimata, quam tamen Cl. Cave, genuinam pronunciare maluit. Vide ejus T. II. *Hist. Litter.* p. 13. ubi primam hujus controversiæ originem ad nostra usque tempora enarrat, variosque hoc circa negotium errantes autores, modestè satis notavit. Adduci comprimis meretur Celeberrimus Ittigius, qui eandem integram, nec ab aliis interpolatam adversus Cl. Tentzelium, amicissime propugnavit. Vide ejus *Appendicem dissertationis de Hæresiarchis*, c. X. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. I. p. 50. seqq. Labbeus *de Script. Eccles.* Blount *Censura Celebr. Autor.* p. 133. seq. Ittigius in *præfatione* eruditissima, *Tractatui de Catenis Patrum*, præmissa, p. 11. Joh. Albertus Fabricius, *Codice N. T. apocrypho* & alii.

POLYCHRONIVS.

Gente Syrus, Zebinæ discipulus, Apameæ Episcopus, anno 410. claruit. Scripsit *Expositionem in Canticum Canticorum*, a Meursio, Lugd. Batav. græce editam, 1617. 4. *Comment. in Job*, cujus partem vide in *Nicetæ Catena in Jobum*, quæ Patricii Junii studio, Londini, 1637. fol. prodiit. *Comment. in Ezechielem* & *Danielem*, quorum fragmenta passim habentur. Conf. Cave, P. I. p. 213. *Oudin, Supplem.* p. 67. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 167.

JVLIANVS POMERIVS.

Natione Maurus, sive Afer, Galliæ Rhetor, Presbyter imo & Abbas, Arelate aliquando vivens, circa annum 496. calculo Labbei, p. 652. qui illi vendicat *Libros III. de Vitâ contemplativâ*, falso hactenus

ctenus Prospero Aquitanico tributos, atque sub ejus nomine, 1487. & Colon. 1536. 8. & alibi excusos. Prologum Operis istius secundum, extulit primus Lucas Dacherius, Spicileg. T. XII. Reliqua attingit, Cave, P. I. p. 261. quem evolve. De eo Gennadius, *de Script.* c. 98. & Isidorus, *de Script.* c. XII.

PONTIVS.

Aliis *Pontinus* minus recte dictus, Diaconus fuit S. Cypriani, Carthaginensis Episcopi, usque ad extremum passionis ejus diem, exilium cum ipso sustinens, floruit ergo 251. Scripsit *Librum de Vita & Passione S. Cypriani*, qui extat apud Surium, d. 26. Septembr. & in fronte *Operum Cypriani*. De ejus sinceritate subdubitat Nicolaus Rigaltius, cui tamen gravissimè succenset Labbeus, p. 232. seq. sinceriſſimum illud monumentum vocans, primæque inter antiqua Veterum Martyrum Acta atque elogia, dignationis. Ipsius *Pontii Martyrii Acta*, a Valerio, Cypriani Diacono, scripta, emisit Stephanus Baluz. *Tom. II. Miscellan.* p. 124. De eo Cave, P. I. p. 67. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 180.

PORCARIVS.

Abbas, incertæ ætatis autor, cujus tamen aliquam *Epistolam* ex Galleti, Lugdunensis, recognitione, dederunt *Collectores Biblioth. Patrum*. Colon. T. XV. f. 999.

PORCHETVS SALVATICVS.

Italus Genuensis, ex gente Salvaticorum illustri oriundus, Monachus Carthusianus, quem Cl. Whartonus ad an. 1315. reponit, Aub. Miræi vestigiis insistens. Scripsit Porchetus Opus adversus Judæos, *Victoria* inscriptum, in quo quam plurima ex Raymundi Martini *Pugione fidei*, citato tamen Raymundi nomine, transcripta, reperies. Extulit illud Augustinus Justinianus, Episcopus Nebiensis, Parisiis, 1520. fol. Erudite de Porcheto differit, H. Wharton, *Append. Cav.* p. 11.

POSSESSOR.

Ecclesiæ incertæ in Africa Episcopus, ann. 520. insigni veritatis Zelo inclaruit. Scripsit *Epistolam ad Hormisdam, P. R.* quâ ejus de Fausti Regiensis dogmatibus, circa gratiam & liberum arbitrium,

expostulat decisum. Habetur illa cum *Hormisdæ Responso*, Concil. T. IV. p. 1529. Loquitur de Possessore, Cave P. I. p. 280.

POSSIDIVS.

Vel *Possidonius*, gente Afer, S. Augustini discipulus, Calamæ Episcopus, Collationi Carthaginensi, ann. 411. & Concilio Milevitano, 416. interfuit. Floruit circa annum 430. Scripsit *Vitam S. Augustini & Indiculum ejus Scriptorum*, quod utrumque Possidii Opusculum, *Augustini Operibus* solet præfigi. Indiculus antea prodiit, inter *Sermones Augustini*, Lovanii, 1564. Conf. modo citatus Cave P. I. p. 231. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 33.

POTHO.

Prumiæ, celebris in Diœcesi Trevirensi Cœnobii, Monachus, & Presbyter Ord. Bened. non vero Episcopus, prout habet *Index Bibl. Patrum Paris. ultimæ*, corrigente Labbeo, p. 233. Floruit, anno 1152. eodemque scribere cœpit *Libros V. de statu domus Dei*, qui cum libro alio ejusdem, quem *de magna domo Sapientiæ* fecisse dicitur, ann. 1532. 8. Hagenoæ, deinceps verò *T. IX. Bibl. Patrum Paris. edit. 2.* f. 1177, 1234. & subsequentibus *Bibl. Patrum* editionibus, prodierunt. Agunt de eo Bellarminus *de Scriptor. Eccles.* in editione Parisiensi, 1617. Labbeus & Cave, locis citatis. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 36. & 184.

POTAMIVS.

Gente Hispanus, Olyssiponæ Episcopus, anno 357. ad Arianos defecit, formulæ Ariminensi subscribens. Obiit gravissimo in Lingua tormento correptus. Scripsit *Epistolam ad Athanasium*, quam primus in lucem protraxit Lucas Dacherius, *Spicileg.* T. II. Conf. Cave, P. I. *Hist. Litter.* p. 119.

PRIMASIVS.

Afer, Adrumetinus in Byzacena Africæ Provincia circa ann. 550. Episcopus, S. Augustini non tam discipulus, quam Sectator addictissimus, ejusdemque doctrinæ impensus amator. Unde facile deprehendas lapsum Sixti Senensis, Simleri, Elsii, Gagnæi, aliorumque, ad ann. 440. eum collocantium, quos ideo arguit Labbeus, p. 234.

p. 234. Tribuuntur illi *in S. Pauli Epistolas ex SS. Ambrosii, Hieronymi, Augustini &c.* Monumentis collecta *Commentaria*, Lugd. 1543. 8. per Joh. Gagnæum, edita. *Mystica* item *explicatio Apocalypseos*, excusa seorsim, Basil. 1544. 8. Præterea uterque Liber prodiit, Lugduni, 1543. & extat T. VI. *Bibl. Patr. Colon.* P. II. f. 20. 150. & *edit. novissim.* T. X. *Libri III. de Hæresibus*, ad *Fortunatum Episcopum*, jam pridem interierunt. Nisi *Libros III. de Hæresibus*, qui sub *Prædestinati* nomine, Paris. 1643. 8. Amstelod. 1645. 8. & *in Bibl. Patr. Lugd.* T. XXVII. & Patavii, 1686. 4. prodierunt, pro iisdem agnoscas. Scrupulum tamen eximit Cl. Cave, P. I. p. 291. seq. quem consule. Oudinus tamen Mabillonio adstipulatur, eundemque Librum pro genuino Primasii, habet. Vid. illum p. 110. & Aub. Miræum, l. c. p. 83. Anton. Possev. *appar. S.* Isidor. *de Script. Eccles.* Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 80.

PRIMINIVS.

Abbas, Episcopus vel Chorepiscopus, prout Cl. Caveo, P. I. p. 344. videtur, circa ann. 750. claruit. Extat ejus *Libellus de singulis Libris Canonicis* apud Mabillonium, *Analect.* T. IV. p. 569.

PRISCVS vide VALERIANVS.

PROBA FALCONIA.

Uxor non Adelphi Proconsulis, ut Isidorus c. 5. retulit, sed Anicii Probi, Præfecti Prætorio, postea Consulis, Mater Probini, Olibrii & Probi, similiter Consulum. De ea multa Hieronymus *Epist. 8.* Baron. T. IV. & V. ann. Floruit non quidem sub Theodosio Juniore, uti Sixtus Senensis post plerosque alios ait, sed sub Gratiano, circa ann. 371. uti habet Index Chronolog. præfixus, *Bibl. Patr. Colon.* Ea cum ab incunabulis & ingenuarum Romanarum more in Virgilianis Scriptis probe instituta, & in Christiana Religione initiata, scripsit *Centonem Virgilianum de rebus divinis.* Extat ille *Bibl. Patr.* T. V. Lugd. 1516. Oppenheimi, cum aliis excusus apud Jacobum Kœbelium, anni mentione non addita. Francof. 1541. Basil. 1546. separatim. Paris. 1578. Helmstadii, cum *Ausonii Centonibus*, 1597. 4. Colon. 1661. 8. *Epist. ad Augustinum* inter ejus Epist. n. 179. Tract. *de Videndo Deum*

Deum, ad eundem Augustinum. Epitaphium quoque Mariti, marmoribus incisum Romæque effossum, ipsi tribuit Baronius, l. c. T. IV. ad ann. 395. Conf. Ant. Possev. *app. S.* & *Bibl. Select.* Cl. Cave P. I. p. 145. Casimir. Oudin. l. c. p. 82.

PROCHORVS.

Unus e VII. Diaconis Ecclesiæ primitivæ juxta Actor. VI. S. Joh. auditor, qui Sec. I. circa, ann. 70. claruit, falso dictus autor Libelli, *de Vita miraculis & assumtione S. Joh. Evangelistæ*, qui extat græc. lat. inter *Orthodox. Patr. Grynæi* T. I. f. 85. at lat. solum T. VII. *Bibl. Patr.* Paris. edit. 2. f. 153. Suppositium esse hoc Scriptum Baronius, Lorinus, Bellarminus, Labbeus, & alii lubentissimi concedunt. Videas post alios Cl. Cav. P. I. p. 17. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. I. p. 18.

PROCLUS.

Discipulus, & Anagnostes S. Johannis Chrysostomi, Attici, Episcopi Constantinopolitani, amanuensis & Diaconus, inde Presbyter, porrò Cyzicenus Episcopus, tandemque post Maximianum ejusdem urbis Constantinop. Episcopus, evectus, ann. 434. ann. vero 446. e vivis sublatus. Omnia S. Procli analecta e Bibliothecis hinc inde eruta græc. & lat. Commentario addito, vulgavit, Romæ, 1630. 4. Vincentius Ricardus, Clericus Regularis Theatinus. Sunt autem, *Orationes* XXI. a Labbeo & Cavio recensitæ, cum quibusdam Procli ad diversos & horum ad Proclum Epistolis. Ejus *Epistola ad Armenos de fide*, græc. lat. extat, *Concil.* T. III. p. 1217. in *auctuario Ducæano*, Paris. 1624. T. I. latina, Dionysio Exiguo interprete, *Bibl. Patr.* T. I. p. 309. græce cum eadem interpretatione, in *Antidoto adversus hæreses*, Basil. 1528. Paris. 1538. in *Hæreseologia*, Basil. 1556. in *Micropresbytico*, 1550. & in *Orthodoxographis*. Tractatus *de Traditionibus Missæ divinæ*, habetur etiam græce *in Collectione Liturgiarum*, Paris. 1560. p. 1. *Homilias XX.* easque genuinas, exhibet græc. lat. Fr. Combefisius, *Auctuar.* Paris. 1648. T. I. p. 301. Quædam quoque Procli Opuscula, græc. lat. e Bibliotheca Elmenhorstiana prodierunt, Lugduni Batavorum, 1617. 12. Reliqua Procli deperdita sunt monumenta. Fragmentum tamen unicæ *Orationis* fistit Nicephorus, *Hist. Eccles.* l. 14. c. 38. Conf. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 72.

PRO-

PROCOPIVS CÆSAREENSIS.

Cæsareæ in Palæstina natus, Historicus, Notarius, Senator Constantinopolitanus, & Comes Belisarii, ab ann. 557. ad 562. floruit. Litigant autores de Procopio, an Christianus, an vero Gentilis extiterit. Joh. Eichelius illum ad paganismum reducit, *præfatione in Procopii anecdota* n. 17. ad 22. alii verò contrarium svadent. Hos conciliat Cl. Cave, P. I. *Hist. Litter.* p. 283. qui Procopium neque prorsus gentilem, neque prorsus Christianum fuisse, veri non absimile putat. Scripsit Procopius, *de Bello Persico* Lib. II. *de Bello Vandalico*, Lib. II. *de Bello Gothico*. Lib. IV. quos cum Libris II. *de Bello Vandalico*, lat. edidit, Hugo Grotius, Amstelod. 1655. 8. Antea verò singuli VIII. lat. prodierunt, Basil. 1531. 1566. f. Græce, August. Vindel. 1607. f. *Anecdota*, sive *Historiam Arcanam*, *Justiniani*, *Theodoræ*, *Belisarii & Antoninæ*, vitia describentem, quam tamen plerique ex eruditis a solita Procopii gravitate alienissimam, atque supposititiam censent. Prodiit illa græc. lat. Lugduni, 1624. f. primum cum notis Nicolai Alemanni, Helmstadii, 1654. 4. curante Joh. Eichelio, qui animadversiones suas in Procopium, unacum Thomæ Rivii, *defensione Justiniani*, adjecit, & Colon. 1669. f. *de Ædificiis Justiniani Imperatoris*, Lib. VI. qui cum VIII. prioribus libris, Basileæ, lat. 1576. & græce, Aug. Vindel. 1607. f. excusi sunt. Singula Procopii Scripta græc. lat. emendatius atque correctius produxit Maltretus, Paris. 1662. f. De eo Hanckius, l. c. c. 5. p. 145. seqq. Blount l. c.

PROCOPIVS.

Diaconus & Cartophylax, quem Cave, Dissertat. I. ad calcem P. II. *Hist. Litter.* p. 15. incertæ ætatis Scriptoribus annumerat, scripsit *Encomium Archangelorum*, *Michaelis & Gabrielis: Encomium in S. Evangelistam & Apostolum Johannem: Encomium in S. Marcum:* quæ ejus opuscula extulerunt, Bollandiani, d. April. XXV. *Sermonem in celebrationem Sanctorum & Imaginum*, MSS. memorat, Du Fresne, *in Indice Auct. Græc.* MSS. p. 32. Conf. Leo Allatius, *de Symeon.* p. 87. & 104.

PROCOPIVS GAZÆVS.

Gazæus ab urbe, quam inhabitavit, appellatus, professione Sophista, ann. 510. claruit. Dictionem ejus optime quidem ex-

cultam, sed comptiorem aliquantò, quam commentarii rudiorem formam deceat, pronunciat Photius, *Cod.* 206. Scripsit *Commentaria in Octateuchum*, quæ Conrado Clausero interprete, sed minus fideli, prodierunt, Tiguri, 1555. Accuratiorem illorum Versionem quam proxime emissurus est, Godofredus Olearius, Prof. Theologiæ Lipsiensis, Patruelis noster honoratissimus, quam eruditi avide expectant. Singulare ex illa communicat, Thom. Ittigius, *de Script. Sec. I.* p. 147. qui eandem maximopere commendat. *Scholia in Libros IV. Regum & II. Paralipomenon* græc. lat. edidit, Joh. Meursius, Lugd. Batav. 1620. 4. *Variorum in Esaiam Commentariorum Epitomen*, Joh. Curterius, græc. lat. Paris. 1580. vulgavit. *Comment. in Proverbia & Cantica*, Turriano & Curterio citata, forsan adhuc in MSS. latitant. *Epistolas* aliquot Procopii, Sophistæ, exhibet, *Volumen Græcarum Epistolarum*, ab Aldo impressum, quæ probabiliter ad nostrum spectant. *Commentarium in XII. Prophetas minores*, latine vertit, preloque paratum post se reliquit, Joh. Garnerius. Conf. Cave, P. I. *Histor. Litter.* p. 279. P. II. p. 108. Labbeus l. c. p. 245. Simlerus *Epit. Gesner.* f. 588. b. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. V. p. 51.

TIRO PROSPER.

Gente Aquitanus, Laicus & Uxoratus, Papæ Leonis I. Secretarius ac Notarius, S. Augustini acerrimus defensor, post labores contra Pelagianos, aliosque hæreticos, exantlatos plurimos, post annum 460 vita defunctus, nec Regii-Lepidi, nec Rejorum, nec Aurelianensis unquam fuit Episcopus, juxta ea, quæ prolixe disseruit Labbeus, p. 247. seqq. Confer tamen, quæ adducta sunt apud Sanmarthanos, T. III. *Gall. Christ.* f. 934. quanquam non desit dubium, cujus arbitrium lectori relinquunt. Opera Prosperi, Lugd. 1539. f. Colon. 1565. 4. Lovan. 1566. 4. Duaci, 1577. 8. Colon. 1609. 8. 1618. Lugd. 1639. & in *Bibl. Patr.* T. VIII. p. 1. vulgata sunt. Seorsim verò prodierunt Lib. III. *de Vita contemplativa*, ann. 1487. & Colon. 1536. 8 *Prologum II.* in hos libros vide apud Dacherium, *Spicileg.* T. XIII. Hos tamen Juliano Pomerio, tribuit Isidorus Hispalensis, *de Script.* c. XII. *Liber de gratia Dei & Libero arbitrio contra Collatorem*, Lugduni, Bat. 1606. & Atrebat. 1628. *Liber Sententiarum ex Operibus S. Augustini excerptarum*, Helmstadii, 1613. cura Joh. à Fuchten. *Confessio*

fessio fidei, Paris. 1619. post Eugenii Toletani Opuscula, excusa est. *Chronici à Prosspero consignati*, quatuor editiones memorat Cave, P. I. p. 248. *Vulgarem*, quæ ad calcem Eusebiani & Hieronymiani habetur. *Duchesnianam*, quæ extat T. I. *Historicorum coætaneorum Franciæ* a Du Chesnio editorum. *Pithœanam*, quæ Parisiis cura Petri Pithœi, 1588. & studio Phil. Labbei, ibidem 1657. T. I. p. 56. *Bibl. Novæ*, MSS. prodiit. *Labbeanam*, & integram, quam vide apud Labb. l. c. p. 16. Hoc Prosperi *Chronicon*, & *fidei Confessio*, nuspiam inter Opera ejus comparent. Scripta cæteroquin ordine repræsentat Cl. Cave, P. I. p. 247. seqq. Adde *Prosperi Carmen de fide, Vita, & moribus Christianorum ad Vxorem*, quod exhibet Agricola, *Gymn. Vit. hum.* pag. 205. De eo Gennadius Massil. & Aub. Miræus, in Schol. ad c. 84. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 181. Blount *Cens. Celebr. Autor.* p. 304.

PROTERIVS.

Alexandrinus Episcopus, autoritate Synodi Chalcedonensis, ann. 451. constitutus, a plebe tamen furiosa sede expulsus, atque crudeliter occisus, ann. 457. Scripsit, ann. 455. *Epistolam ad Leonem Papam, qua Theophili, decessoris calculum defendens, Paschatis festum eo anno in VIII. Cal. Majas differendum esse* contendit. Habetur illa Lat. apud Bucherium, *de doctrina temporum*, & in editione *Operum Leonis Quesnelliana*. *Epistola, sive Professio fidei suæ*, interiit. De eo Cave, P. I. p. 252. Du Pin l. c. p. 205.

AVRELIVS PRVDENTIVS CLEMENS.

Hispanus, vel Tarraconensis, vel juxta alios Cæsaraugustanus, non quidem Vir Consularis, uti non pauci ab Aldo corrupta quadam Lectione, Litterarum V. C. in errorem ducti scripserunt, sed Vir Clarissimus, atque militiæ deditus, postea Poëtarum Christianorum facile princeps, cujus Laudes vide apud Barthium, ad Claud. Mamertum, p. 305. seqq. Ætatem ejus quod spectat, ann. 405. præfationem in Cathemerinon scripsit, seque ann. 348. natum cecinit. Opera, quæ conscripsit, sæpius edita prostant. Venetiis, 1501. inter *Poetas Christianos*, Lugduni 1603. Antwerpiæ 1564. & *in Bibl. Patrum* T. V. pag. 990. cura Joh. Weitzii, Hanov. 1613. 8. cum doctissimis

animadversionibus, Nicolai Heinsii, Amstel. 1667. cum interpretatione & notis Stephani Chamillard, Paris. 1687. 4. & Christophori Cellarii cura, Halæ, 1703. 8. Seorsim prodiit sub *Amœni* nomine, cura Fabricii, *Enchiridion V. & N. T.* Basil. 1564. 4. & cum *Aratoris & Juvenci Scriptis*, ibid. 1537. Lib. II. contra Symmachum ac veterem Deorum gentilium cultum, studio Isaaci Gangrei, Paris. 1614. 8. *Prudentii Hymnum de Christi Natali*, cujus initium, *Quid est quod arctum circulum Sol jam recurrens deserit &c.* seorsim edidit & Commentariolo illustravit Aug. Buchnerus, Wittebergæ, 1643. De Prudentio Conf. Labbeus, Cave P. I. p. 206. Aub. Miræus, *in Schol.* ad Gennadii cap. 14. Cl. Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 696. seqq. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 5. Thom. Blount, l. c. p. 282. qui laudes ipsi ab aliis dictas, studiose congessit.

PRVDENTIVS GALINDVS.

Hispanus, Tricassinus in Campania Episcopus, anno 846. Concilio Parisiensi, & 849. Turonensi & 853. Svessionensi, interfuit. Obiit, ann. 861 Scripsit prolixum Tract. *De Prædestinatione contra Joh. Scotum Erigenam*, excusum a Gilberto Mauguino, T. II. *Vindiciarum Prædestinationis & gratiæ*, p. 191. seqq. Paris. 1650. 4. *Collectaneum de tribus Epistolis* ad Hincmarum Remensem & Pardulum Laudinensem, Episcopos, ad *calcem Historiæ Gotteschalci Prædestinatiani*, p. 425. Paris. 1655. cura Ludovici Cellot impressæ. *Tractoriam Epistolam* adversus IV. capitula Conventus Carisiacensis. T. II. *Vindiciarum Prædestinat. & gratiæ*, p. 176. *Brevem Epistolam* ad quendam Episcopum, fratrem suum, T. IV. *Analect.* Mabillonii, p. 324. Hæc Prudentii Opuscula, vid. T. XV. *Bibl. Patrum* p. 598. Plura de eo Gilbertus Mauguin, l. c. Bollandistæ ad d. 6. Aprilis. Sanmarthani, *Gallia Christ.* T. III. Oudin. *Supplem. de Script. Eccles.* p. 250. seqq. Cave P. I. *Hist. Litter.* p. 379. Usserius, *Hist. Gotteschalci*, c. VIII. & XI.

PTOLOMÆVS.

Valentinianus & Gnosticus professione, vir juxta Epiphanium longe doctissimus, quem Cave P. I. *Hist. Litter.* p. 29. ad annum 150. reponit, scripsit *Epistolam contra Legem Mosaicam*, cujus divinam originem

ginem ausus est labefactare. Extat illa apud Epiphanium, *Hæres. XXXIII.* à num. 3. ad 7. & fragmenta quædam apud Irenæum.

PTOLOMÆVS LVCENSIS.

Italus Lucensis, S. Thomæ auditor, Ordinis Prædicatorum Monachus, ann. 1303. claruit. Postea ann. 1318. Episcopus Torcellensis consecratus, ann. 1321. obiit. Scripsit *Annales rerum civilium & Sacrarum*, ab ann. 1060. ad 1303, item *Chronicon Pontificum* atque *Imperatorum*, quod utrumque, Lugd. 1619. prodiit. *Annales* extant quoque in *Bibl. Patr.* T. XXV. p. 449. *Historiæ Ecclesiasticæ* Lib. XXIV. cujus excerpta quædam vid. *Hist. an. Illustrat.* T. III. & *Collectaneo Hist. Franc.* T. V. p. 89. *Concionem* observat Cl. Cave P. II. *Hist. Litter.* pag. 271. a Ptolomæo Lucensi, Mantuæ, habitam, in qua Christum non in utero Virginis, verum juxta cor ipsius ex tribus sanguinis guttis conceptum, retulit. Adversus hanc Baptista Mantuanus, Tractatum *de parte corporis, in qua conceptus est Christus*, edidit, qui inter Opera ejus extat. Conf. de eo Vossius, *de Hist. Lat.* Possevinus in *app. S.* Casim. Oudin, *Supplem. de Script. Eccles.* p. 616. H. Wharton, *append. Cav.* p. 7.

ANTONIUS PUCCIUS.

Gente Romanus, Cameræ Apostolicæ Clericus, ann. 1514. claruit. Jussu Leonis X. *Orationem* in Concilio Lateranensi habuit super verba Psalmi LXXII. v. 2. *Omnes Reges terræ adorabunt eum & servient ei*, quâ tamen Leoni turpiter est adulatus. Extat illa *Oratio*, cum *Epistola* ad Leonem, Pontificem, *Concil.* T. XIV. p. 231.

Q.

QVADRATVS.

A Thenienſis, post Publium Martyrem, Episcopus, juxta Eusebium & Hieronymum, S. Joh. discipulus, Vir pius, atque ob donum Propheticum, an. 123. clarus, Martyrque factus, scripsit *Apologiam*

pro Christianis ad Hadrianum Imperatorem. Hæc quidem jam dudum interiit, fragmentum tamen breviusculum exhibet Eusebius, L. IV. c. 3. qui eundem ingentibus cumulat laudibus. Plura nec scripsit, ut adversus, *Centuriatores Magdeburg.* observat Cave, P. I. p. 24. & ante ipsum, Balthasar Bebelius, *antiqu. Eccles. Cent. II. Art. I.* p. 183. Hic itidem annotavit, Valesium aberrasse, qui cum aliis diversum a nostro Quadratum exhibere, fuerit conatus. Quibus autem argumentis utatur, & quomodo rationes ejus diluat, vide apud eundem l. c. Agunt de Quadrato Trithemius, *de Script. Eccles.* Simlerus, Kœnigius, Du Pin T. I. *Bibl. Nouv.* p. 54. Balthasar Bebelius l. c.

QVINTIANVS.

Episcopus Asculanus, ann. 484. clarus, scripsit *Epistolam* ad *Petrum Fullonem adversus Clausulam Trisagio annexam*, quam & XII. anathematismis improbavit. Vide illam græc. lat. *Concil.* T. IV. p. 1097. De eo Cave P. I. *Hist. Litter.* p. 261.

R.

RABANVS MAVRVS.

MOguntinus, ubi natum se renatumque in Epitaphio, quod quidem dubium facit & Scotiæ suæ natales Rabani, vindicare studet Dempsterus, *Hist. Scot.* p. 553. insinuat, Labbeo teste, pag. 265. Sunt tamen qui neque Moguntiam, neque Angliam, patriam ejus fuisse tradunt, vide Sanmarth. T. I. f. 349. T. IV. f. 444. Hoc sane in aprico est, Fuldæ à puero Monachum, Alcuini discipulum & ejusdem celeberrimi Monasterii per 24. annos Abbatem fuisse, unde forte Sixtus Senensis, Possevinus, imò & Trithemius, Fuldæ eum natum crediderunt. Anno 847. post Otgarium, Archi-Episcopus Moguntinus electus, fato vero ereptus, ann. 856. in S. Albani fano quievit, donec ossa ejus Albertus, Cardinalis, Marchio Brandeburgicus,

gicus, Moguntinus, atque Magdeburgicus Archi-Episcopus, Halam Saxonum in S. Mauritii Basilicam, superiore Seculo, devexit, referentibus Sanmarthanis, T. I. l. c. Conf. *Designationem Historicam Reliquiarum Sax. Hallensium*, ann. 1520. Halæ editam, dein a Franzio, Wittebergæ, 1618. reiteratam f. 82. & Vossius L. II. *Hist. Lat.* c. 35. p. 315. Primus græcas litteras in Germaniam invexit Rabanus, ut Eberhard. Fabricius, *Gloria Fuldensi*, p. 75. scribit, Fulgentissimum hoc Germaniæ sidus & Theologorum sui temporis vertex, Baronii elogio, adeò viguit ac floruit, ut nec Germania, nec Italia parem pepererit juxta Trithemium. Præter enim doctissima Script. S. universæ Commentaria plura alia, tam ingeniosa, quam docta, reliquit. Opera omnia, quotquot reperiri potuerunt, VI. Tomis, cura *Georgii Colvenerii*, Duacensis Academiæ Cancellarii, e Schedis Jacobi Pamelii, Colon. 1627. f. edita prodierunt. Inter illa eminent *Commentar. in Script. Libris* 172. e Patribus lat. ab Hieronymo usque ad Bedam, juxta sensum literalem & mysticum concinnata. Item *de Laudibus S. Crucis*, Opus, eruditione, versu prosaque mirificum, uti inscribitur ingeniosissimus & operosissimus liber, seorsim editus, Phorcæ, 1503. opera *Jacobi Wimphelingii*, Sletstatini, anno verò 1605. Aug. Vindel. in Typographeo Prætoriano recusus. Reliqua exhibet Cave, P. I. p. 381. ordine a Colvenerio observato. Hic Cave monet quoque ex Codice quodam Oxonienſi, quod *Comment. in Exodum*, *Leviticum*, & *Deuteronomium*, non Rabano, sed Walafrido Strabo, ejus discipulo, adscribenda sint, qui eadem ex Rabani ore sedulò exceperit. *Quæstionum Canonum Pœnitentialium* Lib. III. & Lib. *totidem de Vitiis & Virtutibus*, ad Halitgarium spectant, ut ex Mabillonio probat Oudinus, *Supplem* p. 247. *Comment. in Regulam Benedicti*, Smaragdum autorem habet. Alia, in Editione Colveneriana omissa Rabani Scripta, postmodum prodierunt. *Poëmata quædam*, Baluz. *Miscell.* T. IV. *Epist. III. de Prædestinatione adversus Gotteschalcum*, Jacobus Sirmondus, Paris. 1647. 8. *Lib. de Computo.* Baluz. *Miscell.* T. I. p. 1. *Lib. contra Judæos*, Chifletius, Divione, 1656. qui tamen ad Amulonem pertinet. *Opuscula II. de Choro-Episcopis & Reverentia filiorum erga Parentes*, Baluz. ad calcem *Operum Petri de Marca*, Paris. 1669. f. T. I. p. 285. *Epist. ad Heribaldum*, Baluz. *in append. Reginonis*, p. 465. *Epist. ad Reginaldum &c.* Concil. T. VIII. pag. 1845.

Opera

Opera in edita sistit Cave, l. c. & sunt *Comment. in Acta Apostolorum*. Lib. *de Vita Mariæ Magdalenæ*, *Expositio de Paschate*, *Glossarium Latino-Theotiscum in V. & N. T.* de quibus Serarius *Rerum Mogunt. Catal. l. 4.* p. 631. *Epistola autem ad Egilonem de Eucharistia*, quam P. I. p. 381. inter deperdita referebat, à Mabillonio *Sec. IV.* P. II. p. 591. editam, ipse Cave P. II. p. 161. agnoscit, atque de ejus existentia fuse disserit. Tract. *de Sacramento Eucharistiæ*, Libr. 57. constans, quem Cave eodem loco amissum putavit, ad manus est, primo editus ex *Cuthberti Fonstalli*, Dunelmensis Episcopi, Bibliotheca, Coloniæ apud Joh. Quentelium, 1551. Plagii reum Rabanum quidem agnoscit Wilielmus Malmsburiensis, quem tamen ab eodem absolvit Cave l. c. p. 380. De Rabano præter citatos autores adeas Georg. Colvenerium, *in præf. ejus Operum*, ubi *Vita Rabani* a Rodulfo Monacho & Trithemio conscripta, exhibetur, & Bollandum *in Vitis Sanctorum*, d. 4. Febr. Mabillon. *Sect. IV. T. II.* p. 1. seqq. Natal. Alex. *Hist. Eccles. Sec. IX. P. I. p. 224. P. II. p. 575.* Conf. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. passim. Christophophorus Browerus, *Fuldens. Antiquit.* p. 276. & alibi. Joh. Gualterius, *in Chronico Eccles. Polit.* p. 750. Clerc. *Bibl. Univers.* T. III. pag. 401. Si clarorum Virorum de Rabano arbitria desideras, evolve Thom. Pope-Blount, *Censura Celebr. Autor.* p. 346.

RABBVLAS.

Episcopus Edessenus, ann. 431. clarus, Cyrilli quidem Capitula in Concilio Ephesino rejecit, in Edesseno autem postea defendit mascule. Cœcus fuit Rabbulas, nihilominus tamen supra vulgarem sortem eruditus. Scripsit *Epistolam*, quæ mutila, latine, extat inter *Lupi Ephesinas*. n. 200. integra, *Concil.* T. V. p. 469. Alia, quæ de eodem disserit Cave, vid. P. I. p. 235.

RADEVICVS.

Capellanus atque Præpositus Frisingensis Ecclesiæ, familiaris non tantum, sed & Continuator Ottonis Frisingensis, cujus *Lib. II. de Gestis Frider. I. Imperatoris*, una cum Opere dicti Ottonis, excusi sunt. Vide ad hunc dicta superius sub *Ottone Frisingensi*. Conf. Vosf. *Hist. Lat.* l. 2. c. 53.

RADVL-

RADVLPHVS ARDENS.

Pictavus, Guilielmi IV. Aquitaniæ Ducis, Concionator diſertiſſimus, Bello Saracenico Ducis Godofredi de Boullion, interfuit, ut vitæ ejus autor refert, anno circiter 1130. claruit, Judice Barthio, vide Daumium *præf. ad Homilias Sanctorum Patrum, de Nativitate Chriſti.* Scriptor, Sanctitate, eruditione, eloquentiaque paucis veterum ſecundus. Ejus *Homiliæ in Epiſtolas & Evangelia de Sanctis totius anni*, itemque, quæ in communi Sanctorum legi conſueverunt, Pariſ. 1568. 1573. 8. T. II. Lovan. 1565. Antw. 1566. 8. Col. 1604. 8. T. II. prodierunt. Binas hujus Radulphi *Homilias in Natalem Domini*, ſæpius laudatus Daumius, ſiſtit l. c, p. 165. ſeqq. Conf. ejus *præf. ad Hieron. Græc.* p. 8. & Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 180.

RADVLPHVS BOCKINGVS.

Anglus Ciceſtrenſis, Ord. Domin. Monachus, ann. 1270. *Vitam S. Richardi, Ciceſtrenſis Epiſcopi, Lib. II.* Stylo ſatis barbaro, juxta Baleum, ſcripſit. Hanc, mutato dicendi genere, exhibet Surius, d. III. April. genuinam verò Bolland. ad eundem diem. *Sermones* quoque ipſi adſcribunt Baleus atque Pitſeus, memorante Caveo, P. II. p. 252. Miramur Altamuram, *in Bibl. Domin.* eundem ignoraſſe.

RADULPHUS de COGGESHAL.

Ord. Ciſt. Monachus, poſt Cœnobii Coggeshalienſis Abbas, ob indefeſſum literarum ſtudium, ann. 1228. clarus, ſcripſit, teſte Baleo, *additiones ad Radulphi Nigri Chronicon*, de Imperatorum atque Regum Franciæ, Angliæque, geſtis. Item *Chronicon Terræ S.* cujus non exiguum fragmentum exhibet Boxhornius, *in Hiſt. Vniverſali.* De eo Cave, P. II. p. 248.

RADULPHUS de COLUMNA.

Canonicus Carnotenſis, ann. 1290. clarus, cujus ad Lambertum de Caſtello *Tract. de Translatione Imperii a Græcis ad Latinos* extat apud Goldaſtum, *Monarch.* T. II. p. 88.

RADVLPHVS de DICETO.

Anglus, Eccleſiæ S. Pauli Londinenſis Decanus, floruit, ann. Chriſti 1197. Vir ſui temporis tùm ob doctrinam, tum ob pietatem ſingularem per celebris. Opera Radulphi excuſa, *in Collectaneo Angl.* Londini, 1652. f. curis Seldeni, & ſunt: *Abbreviationes Chronicorum*, p. 429. *Imagines Hiſtoriarum*, p. 525. *Series Cauſæ inter Henricum Regem & Thomam, Cantuarienſem Archi-Epiſcopum.* p. 711. *Hiſtoriam Britonum Regum compendioſam* extulit Thom. Galeus, *Rer. Angl. Script.* T. III. p. 553. *Indiculum de Succeſſione Archi-Epiſcoporum Cantuarienſium*, Whartonus, *Angl. S.* T. I. p. 87. *Hiſtoriam de Archi-Epiſcopatibus & Epiſcopatibus Angliæ*, ex qua Hiſtoriam, Cantuarienſium Archi-Epiſcoporum notis illuſtratam, dedit idem Whartonus, l. c. T. II. p. 677. *De Poſtilla* Radulphi, ſuper *Eccleſiaſticum* & *Libr. Sapientiæ*, dicit Cave, P. II. p. 231. Reliqua Radulphi Scripta, numero XIII. nunquam tamen edita, exhibent Baleus atque Pitſeus. Vixit adhuc Radulphus, ad ann. 1210. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 185.

RADVLPHVS NIGER.

Flaviacenſis ſeu Flaciacenſis Monachus, Cœnobii S. *Germer de Flaix*, dicti, in diœceſi Bellovacenſi Ord. Bened. floruit non ſanè ann. 910. ſicut *Sixtus Senenſis*, *Poſſevinus*, *Bellarminus*, *Mareſius*, aliique hos ſequuti volunt, ſed ann. 1157. id quod ex Alberici, Ciſtertienſis Trium-fontium Monachi, circa ann. 1240. clari, *Chronico*, diſerte probat Labbeus, *T. II.* p. 273. ſeqq. & *in addit.* p. 799. Extant ejus *Comment. in Leviticum*, Coloniæ, 1536. & *T. XVII. Bibl. P. P.* pag. 47. *Comment. in Cantica Cantic.* Gregorio perperam tributa, quæ Radulpho reſtituit Jac. Hommey, *Supplem Patrum.* Paris. 1684. Libr. XIV. *Comment. in Epiſt. Pauli* & *Chronicon breve* juxta cum aliis ſcripſiſſe dicitur, quæ tamen non extant. De eo Cave, P. I. p. 470. Sixtus Senenſis, *Lib. 4. Bibl.* f. 318. Du Pin. l. c. p. 185.

RADVLPHVS de RIVO.

Brabantus Bredanus, Decanus Tungrenſis, antiquitatum Eccleſiaſticarum peritiſſimus, ann. 1390. clarus, obiit, ann. 1401. juxta Labbeum, T. II. p. 275. ſeqq. & *addit.* p. 795. quem omnino ſequimur.

mur. Scripsit *Calendarium Ecclesiasticum*, Lovanii, edit. 1568. & exinde *in Bibl. Patr.* transscriptum T. XXVI. p. 289. *Historiam trium Pontificum Leodiensium*, Engelberti a Marka, Joh. de Arkel, & Arnoldi de Horn, quam vide T. III. *Hist. Leod. rerum*, a Joh. Chapeavillio edit. 1616. 4. p. 1. seqq. De eo H. Wharton *app. Cav.* p. 46. Oudin. l. c. p. 669. seqq. Possevin. *app. S.* T. II. p. 311.

RAINALDVS DE SEMVR.

Ex illustri Burgundiorum familia oriundus, Monachus Ord. Bened. post Abbas Vezaliensis, quo nomine Trecensi Synodo an. 1104. interfuit. Tandem Archi-Episcopus Lugdunensis factus est. Extat *Vita S. Hugonis, Abbatis Cluniacensis*, fratris Rainaldi, ab ipso scripta, *in Bibl. Cluniacensi*, quam Andreas Du Chesne, adornavit. Mortis annum Sanmarthan. T. I. p. 314. reponunt ad ann. 1129. De eo Henricus Gandavensis, *de Viris Illustr.* c. 3. p. 161. Oudin. *Supplem. de Script. Eccles.* p. 392.

RANVLPHVS HIDGENIVS.

Anglus, Cestriensis Monachus, Ord. Bened. ann. 1357. clarus, obiit, ann. 1363. Compilavit *Polychronicon Lib. VII.* cujus contenta exhibet H. Wharton. *in app. Cav.* p. 33. Anglicè prodiit ex Versione Joh. de Trevisa, curante Guilielmo Caxtono, Londini, 1482. f. Lat. Galeus, *Hist. Angl. Script.* T. III. Oudinus viginti Codices MSS. in Anglia asservatos, numerat, p. 631. Conf. Vosс. *H. L. l. 3. c. 2.* Scripsit *Artem componendi Sermones*, *Speculum Curatorum* & alia, de quibus Baleus, *Cent. VI.* p. 462. Pitseus p. 516. Cave, P. II. p. 283.

PETRVS RANZANVS.

Siculus Panormitanus, Ordinis Prædicatorum sodalis, Ferdinandi Regis Orator ad Mathiam, Hungariæ Regem, anno 1478. Lucerensis Præsul factus, ann. 1492. obiit. Ejus sunt VI. Libri *Annalium temporum de omnium penè gentium rebus*, quorum ultimus, *de rebus Hungaricis*, solus super est. Prodiit, autem cum *appendice* Joh. Sambuci, Viennæ Austriæ, 1558. f. & inter Jac. Bongarsii *Scriptores rerum Hungaricarum*, Francof. 1600. f. *Vitam & res gestas B. Vincentii Ferrerii*, a Ranzano scriptas, exhibet Surius d. V. April. *Opus-*

culum de urbis Panormitanæ antiquitate memorat Fazellus, *de Rebus Sicul. Dec. I. L. 8. p. 149. & 173.* *De laudibus Luceriæ civitatis* & alia, Ambrosius Altamura, *Bibl. Prad.* p. 214. memorat. *Orationes* MSS. asservabat olim Joh. Sambucus. Conf. Cave, P. II. *Hist. Litter.* p. 315. seqq.

RATHERIVS.

Monachus Lobiensis, post Veronensis Episcopus, à sede tamen ob proditionis crimen, ipsi falsò imputatum, expulsus, Leodiensis Episcopus constitutus, post Veronensi restitutus est. Hac tamen iterata vice excedere jussus, Lobiense Cœnobium reversus, ibidemque, ann. 974. decessit. Scripsit varia a Dacherio collecta, *Spicil. T. II. Volumen Perpendiculorum*, p. 161. *Apologiam sui ipsius.* p. 199. *Discordiam inter ipsum & Monachos.* p. 217. *Librum Apologeticum.* p. 225. *De nuptu cujusdam illicito.* p. 238. *Synodicam ad Presbyteros suos.* p. 256. *Itinerarium Romam euntis* p. 265. *Serm. II. de Quadragesima.* p. 281. *Sermon. IV. de Paschate* p. 308. *Serm. II. de Ascensione.* p. 324. *Epist. ad Patricium de Corpore & Sanguine J. C.* apud eundem T. XII. p. 37. *Vitam S. Vrsmari Lobiensis*, quæ mutila apud Surium, d. 18. April. extat. Plura alia Ratherii Scripta, eaqua procul dubio deperdita, ex Sigeberto c. 127. enumerat Cave, P. I. p. 406. De eo Folcuinus, Laubiensis Abbas, *in Chronico.* Mabillon, *Sec. V.* p. 478. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 19. seqq.

RATPERTVS.

Qui & *Rapertus*, Thuregiensis Monachus Monasterii S. Galli, cognatus Notkeri, de quo supra. Vossius l. 3. *Hist. Lat.* c. 4. decessisse eum conjicit, ann. 883. & ibidem Scripta ejus enarrat. Ex his, *hymnum de Festivitate S. Galli*, & *Litaniam ad processionem diebus Dominicis* scriptam, atque Nicolao III. P. R. canonizatam, cum quibusdam aliis carminibus Henr. Canis. edidit. *T. V. Lect. antiquar. P. II.* f. 736. 742.

RATRAMNVS.

Gente forsan Gallus, ex Corbejensi Monacho ac Presbytero, singulari Caroli Calvi favore, Orbacensis in Diœcesi Svessionensi Cœnobii Præpositus, ann. 840. variis adversus Gotteschalcum & Græ-

Græcos Libris inclaruit. Erat, teste Caveo, P. I. *Hist. Litter.* p. 373. *Vir pius, modestus, & haud dubie eruditus, a doctissimis quibusque sui Seculi viris magni habitus, quin & excepta lite Eucharistica, ab ipsis Scriptoribus Pontificiis summis elogiis ornatus.* Varia ingenii monumenta reliquit. Extat ejus, *de partu Virginis seu de Nativitate Christi* Liber apud Dacherium, *Spicileg.* T. I. p. 218. *De Prædestinatione,* Lib. II. adversus Gotteschalcum, ann. 849. scripti, apud Gilb. Mauguinum, *in Collect. Script. Græc.* T. I. p. 29. & *Bibl. Patrum,* T. XV. p. 442. *Contra errores Græcorum* Lib. IV. apud Dacherium, l. c. T. II. p. 1. *De Corpore & Sanguine Domini,* Liber, in quo Transsubstantiationis dogma funditus evertit, quicquid etiam Pontificii garriant, prodiit Coloniæ, 1532. Genevæ, 1541. 8. in *Micropresbytico,* Basileæ, 1550. p. 513. cum Paschasio Ratberto, Coloniæ, 1551. 8. inter Feuguerei Opuscula, Lugduni Batav. 1579. 8. in *Catalogo Testium Veritatis,* Genevæ, 1608. f. Lat. & Gallicè, 1672. Anglo-Latinè, Londini, 1686. cui postremæ editioni dissertatio præmissa est, qua omnes Pontificiorum objectiones solidè ac erudite diluuntur. Librum *de Anima* edendum quidem promisit Mabillonius. Conf. de Ratramno, Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. passim. Casimirus Oudin, *Supplem. de Script. Eccles.* p. 252. Natalis Alexander, *Sec. IX.* P. II. p. 597. *peculiari dissertatione.* Ludovicus Cellot. *in Hist. Hæreseos Prædestinat. Parisiis,* an. 1655. f. excusa.

PETRVS RAVENNAS.

Italus J. U. Doct. miranda memoria præditus, Equesque auratus, uti vocatur titulo *Libri Sermonum,* quos Festis diebus auditoribus suis pronunciavit, assidentibus quandoque Friderico Electore & Joh. Fratre, Ducibus Saxoniæ Serenissimis. Edidit illos Hermannus Trebelius, Isennacus, qui in Frontispicio Dædaleum opus dicit, & in dedicatione ad ipsum Petrum Ravennatem, autorem, παντοσόφου titulo eum ornat. Excusus liber Wittenburgii, sic enim habet integra ejus clausula in incude litteratoria Herm. Trebelii, 1505. Sub illustrissimo & Christianismo Principe Electore Federicho, Sax. Duce pientismo, cui Salus & Victoria. Scripta hujus Petri Juridica Simler. recenset, *Epitome* f. 564.

RAYMVNDVS DE AGILES.

Canonicus Podiensis, Capellanus Comitis Tolosani, anno 1095. clarus, quo ipsum in itinere Orientali comitatus est. Cum

effoderetur lancea S. quæ Dominum perfodit, ipse adfuit, eandemque in obsidione Antiochena tulit. Scripsit *Historiam Hierosolymitanam*, petente Pontio Baladunio, quæ extat apud Bongarsium inter *Gesta Dei per Francos*, T. I. p. 139. Sincera fide scripsit, uti videre est ex ipsius verbis. p. 163. adductis: *Oro inquit, & obsecro omnes, qui hæc aduituri sunt, ut credant hæc ita fuisse. Quodsi quicquam ego præter creditum & visa studeo referre, vel odio alicujus apposui, apponat mihi Deus omnes inferni plagas & deleat me de libro vitæ.* Conf. de eo Cave, P. I. p. 439. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 192.

RAYMVNDVS JORDANVS.

Qui diu sub *Idiotæ* titulo se pressit, Ord. S. Aug. Canonicus regularis, Uticensis primum, ann. 1381. deinde Cellensis ad Carum in Biturigibus Cubis Abbas. Scriptor omnino doctus & cordatus, cujus opera omnia, Paris. 1654. 4. excusa, cura Theoph. Raynaudi, & quidem hac serie: *Contemplationes XI. de miserabili cursu Vitæ præsentis, de Innocentia perdita, de Conversione per XII. menses anni spiritualis, XII. fructus fidei producentis, de Conflictu assiduo inter animam & Carnem. De VII. donis Spiritus S. contra VII. peccata Mortalia: de SS. adjutorio & Officio: de VIII. beatitudinibus; de amore divino*, quam quidem Henr. Sommalius *cum Soliloquio & Manuali Augustini* edidit, Colon. Agripp. 1631. 1639.) *de Patientia, de Morte, de Deipara.* Prodierunt quoque *contemplationes*, Paris. 1519. 4. *De B. Virgine: de Statu Religioso*, L. III. *de Oculo Spirituali*, quod quidem opusculum, Joh. Guallensi adjudicavit Waddingus. Prodiit illud seorsim sub Raymundi nomine, Lugd. 1641. mutilum, integrum verò sub cujusdam Magistri P. Lacepieræ, Venet. 1496. Italicè, uti testatur H. Wharton, *in app. Cav.* p. 44. *Regulæ Vitæ Christianæ & in Psalmum XV. Paraphrasis*, quam tamen cum *Regulis modo dictis* ad Joh. Picum Mirandulanum Comitem, ann. 1494. clarentem, potius referendam censet Labbeus, l. c.

RAYMUNDVS de PENNA FORTI.

Sive de *Rupe-Forti*, Patria Barcinonensis, ex Arragoniæ Regum Sanguine, anno 1175. oriundus, Ord. Domin. Prior Generalis, Doctor Juris Pontificii, Archi-Episcopatum Tarraconensem a Gregorio IX. cujus Sacellanus fuit, sibi oblatum, respuit, obiitque, ann. 1275.

anno

anno demum 1601. Divorum in cœtum Clement. VIII. P. R. ad mota apotheosi relatus. Vide Schott. *Bibl. Hisp.* T. II. f. 186. & 218. & *ejus Vitam* a Salvatore Pons, Priore Tarraconensi Hispano, prolixè descriptam, & germanicè translatam ab *Ægidio Albertino*, editamque Monachii, 1602. item a Joh. Baptista Spadio, de Firenzuola, Placentino, Ord. Præd. Raymundi Vitam compositam atque Papiæ, 1606 fol. editam, testatur Leo Allatius, *Apib. Vrban.* p. 152. Stupenda inibi ejus narrantur miracula, quadraginta amplius a funere illius mortui excitati, imò alter Enoch, Abraham, Moses, Hiskias, Elias &c. prædicatur. *Libros V. Decretalium Extravagantium dictorum* ex antiquis collectionibus Epistolarum ac Responsorum Papalium collegit, & multis hinc inde recisis, in ordinem per titulos & capita digessit, Gregorio IX. jubente & approbante, prout alias notum est. Vid. *Zieglerum*, qui ex Instituto, quænam circa hoc Opus Pontifex, quæque Minister ejus Raymundus, præstiterit, edisserit, *prælimin. ad Jus Canon.* p. 41. seqq. Extat quoque ejusdem *de Casibus pœnitentialibus Summa*, *Raymundina* dicta, edita Romæ, 1603. hoc titulo: *Summa de Pœnitentia & Matrimonio cum Glossis Joh. de Friburgo*, Lect. Ord. Dom. sicut tradunt Labbeus l. c. p. 281. Cave P. I. p. 495. addentes, eandem jam olim ad brevem Summulam redactam anno 1502. Colon. evulgatam, tali initio:

Summula de Summa Raymundi prodiit ista.

At antiquior paulo editio e Bibl. Halensi Mariana suppetit, Coloniæ per Henr. Quentelium. 1495. excusa, in qua versus majusculis impressi literis, glossæ verò sæpius vanæ & ridiculæ, minusculis superadditæ, hoc modo leguntur:

Præsens liber, scilicet Prosaica illius Magistri venit
scilicet Proposita,
Summula de Summa Raymundi prodiit ista,
Non ex gravi seu difficili, id est facili proponimus,
scilicet Summulam
Non ex subtili, sed vili scribimus istam &c.

RAY-

RAYMVNDVS De SABVNDE.

Sive *Sabeyde*, natione Hiſpanus, magni & ſolidi Vir ingenii, juxta Poſſevinum *appar. S.* f. 316. Theologus, Philoſophus, atque Medicus, docendo in Gymnaſio Tholoſano, ſcribendoque clariſſimus, tempore Sigismundi, Imper. ann. 1430. floruit, calculo & elogio Trithemii, *Script. Eccleſ.* f. 137. Scripſit *Theologiam Naturalem* ſeu *Theſaurum Divinarum Conſiderationum*, quem commendat atque non pauca juxta Tholoſanam editionem Dorſchæus P. II. *Theol. Zach.* f. 24. ſeq. profert. Plures editiones ſiſtit H. Wharton *in App. Cave*, p. 71. Prodiit enim Daventriæ, fol. Argent. 1496. Pariſ. 1509. Lugd. 1540. 8. Francof. 1631. 8. Venet. 1581. 8. Hinc Doctoribus & Scriptoribus illis, qui Gentilismum oppugnarunt, eum annumeravit Voëtius, T. II. *Diſp. Select.* f. 601. ubi addit, edoceri nos de Raymundo ejusque Scripto a *Mich. Montagne*, qui librum Raymundi Gallice vertit, in ſuis *Eſſais*, l. 2. c. 10. Prologus ejusdem prohibetur *in Indice Romano Clementis VIII.* ob perſpicuitatem Scripturæ aſſertam. Idem Argumentum, quod in modò laudato theſauro tractaverat, Dialogi forma poſtmodum repetiit, libro, quem *Violam animæ*, inſcripſit, impreſſo, Coloniæ, 1501. 4. Lugd. 1568. 12. Legas ibi colloquentes Raymundum & Dominicum Seminiverbium, *de Hominis natura, de cognitione ſui, Dei, proximi, deque omni debito, quo Deo & proximo obligamur &c.* Conf. Simler. *epit. Gesner.* f. 598. b. Dicitur etiam ſcripſiſſe *Quodlibeta & Quæſtiones diſputatas*, quæ verò nuſpiam comparent.

REGINO.

Germanus Monachus & poſtea Abbas Prumienſis Cœnobii, in ditione Trevirenſi, Ord. Bened. ann. 892. electus, ſed æmulis agentibus cedere juſſus, ut ipſe modeſte indicat *in Chron. ſuo* ad ann. 899. circa annum 908. vita functus. *Duos Chronicorum Libros* contexuit, quos vid. T. I. *Script. Germ. Illuſtr. Vet.* Francof. ann. 1583. ex Bibliotheca Piſtorii editos & cum Urspergenſi, Argentorati, 1609. f. Fragmentum *Annalium Francorum*, quos Regino ſe in Hiſtoria ſecutum profitetur, Henr. Canis T. III. *Antiqv. Lect.* f. 187. exhibet. Conf. Voſſ. l. 2. H. L. c. 39. Labb. p. 289. Doctiſſimum ſimul & nobiliſſimum, Germa-

Germaniæ Chronographum eum vocat Zieglerus *prælim. Jur. Canon.* p. 17. Addit Cave, P. I. p. 599. *Lib. II. de disciplina Ecclesiastica*, quos primus cum appendice extulit Joach. Hildebrandus, Helmstadii, 1659. & post illum plenius exhibuit, Steph. Baluz. Paris. 1671. 8. De eo Sigebert. *in Catalog. 3.* Aub. Miræus, *in Scholio ad cap. 3.* Natal. Alex. *Sec. IX. T. I. c. 3. art. 32. p. 283.* Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 153.

REGINALDVS.

Vir lat. græc. & hebr. doctus, ac Musices egregie peritus, Eistatensis, ann. 965. Episcopus, juxta Vossium, *Hist. Lat.* c. 40. ubi ait, fortasse ejus esse illam Wilibaldi, primi Eistetensis Episcopi, *Vitam*, quam Henr. Canisius *T. IV. Lect. antiqv.* p. 2. f. 475. exhibuit, qui tamen fol. 477. negat, & nescio, cui Sanctimoniali Heidenheimensi vendicat.

REIMANNVS.

Aliis *Ousmannus*, Germanus, Cœnobii Walciodorensis aut Gorziensis Monachus, ann. 990. florens, scripsit Vitam S. Cadroæ, Abbatis Walciodor. post Metrensis, quam exhibent Bolland. Mart. VI. & Mabillon. Sec. Ben. V. p. 487. Conf. Cave, P. II. p. 189.

REINARDVS de LAVDENBVRG.

Ord. Aug. SS. Theol. Lector, cujus *passio prædicata e IV. Evangg.* extat Norimb. impressa, 1501. 4.

REINERVS.

Monachus S. Laurentii Leodiensis Ord. Bened. ann. 1130. clarus, scripsit *de Viris Illustribus Cœnobii sui & Episcopatus Leodiensis*, qui extat *in Collectione Rerum Leodiensium*, a Joh. Chapeaville, ann. 1612. 4. Leodii, T. III. evulgata.

REINERVS de PISIS.

Italus Pisanus, Ord. Dom. Monachus, Theologus atque JCtus celeberrimus, juxta Simlerum *epit. Gesner.* f. 599. & Trithemium, ann. 1300. clarens, scripsit *Pantheologiam*, quæ stylo immutato, atque absque ulla fide prodiit, curante Jacobo Florentino Minorita, Norimberg.

rimberg. 1473. Venet. 1486. Lugd. 1519. f. Brixiæ, 1580. 4. T. II. Pariſ fol. T. III. & alibi. *Reinerianam* quoque *Summam* impreſſam extare ait, Simlerus, quæ annon ſit ipſa *Pantheologia*, nunc equidem arbitrari non licet. Hunc ſane autorem Operibus ſuis titulum non inſcripſiſſe, Raphael Volaterranus tradit, *lib. 21. Comm. urb. 1126.* f. 759. b.

REINERVS SACHONVS.

Placentinus, Theologiæ & Philoſophiæ peritiſſimus, primo Waldenſium Anteſignanus, poſt Ord. Prædicatorum Generalis Inquiſitor, ann. 1254. clarus, ann. 1259. ob Waldenſes, quorum plures igni addixerat, Mediolano expulſus, in exilio ſuccubuit. Scripſit *Librum adverſus Waldenſes*, quem integrum edidit Gretzerus, Ingolſt. 1614. 4. Extat quoque *in Bibl. Patr.* T. XXV. pag. 262. Vid. Cave P. I. p. 501. qui Gretzerum taxat, appendicem huic opusculo affixam, Reineri non eſſe, exiſtimantem. *Summam de Catharis & Leoniſtis*, quæ maximam partem habetur, *in Catal. Teſt. Verit. Flac.* p. 431. integra verò prodiit, cura Claudii Couſord, Pariſ. 1548.

REMBERTVS.

Flander, vel potius Friſius, Monaſterii prius Turholtani Monachus, poſt ſecundus Hamburgenſium Archi-Epiſcopus, ſedem, ann. 865. conſcendit, ſuccedens S. Anſchario, primo illuſtris illius loci Archi-Epiſcopo, cujus etiam Laudes & Vitam libello ſingulari diligenter conſignavit, qui extat apud Bolland. *d. Febr. III.* Mabillon. *Sec. Bened. IV.* P. II. p. 75. & poſt *Origines Hamburg.* Petri Lambecii, T. I. Comitem nactus metricum Paraphraſtam *Gualdonem*, Corbejæ Monachum, qui Henr. III. & IV. temporibus eandem vitam, verba Remberti ſecutus, verſibus, in tanta ætatis ſuæ barbarie minus cultis, decantavit. Vid. Cl. Boſium *exercit. de Vet. Eccleſ. Clunicis* c. 2. p. 46. ſeqq. c. 3. p. 63. ſeq. Conf. quæ circa Anſcharium ejusque Succeſſorem, Rembertum, memorant Crantzius *L. I. Metrop. c. 20. 36. 38. 42. Lib. II. c. 2. 10. ſeq. Saxon.* l. 2. c. 25, 31. Voſſ. *l. 2. Hiſt. Lat.* c. 37, & Suffridus Petri *Script. Friſ. Dec. 7. n. 1.* Obiit Rembertus ann. 888. Vita ejus extat apud Mabillonium, *Sec. IV. P. II. p. 471. ſeqq.* Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* pag. 199.

REMI-

REMIGIVS.

Antisiodorensis, in Abbatia S. Germani Antisiodor. Monachus, Ord. Bened. extremo Seculo Christi IX. vigens, a Fulcone Remensi Archi-Episcopo, ad Scholas instaurandas Remos vocatus, nunquam verò extitit Antisiodorensis Episcopus, uti Trithemius aliique falsissime opinati, judice Labbeo, fol. 283. Ejus *Comment. in omnes Psalmos Davidis* ex Ambrosio, Augustino & Cassiodoro excerptus, non paucis de suo intermistis, Colon. 1536. prodiit. *Enarratio in posteriores XI. Proph. minores*, Antw. 1545. excusa, quæ, nisi fallimur, Lovanii quoque impressa extat. Ejusdem *Expositio missæ*, seu *de ejus celebratione* habetur, T. VI. *Bibl. Patrum*, Paris. 2. edit. f. 1150. Idem Remigius *in omnes Pauli Epistolas explanationem* scripsisse dicitur, quam tamen non huic nostro, sed alteri Remigio, longe antiquiori, Archi Episcopo Remensi & Francorum Apostolo, qui Clodovæum, I. Francorum Regem anno 496. vigilia Nativ. Christi, vel juxta alios, pervigilio Paschali baptisavit, annoque 535. obiit, juxta Sanmarth. T. I. f. 478. tribuendam voluit, qui Romæ 1598. edidit, Joh. Bapt. Villalpandus, S. J. unde & hoc titulo, *Bibl. Patr.* Colon. inserta T. V. f. 802. Ast, quam infelici successu, ostendit, genuinumque Scripti Parentem indicavit, post multos alios, Rivetus L. IV. Crit. c. 27. & scrupulose satis Labb. p. 285. seqq. & app. T. II. *Disc.* p. 800. Cave P. I. p. 395. Non enim potuit Remigius Rhemensis ante annum 530. denatus, Bedam, Cassiodorum, Gregorium P. R. & alios multò antiquiores, citare. Obiit noster Remigius circa, ann. 900. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII p. 177.

REMIGIVS LVGDVNENSIS.

Natione Gallus, Lotharii, Imperatoris, Cappellanus, post hæc Archi-Episcopus Lugdunensis, ann. 655. floruit. Interfuit Remigius variis Conciliis, utpote, ann. 855. Valentino III. ann. 859. Tullensi & ann. 860. Tullensi II. ann. 866. Svessionensi. ann. 869. Vermerensi, anno 870. Attiniacensi, anno 871. Duziacensi, anno 873. Cabilonensi I. ann. 875. Cabilon. II. Ex eo cumprimis notus est Remigius, quod Concilii Parisiacensis adversus Gotteschalcum Canones, in Concilio Valentino, ann. 855. damnavit. Nactus hinc

adversarium, Hincmarum Rhemensem. Scripta quæ posteritati reliquit Remigius, hæc sunt: Liber, *de tribus Episcoporum Epistolis:* Libellus, *de tenenda immobiliter S. Scripturæ veritate & SS. Orthodoxorum Patrum autoritate fideliter sectanda: Absolutio cujusdam quæstionis, de generali per Adam damnatione & speciali per Christum ex eadem ereptione electorum.* Extant ista Opuscula *in Bibl. Patrum* T. XV. & in *Collectione* Mauguini Scriptorum, *de Prædestinat. & gratia,* T. I. P. II. p. 67. Commentarius in Epistolas Pauli, qui *in Bibl. Patrum* habetur, potiori jure Haymoni tribuitur ac Remigio, prout post alios Cl. Cave, P. I. p. 383. & Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 268. sufficienter monstrarunt. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 20. seq.

REMIGIVS RHEMENSIS.

Natione Gallus, Rhemorum Archi-Episcopus, Francorum, ob Clodovæum ad Christianum fidem conversum & anno 496. baptisatum, dictus Apostolus, Synodum anno 511. Aurelianensem, convocavit, Concilioque Rhemensi, ann. 517. præfuit. Obiit ante annum 535. Scripsit *Epistolas V.* quæ *Concil. T. IV.* p. 1168. 1401. 1608. reperiuntur. *Declamationes,* sive *Orationes,* Sidonio Apollinari, L. IX. Epist. 7. memoratæ, deperierunt. Explanationes Epistolarum S. Pauli, sub Remigii, quidem nomine vulgavit, Joh. Baptista Villalpandus, Romæ, 1598. & Moguntiæ, 1614. Verum, has Remigii Rhemensis non esse, Cl. le Cointe adversus Villalpandum diserte probat, easdemque, Fulberti Carnotensis autoritate commotus, Haymoni attribuit. Qua autem ratione Albertinus illas Remigio Antissiodorensi adjudicet, vid. ejus Librum, *de Eucharistia,* p. 886. 926. 937. *Testamentum,* cujus editio prolixior & interpolata habetur apud Flodoardum, *Hist. Remens.* L. I. c. 18. brevior & genuina, apud Labbeum, *Bibl. MSS. Nouv.* T. I. p. 806. Carolum le Cointe, *Annal. Franc.* T. I. ad ann. 533. n. 50. p. 407. & Marlotum, *Hist. Metrop. Rhem.* T. I. l. 2. c. 11. qui postremus Testamentum Rhemigii prolixius, non immeritò tanquam spurium, rejecit, quod Hincmarus, Vitæ Rhemigii Autor, idem reticuerit, & recentiores loquendi formulæ, nec non alia veritati absimilia, in eodem deprehendantur. Agunt de Remigio, post jam citatos autores, Natalis Alex. *Hist. Eccles. Sec. VI, c. IV. art. 3. p. 132.* Aub. Miræus, *in Chron. Belg.* Sigebertus

de

de Scriptor. Labbeus, *de Script. Eccles.* T. II. p. 285. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 257. Casimir. Oudin. *Supplem. de Script. Eccles.* p. 110. seq.

JOH. REUCHLINVS.

Alias *Joh. Capnio* dictus, Phorcensis Svevus, ann. 1454. Patre Georgio, Matre verò Elissa Erina, natus est. Hic cum fundamenta studiorum jecisset, & æquales omnes longè præstaret, Lutetiam Parisiorum profectus, ibidemque Joh. Lapidanum, Guilielmum Tardivum, Robertum Guagvinum, Georgium Hermonymum Spartiatam, & alios, audivit, atque Grammaticis, Rhetoricis & Græcis, imbutus, in Germaniam rediit, atque Basileæ, ann. 1474. Magistri honore ornatus, græcam & latinam linguam profiteri cœpit. Aureliæ postea Doctor Juris, cui hactenus incubuerat, creatus, an. 1481. Quibus ornamentis auctus in Germaniam reversus, ab Eberhardo, Comite Wirtembergico, Romam vocatus, atque deinde ad Fridericum, Imperatorem, missus est. Tubingam posthæc se contulit, ibidemque inter Quatuor-viros Provinciæ Svevicæ Judices allectus, lingvam hebraicam & græcam, restaurare intendit. Hoc ægre tulerunt Monachi, ipsumque hæreseos accusarunt. Nihilo tamen minus finem, quem Reuchlinus intenderat, obtinuit, primusque omnium hebraicas, græcas, latinasque litteras in Germania resuscitavit. Malevolos autem, lepido commento elusit, pravosque illorum mores & ineptam insicitiam satyris est ultus. Obiit Stutgardiæ, ann. 1511. dignus elogio Trithemii, *de Scriptor. Eccles.* f. 201. *qui solis litteris, non etiam perstrepenti curiæ populari incumberet. Nullum enim nobis non modo Italia, sed nec Seculum nostrum, huic tanto Viro parem, objiceret.* Multa scripsit Reuchlinus, è quibus hic saltem notamus, Libros III. *de Verbo Mirifico*, Venet. 1486. fol. Spiræ, 1494. f. Lugduni, 1552. 8. Basil. 1587. excusos. *De arte Caballistica*, Lib. III. Hagenoæ, 1517. & Basileæ, 1587. 1550. f. & Francof. 1612. *De arte concionandi* libellum, Basil. 1540. Londini, 1570. 8. *Psalmorum pœnitentialium interpretationem* de verbo ad verbum, & super eisdem *Commentariolum*, Tubingæ, 1512. 8. *defensionem contra Calumniatores suos*, Coloniæ editam. *Dialogum*, an Judæorum Talmud sit supprimendum? Colon. 1518. 4. *Lexicon Hebr.* Basil. 1537. 1554. f. *lingvæ hebraicæ rudimenta*, Phorcæ, 1506. & alia. Multa quoque e græco in latinum

vertit, magno Ecclesiæ commodo, *Cypriani* videlicet *confessionem*, *Proclum de B. Virgine*: *Epiphanium de vita & morte Prophetarum*: *Athanasii librum de variis quæstionibus*, quibus notas adjecit, ejusdemque *in Psalmos* Opusculum. Vide Trithemium l. c. f. 168. Simlerum, *Epitom. Bibl. Gesner.* f. 352. & de aliis luce dignis, Melchior Adami, *Vit. Litter. German.* Henr. Wharton. *app. Cav.* p. 123. Adde *Epistolas* Clarissimorum undequaque Virorum, lat. græc. & hebr. ad Reuchlinum missas, multa ejus laude, rebusque lectu dignissimis, refertas, quas Joh. Hiltebrandus, Svecingensis, Tiguri, ann. 1558. per C. Froschoverum imprimi curavit. *Vitam Reuchlini*, elegantissime conscripsit Joh. Henr. Majus, Durlaci, 1687. 8. quam postea recenset & in compendio exhibet Clerc, *Bibl. Vniversl.* T. VIII. p. 485. seq.

RHEGINUS.

Constantiensis in Cypro Episcopus, anno 431. clarus, Concilio Ephesino, de damnando Nestorio, subscripsit. Extat ejus *Homilia*, in dicta Synodo proclamata, *Concil. T. III.* p. 577. Conf. Cave, P. I. pag. 234.

RHODON.

Ex Asia oriundus, Tatiano, Romæ cum degeret, Præceptore usus, Apellem, Marcionitam, in Colloquio convicit. Scripsit *contra eosdem Marcionitas*, cujus libri fragmenta apud Eusebium L. V. c. 13. *Comment. in Hexameron* & *Quæstionum Tatiani Solutiones*, quæ temporis injuria interierunt. Evolv. Cave P. I. p. 38. qui illum circa annum 189. floruisse, adseverat. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. I. p. 78. Clerc, *Bibl. Vniversl.* T. III. p. 62.

PHILIPPVS RIBOTVS.

Hispanus Catalaunus, Ordinis Fratrum Carmelitarum in Cœnobio Gerundensi Monachus & Provincialis in Catalaunia, an. 1368. clarus, ann. 1391. obiit. Scripsit *Speculum Carmelitarum* X. Libris, de Origine & progressu Ordinis sui, Venetiis, 1507. f. & Antwerpiæ, 1680. f. impressum. *Epistolas & Sermones*, de quibus loquitur Possevinus. Speculi Carmelitani, a Riboto conscripti, versionem Anglicam satis antiquam, eamque in Bibliotheca Lambethana MSS. adserva-

servatam, memorat Cl. Wharton, qui illam juxta cum aliis Thomæ Scropo sive Bradzo, Episcopo Dromorensi, circa annum 1434. claro, vendicat. Conf. ejus *appendix Caveana*, p. 41. Adde Possevinum, *in appar. S. T. II. p. 280.* Aub. Miræum, in *Auctar. de Scriptor. Eccles.* c. 463. p. 267. Petrum Lucium, *in Bibl. Ordinis Carmelitarum*, Casim. Oudin, *Supplem. de Script. Eccles.* p. 651.

RICEMARCHVS.

Cambro-Britannus, Sulghimi, Episcopi Menevensis, filius, ann. 1085. post Abrahamum, Menevensem Sedem obtinuit. *Vitam S. Davidis, Episcopi Menevensis* I. in tabulas, ab ipso relatam, secundum ea duntaxat, quæ Gyraldi Historiam supplent, exhibet, *Angl. S. T. II.* p. 643. a Whartono publicata.

RICERVS.

Italus, S. Francisci Socius, Sec. XIII. scripsit Tractatum, *quomodo homo possit citò pervenire ad agnitionem Veritatis*, qui prodiit, Lovanii, 1554. cum aliis ejusdem argumenti.

EDMUNDUS RICH.

Anglus Abingtonensis, Theologus & Orator insignis, Sarisburiensis Thesaurarius atque demum Cantuariensis Archi-Episcopus. Ob acrem Corruptelarum Ecclesiæ correptionem multis invisus, atque Sede sua exire coactus, Soyseyam migravit, ibidemque anno 1242. febre & mœrore consumtus, diem extremum clausit. Retulit ipsum Callistus III. anno 1456. inter Sanctos. *Speculum Ecclesiæ* scripsit, quod *Bibl. Patr.* T. XXV. p. 316. habetur. Constitutiones XII. apud Lindvodi *Provinciale Anglicum*, extant, docente Caveo, P. I. p. 496.

RICHARDUS.

Bellilocensis in Argonna, duabus a Claramonte leucis, Abbas, anno fortasse 1050. clarus, scripsit *Vitam S. Rodingi, Prædecessoris sui*, quam ex Codice Catalaunensi extulit Mabillon, *Sec. Ben. V.* p. 874.

RICHAR-

RICHARDUS AUNGERVILLUS.

Natione Anglus, patria Suffolcensis, civitate S. Edmundi Buriensis, unde & *de Buri* cognominari solitus, variis muneribus præfuit, demum Eduardi III. Angl. Regis Cancellarius, cum ann. 1333. Episcopus Dunelmensis constitutus esset. Conf. Pitseum l. c. f. 467. Baleum & Henr. Wharton. *in app. Cav.* p. 20. Obiit anno 1345. æt. 59, Auklandiæ. Ardentis eum ingenii virum Petrarcha, *Epist. Lib. III.* Epist. 1. vocat, quem sequutus Whartonus, l. c. morum ejus innocentiam, atque singularem erga litteras affectum, maximopere commendans. Ejus est pulcerrimus Tractatus, *de amore librorum & Bibliothecarum institutione*, quem græco Sermone, *Philobiblon*, inscripsit. Excusus iste Spiræ, 1483. Paris. 1500. 4. Oxon. 1599. 4. Vid. eundem subjectum *Centuriæ Epist. Philolog.* e Melch. Goldasti Bibliotheca, Francof. 1610. 8. primo editarum p. 400. seqq. & *in Collectione* J. A. Schmidii, *de Bibliothecis*, quæ Helmst. 1703. 4. prodiit. Conf. Trithemius, *de Script. Eccles.* fol. 114. & Camerar. *horis subcisiv.* P. III. cap. 72. fol. 265.

RICHARDUS.

Anglus Northumbrius, Hagulstadiensis Monachus & Prior, ann. 1180. clarus, ann. 1190. obiit. Scripsit *Historiam de Episcopis Hagulstadensibus*, *Historiam de rebus gestis Stephani & de Bello Standardii*, *ab* ann. 1135. ad ann. 1139. quas vide *inter Script. X. Anglic.* Londini, 1652. a Twisdeno editos, p. 285. Alia ejus Scripta, *Gesta Henr. II. Angl. Regis* & *Chronicon breve*, ex Baleo & Vossio, Cave, P. I. p. 478. memoravit. Add. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 195.

RICHARDUS HAMPOLUS.

Eboracensis, Josepho Pamphilo, Sixto Senensi, aliisque multis *Pampolitanus* vocatus, vero nomine *Rollus*, *Hampolus* autem à Cœnobio Hampolensi, quatuor plus minus milliaribus ab oppido Duncastro, in agro Eboracensi sito, ubi iste vitam Eremiticam egit, mortemque obiit, ann. 1349. docente Joh. Pitseo l. c. fol. 465. seqq. H. Whartono, *in app. Cav.* p. 24. Theologus insignis audit Simlero f. 602. b. Multa admodum & merè Sacra ejus Scripta e Manuscriptis enarra-

enarravit *Pitseus*, *Baleus* & *Jamesius*, Eclog. p. 2. p. 35. Prodierunt quædam Colon. 1536. f. cura *Joh. Fabri* ut sunt: *De Emendatione Peccatoris*, antea Paris. 1510. in 8. excus. *Enarratio in Psalmos. in Cantica V. T. in Psalmum. XX. in Orat. Dominicam. Symbol. Apost. & Athanasii. in quædam Cant. Cantic. loca: in Threnos Jeremiæ: in aliquot Jobi capita, & alia quædam ejus Opuscula. Stimulus Conscientiæ* adhuc delitescit, juxta cum aliis, de quibus consulas Whartonum, *loco citato*. Oudinum, *Supplem. de script. p. 612.* seqq. qui de Richardi insimul ætate, pererudite disquirit.

RICHARDVS a S. LAVRENTIO.

Archidiaconus & pœnitentiarius B. Mariæ Rothomagensis, circa ann. 1230. clarus, scripsit Lib. *XII. de Laudibus B. Mariæ*, qui prodierunt, Duaci, 1525. apud Joh. Bogardum, non vero 1625. ut adversus Labbeum T. I. p. 30. id asserentem, deducit Oudinus l. c. p. 506. Hunc librum falso adjudicavit Petrus Jammy, Alberto M. qui eundem inter Ejus opera, 1651. Lugd. collocavit, Conf. Theoph. Raynaudus, in *Nomenclatore Mariano*.

RICHARDVS DE MEDIAVILLA.

Seu *Midletonus*, Ord. min. Monachus, Anglus, neutiquam vero Scotus aut Gallus, uti nonnulli tradiderunt, *Doctoris solidi & copiosi titulo* cohonestatus, teste Willoto, *Athen. Franc.* p. 315. *Fundatissimi* titulum, Labb. p. 291. *Authorati* verò cognomen, Pitseus, l. c. f. 386. superaddit. Vir, ætate sua eruditus in sacra & profana litteratura, juxta Sixtum Senensem, qui eum ad annum 1290. collocat. Anno verò 1300. inter suos mortuum eum tradit Pitseus l. c. Scripsit in *IV. Lib. Sentent. Lombardi, Quæstiones*, Venetiis, 1509. Volum. II. & 1589. ibidem. Deinceps quoque Brixiæ, 1591. editas. *Quodlibeta Theologica* cum prioribus evulgata. Succurrit nunc, singulari Codice emissa, ejus *in quartum librum Sententiarum* Commentatio, excusa, Paris. 1504. 4. Joh. Klein, Alemanni, typographi, impensis. Alios ejusdem *Commentarios in Evangelia & Epistolas Pauli. Lib. de Conceptione Mariæ*, exhibent Cave, P. I. p. 519. Baleus, *Cent.* 4. p. 359. Pitseus l. c. Sixtus Senensis, aliique, typis forsan nondum exscriptos.

RICHARDVS RADVLPHVS.

Hibernus Dundalkenſis, aliis Anglus, Theologus Oxonienſis, ejusdemque Academiæ Cancellarius, poſt Archi-Epiſcopus Armachanus, anno 1347. ordinatus. Superbam Franciscanorum paupertatem ſalse vellicavit, qui hoc ipſum ulciscentes, hæreſeos Richardum accuſaverunt. Hinc Avenionem vocatus, lite nondum compoſita, 1360. è vivis excesſit. Ejus ſunt *Sermones IV. ad crucem Londonienſem facti, & alii, de Laudibus B. Mariæ: Lib. XIX. adverſus errores Armenorum*, qui quidem Paris. 1612. & 1511. prodierunt. *Defenſio Curatorum adverſus Fratres mendicantes*, Pariſiis 1496. 1625. in 8. 1633. & cum Rogerii de Conway *defenſione Mendicantium*, apud Goldaſtum, *Monarch.* T. II. p. 1392. Conf. Labb. p. 290. Pitſeus f. 490. Willotus, qui eum tamen *Franciſcum Radulphum* vocat, non verò Richardum. Adde Henr. Whartonum, *app. Cav.* p. 18. qui plura *Armachani* ſeu *Richardi* noſtri Manuſcripta adducit, & *Novum Chriſti Teſtamentum* Hibernice ab ipſum converſum eſſe, teſtatur.

RICHARDVS de S. GERMANO.

Regis Siciliæ Secretarius ſive Notarius, anno 1243. clarus ſcripſit *Chronicon* ab anno 1189. ad 1243. quod ex vetuſto Codice Caſinenſi extulit, Ferd. Ughellus, *Italia S. T. III. p. 953.*

RICHARDVS.

Anglus, Monachus & ſub-Prior & anno 1177. Prior Elyenſis, anno 1195. obiit, non vero 1220, uti Baleus & Pitſeus aberrant, ideo à Caveo, P. II. p. 230. caſtigati. Scripſit vir doctus atque induſtrius *Hiſtoriam Eccleſiæ Elyenſis*, ab anno 1107 ad 1169. quam epitomavit ſumma cum fide, verbis ubique retentis, Monachus quidam Elyenſis, quamque ex Codice Cottiniano protraxit Whartonus T. I. p. 615. *Angl. S.* Conf. Cav. P. II. p. 230.

RICHARDVS de S. VICTORE

Natione Scotus, Ord. Auguſtiniani Canonicus regularis atque Prior in Cœnobio S. Victoris Pariſienſis, ingenio ſubtilis & eloquio medius inter Auguſtini argutiam, & Bernhardi dulcedinem incedens, judicio Sixti Senenſis *l. 4. Bibl. f. 319.* Floruit anno 1150. tempore

pore S. Hugonis Victoris, quo familiariter utebatur. Obiit anno 1173. Epitaphium Richardi tale refert Silv. Marulus *l. 1. Hist. Ord. Relig. fol. 18.*

Tellus quem genuit felici Scotia partu,
Hunc tegit in gremio Gallica terra suo &c.

Idem exhibet Labbeus, *Thesauro Epitaph. p. 119.*
Præcipuam Operum ejus editionem, eam, quæ Venetiis 1592. prodiit, Labbeus judicat p. 293. quamque κατὰ πόδα Colonienſem, anno 1621. & Rothomagienſem 1650. f. T. II. ſecutas ait, & cum tribus confert, quæ Bellarminus retulit. Vide enarrata Scripta apud Arndium, *Lex. antiq.* f. 1066. Caveum, P. I. p. 468. Inter primos autem primum, qui habitum Theologiæ Myſticæ induceret, Victorinum hunc fuiſſe Jac. Thomaſius, *Schediaſm. Hiſt.* fol. 61. ſeqq. oſtendit. Conf. quæ ibidem p. 64. refert, de vetuſto ſibique donato Codice, cui titulus: *Richardus de arca myſtica.* Adde Gothofredum Arnoldum, *Hiſtoriæ & Deſcriptione Theol. Myſticæ*, p. 282. ſeq. Nos talibus hac quidem vice non immoramur. Evolv. Ellies du Pin, T. IX. *Bibl. Nouv.* p. 217.

RICHERIVS

Gallus, Senonenſis in Gallia Monachus, & prout Cave, P. II. p. 250. conjicit, circa annum 1260. claruit. Scripſit *Chronicon Eccleſiæ Senonenſis*, quod integrum extat apud Dacherium, *Spicileg.* T. III. Ex ejus T. I. quasdam Vitas, S. Gundelberti nimirum, S. Deodati, & Hildulphi, aliorumque, Mabillonius in *Sec. Ben.* III. P. II. p. 468. transſcripſit.

RICOLDVS

Aliis *Richardus*, Florentinus, Ord. Bened. monachus, anno 1296. peregrinationibus in Orientem conſpicuus, Vir Syriace & Arabice doctus, atque religionis Muhammedanæ callentiſſimus, obiit Florentiæ 1309. Alcoranum ex Arabico in latinum ſermonem, ſtylo quidem barbaro, transtulit. Hanc verſionem Græce vertit Demetrius Cydonius Theſſalonicenſis. Græcum Demetrii purâ latinitate donavit, Bartholomæus Picenus de Monte arduo, Regique Arragoniæ, Ferdinando, dicavit. Extat gr. lat. ex editione Joh. Oporini. Baſil. 1520. lat. Paris. 1511. 4. Hiſpali. 1520. Venet. 1607. 4. Condidit quoque Ricoldus Librum de *Hebræorum, Gentilium, & Muhammedanorum*

differentius, ad Nationes Orientales, qui in Manuscripto Florentino deleteſcit. Agunt de eo Cave P. II. p. 257. & quos ille adduxit, Michael Pocciantius, *Catal. Script. Florent.* p. 156. Altamura, *Bibl. Domin.* p. 86. ad ann. 1306.

RICVLPHVS

Sveſſionenſis Epiſcopus, anno 889. clarus, an. 900. Remenſe Concilium frequentavit, de quo *Chronicon Cameracenſe* l. I. c. 63. & Sammarthani *Gall. Chriſt.* T. III. f. 1046. eum, anno 902. defunctum infimul adſerentes. Ejus *Epiſtola didactica ſive conſtitutio* anno 889. de rebus ad Diœceſin ſuam ſpectantibus, perſcripta, habetur poſt *Hincmari Opuſcula & Epiſtolas* a Joh. Cordeſio editas, Pariſiis, 1615. p. 685. ſeqq. & *Concil. T.* IX. p. 416. Antiquior paulo fuit *Riculfus, Epiſcopus Moguntinus*, anno 814. vita functus, qui Epiſtolarum ab Iſidoro collectarum librum, ex Hiſpania primus attuliſſe, Hincmaro dicitur. vid. Cordeſii *edit. cit.* f. 118. & conf. quæ Zieglerus *prælim. Juris Canon.* p. 20. ea de re ſolide diſſeruit. Conf. du Pin *Bibl. Nouv.* Tom. VII. pag. 152.

RIGORDVS.

Natione Gothus, profeſſione Medicus, Philippi Galliarum Regis Chronographus, S. Dionyſii Pariſienſis Socius, anno 1225. celebris, ſcripſit *Vitam & geſta Philippi, Franciæ Regis*, eosdemque Ludovico VIII. Philippi filio, inſcripſit. Ad hujus imitationem *Vitam Philippi* carmine heroico condidit Guilielmus Brito, incertæ ætatis Scriptor. Vterque liber ex Bibliotheca Pithoei prodiit, Francofurti, 1596. fol. typis Waechelianis.

RINALDVS

Etruccus, domo illuſtris, Marſorum ac Barilli Comes, & ut Petri Diaconi verbis rem exprimamus, Caſinenſis Subdiaconus, parvulus B. Benedicto oblatus, Vir valde eruditus & verſificandi Scientia antiquis per omnia comparandus. Abbas Caſinenſis anno 1136. & poſtea Rom. Eccleſiæ Cardinalis ordinatus eſt. Obiit Caſini, anno 1166. Compoſuit de *S. Severo Hymnum I. de S. Mauro III. de S. Placido III. hymnos*, quos vide impreſſos in *Breviario Caſinenſi*, anno 1568. 1572. Scripſit quoque plura, de quibus Cave, P. II. p. 224. Arnoldus Wion, *Lign-*

Lign. Vit. L. 2. c. 9. p. 193. Petrus Diaconus, *de illustr. Casinens.* p. 66. & Joh. Bapt. Marus, *in not. ad eundem* p. 67. Vossius, de *Hist. Lat. L. 3. c. 7. p. 713.*

ROBERTVS CAPITO.

Angliæ *Grostheadis*, gallicæ *Grosseteste*, Anglus Suffolcienſis Theologus atque ſcriptor percelebris, Leicestrensis primò Archidiaconus, poſt vero Hugoni de Velles in ſede Lincolnienſi ſucceſit, anno 1235. Obiit anno 1542. *Teſtamentum Patriarcharum XII.* in lat. vertit, impreſſum, inter *Orthodoxographa*, Baſil. 1569. f. & Paris. 1540. 12. Scripſit *Comment. in Lib. Poſteriorum Ariſtotelis*, Venetiis 1504. 1537. *Compendium Sphæra mundi*, Venet. 1508. *Librum de Ceſſatione Legalium*, Londin. 1652. 4. 1658. 8. *Comment. in Dionyſii Areopagitæ lib. de Myſtica Theol.* inter *Opera Dionyſii*, *Argent. 1502.* f. & aliai, bidem excuſa, 1514. Manuſcript. ejus Opuscula, plurima, exhibet Oudinus *Suppl. de Script.* p. 523. ſeq. Pitſeus *de Script. Angl.* p. 326. & Henr. Whartonus *T. II. Angl. S.* p. 344. Conf. Cave P. I. p. 496 P. II. p. 248. Quibus ipſum laudibus Camdenus, in *Lib. de Britannia* p. 233. commendet, vide apud Quenſtadium, *Patr. illuſtr. viror.* p. 86. Huc ſpectat quoque illud, quod ab Innocentio P. R. ad Chriſti tribunal appellavit & quod eod. obeunte, in Curia Papæ, vox audita ſit: *Veni miſer* quaſi *ad judicium*, repertusque ſit in craſtino Papa exanimis, cuspide baculi in latere percuſſus. Refert hæc ex Ceſtrenſi Joh. Huſſus, *Lib. de Vnitate Eccleſiæ.* c. 18. f. 160. anno. 1520. 4. excuſo.

ROBERTVS DE EVROMODIO.

Monachus Claræ vallenſis, Autor *Catonis Moraliſſimi*, quem inſcripſit Petro de Salutiis, excuſi, Argent. 1487. De eo Daumius, *Teſtimon. autorum Cantonis Diſtichis à ſe editis*, præfix.

ROBERTVS FLEMYNGVS.

Anglus, Baptiſtæ Guarini Veronenſis Auditor, Vir græc. atque lat. doctus, Poeſeosque Cultor induſtrius, Romam, cum appuliſſet, Protonotarius Apoſtolicus factus anno 1477. floruit. In Patria tandem Lincolnienſis Decanus ordinatus, Lincolnii quoque ad cœleſtem ſedem tranſiit. Cum in Italia adhuc eſſet atque Tiburti commoraretur, ſcripſit *Laudes Sixti IV. P. R. Lib. II.* quos ſub *Lucubrationum*

num Tiburtinarum titulo, Romæ, eodem fortasse anno, in 8. imprimi curavit. Carpit eum ob immodicum laudandi studium, quo adulatus Pontifici fuit, Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 105. qui addit, extare quoque ejus *Dictionarium græco latinum*, quod Baleus, *Cent. VIII.* c. 21. commemoret.

ROBERTVS GAGVINVS.

Qui Trithemio *Rupertus*, natione Belga, ortus non Duaci, sed in vico Callina, qui est in Artesiæ finibus ad Lisam fluvium, Ordinis S. S. Trinitatis de Redemtione captivorum Moachus, dein Minister Generalis, J. V. D. titulo Lutetiæ, insignitus, juxta Vossium, *l. 3. Hist. lat. c. 11.* Floruit anno 1495. Obiit Lutetiæ. anno. 1501. Epitaphia ipsi posita exhibet Labbeus, *Thes. Epithaph.* p. 328. Vir juxta Whartonum. *in app. Cav.* p. 121. non indoctus, & in Historia, Rhetorica ac Poesi haud vulgariter versatus, in quo tamen fidem in historicis omnes desiderant. Stylum omnino impurum in ipso taxat Erasmus, eundemque inter latine loquentes vix nostro recipiendum Seculo, existimat. Scripsit *annalis rerum Gallicarum* lib. XI. qui seorsim sæpius & Parisiis, anno, 1511. excusi & cum *Supplem. Huberti Vellerii*, usque ad ann. 1520. Francof. 1577. 1580. Lib. *de imaculata Conceptione B. Mariæ*, Parisiis 1598. *Item aliam Decertationem de hoc argumento metricè scriptam* quæ tamen Carolo Fernando potius debetur. Conf. Simler. f. 115. b. Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 121. *Poemata varia*, Paris. 1598. *de arte metrorum* Lib. III. Phorcæ. 1505. & alia, de quibus adeas Labb. T. II. *Dissert.* p. 298. Trithemium, *de Script. Eccles.* p. 199. Jovium, *elog. Vir. illustr.* Aub. Miræum, *Elog. belg.* Zeiller. *in Ind. hist. Chronol.* Jo. Henr. Boeclerum, *de rebus Sec. XVI.* p. 278.

ROBERTVS DE GRAYSTANES

Anglus. Dunelmensis Monasterii Monachus & Sub Prior Theol. Professor, anno 1333. clarus, *Historiam Dunelmensem* ab Anonymo inchoatam, ad annum 1336. perduxit. Extat illa maximam partem apud Whartonum, *T. I. Angl. S.* p. 732. Plura de eo Cave, *Hist. Litter.* P. II. p. 276.

ROBERTVS HOLKOT.

Northamptoniæ in Anglia natus, ibidemque Ord. Dom. Præco eximius, Sacræ Theologiæ Doctor & Oxonienſis Professor anno 1340. flo-

floruit, circa cujus obitum Scriptores discrepant. vid. Labbeus T. II. p. 298. seqq. Pitseus, de *Illustr. Angl. Script.* f. 465. & Henr. Wharton, *in app. Cav.* p. 24, qui peste eum, anno 1349. in urbe Patria, obiisse, cum multis aliis tradunt. Compositi in *Lib. Sapientiæ Lect. 212.* Spiræ, 1483. Reuthlingæ & Basileæ, 1489. Venet. 1509. 1586. f. excusas. Has tamen nonnulli Reginaldo de Alna Ord. Cistert. adscribunt. Lect. *In Proverbia*, Parisiis, 1515. quas Thomæ Galensi tribuere malunt. In *Cant. & in VII. priora Ecclesiastici capita*; integrum enim opus, quo minus absolveret, mors præpedivit, Venet. 1509. *Tract. de imputabilitate peccati* &c. Lugd. 1497. f. 1518. *Comment. in IV. Libr. Sentent.* Lugd. 1497. f. 1510. 4. 1518. *Moralitates pulchræ Historiarum in usum Prædicatorum cum Tabula aurea D. Thomæ in Evangelia & Epistolas totius anni* prodierunt, Venetiis, 1505. Paris. 1510. 8. *Comment. in XII. Prophetas minores. Quodlibeta; Allegoriæ utriusque Testamenti: Sermones per totum annum*, in membranis adhuc latitant. Conf. Altamura, *Bibl. Præd.* p. 126. & *in app.* p. 479. Baleus, *Cent. V.* c. 84. Pitseus. l. c. Holkoti Solœcismos passim vellicat Erasmus Roterodamus, *præf. ad Arnobii Comment. in Psalmos* Basil. 1522. editum.

ROBERTVS DE LICIO.

Qui & *Robertus Caracciolus*, Italus, aliis Episcopus Licensis vel Aquinensis, Marsorum aut Aprutii urbis, Ord. min. S. Theol. Magister, divini verbi præco, elogio Willoti, *Athen. Franc.* pag. 316. tanta eloquentia & gravitate morum præditus, ut omnes in eadem arte & gestus & pronunciationem ejus imitari conarentur, exordiendi, exclamandi, commiserandi, digrediendi, epilogandi modum sequerentur. Scripsit ad eum Sixtus IV. tunc generalis, anno 1465. quo jam floruit Robertus. De ejus Parrhesia in fastu luxuque Papali falsæ perstringendo, coram P. R. & Cardinalibus, plus quam regia Pompa ingredientibus, adhibita, conf. Erasm. l. 3. *de rat. concion.* Verba ejus: *Pfui S. Petrum, Pfui S. Paulum, qui tam spinoso itinere in cœlum contenderint.* &c. cum integra relatione vid. apud Gerhardum, *de Eccles.* §. 2. 64. edit. noviss. f. 464. a. & ex eodem Erasmo, de jactata a Roberto in excitandis auditorum Lacrymis, ubi vellet, potentia, aliam Historiam memoratam D. Patruo D. Jo. Oleario L. I. *Orat. Eccles.* c. 3. p. 231. Obiit Robertus anno 1495. Epitaphium ipsi positum Laudes ejus testatur: *Ille*

Ille Robertus hic est Christi, quo Præsule, vatum
Nemo post Paulum clarior orbe fuit.

Scripsit autem Sermones plures, qui uno Volumine prodierunt Lugd. 1503. T. II. Venet. 1490. Seorsim verò *Serm. de Christo, B. Virgine ac Sanctis*, Venet. 1489. 1490. *De Tempore & Laudibus Scripturæ S.* Neapoli, 1489. Basil. & Spiræ 1490. *Quadragesimale de Peccatis*, Basil. 1475. Venet. 1488. 8. Licii, 1490. De *Pœnitentia*, Venet. 1472. 4. Argent. 1497. f. *Sermones de annunciatione Mariæ, de Prædestinatorum & damnatorum numero* &c. qui inter reliquos habentur. *Serm. de adventu & Quagesidrama*, Venet. 1496. 8. *De immortalitate animæ, de timore Judiciorum Dei, de æterna beatitudine*, Venet. 4. *Sermones Festivales*, Venet. 1471. 1496. *de hominis formatione* Liber, Norib. 1470. *De amore divinorum officiorum*, Neapoli, 1473. *Speculum fidei Christianæ*, Venet. 1555. &c.

ROBERTVS.

Canonicus Ord. Præmonstr. in Abbatia S. Mariani apud Antissiodorum, anno 1112. Condidit *Chronologiam* ad sua usque tempora, ab Orbe Condito, quam Hugo, ejusdem Ecclesiæ Canonicus, ad an. 1227. continuavit. Vtrumque opus protraxit Nicolaus Camazutus, Trecensis Canonicus, anno 1608. 4. Trecis. De eo Aubert. Miræus, *in auct. c.* 338. Oudin, p. 482.

ROBERTVS.

Monachus & Abbas Walciodorensis anno 1150. clarus, scripsit *Vitam S. Forannani Episcopi & Abbatis Walciodorensis*, eamque Wibaldo Stabulensi nuncupavit, quam exhibet post Bolland. mense April. Joh. Mabillon, *Sec. Ben. V.* p. 586. Conf. Cave P. II. p. 226.

ROBERTVS DE MONTE.

Sive *Robertus de Torinnejo*, Normannus, ex Priore Beccensi, Abbas S. Michaelis factus, anno post 1186. obiit, ut ex intimis Chronologiæ visceribus deduxit Cave, P. I. p. 490. Continuavit *Chronicon Sigeberti Gemblacensis ab anno 1112. ad ann. 1210.* cujus tamen alia pars non est, quam ad an. 1182. Extat illa continuatio cum Chronico Sigeberti, Antw. 1608. & alibi, *Epist. I. & Prologus in abbreviationes Epistolarum Apostoli secundum Augustinum. Appendix germana ad Sigebertum, Tract. de Immutationibus Monachorum, Abbatum & Abbatiarum Normannorum*

rum, quæ Opuscula omnia extulit Dacherius, *ad calcem Guiberti Operum*, Parisiis 1651. editorum, p. 715. *Historiam Monasterii S. Michaelis de Monte* a Roberto collectam, exhibet idem Dacherius, *in Spicilegio*. De eo Aub. Miræus, *in Auct.* c. 351. pag. 245. Sanmarthani, *Gall. Christ.* T. IV. p. 642. Natal. Alex. *Hist. Eccles. Sec. XII. T. I. c. 6.* p. 549. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 153. & 190.

ROBERTVS PAVLVLVS.

Presbyter & Domesticus Episcopi Ambianensis, circa annum 1178. condidit *Lib. III. de Officiis Ecclesiasticis*, qui falso Hugoni Victorino tributi, inter ejus Opera prodierunt. Ejus quoque *Canon Mystici Libaminis*, ibidem habetur. De eo Joh. Mabillon, *Sec. Bened. III.* p. 55. & Oudin, *Suppl.* p. 447. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 189.

ROBERTVS PVLLANVS.

Anglus, Ecclesiæ Roffensis Archidiaconus, tandem Romam vocatus, à Cœlestino II. Cardinalis S. Eusebii ordinatus, imò ipse Ecclesiæ Rom. Cancellarius, claruit, anno 1144. & juxta Goodwinum, *de Præsul. Angl.* P. II. p. 162. anno 1150. obiit. Illum quidem ad Sec. XIII. referunt Galli, eundemque Episcopum Rothomagensem faciunt, quos tamen vel unicus Cave idoneis argumentis refellit. Evolve ejus P. I. p. 465. Scripsit Robertus *Sententiarum de Trinitate Lib. VIII.* quos edidit integros una cum Petro Pictavensi, Hugo Mathout, Benedictinus, Paris. 1655. fol. *Sermones de Communione SS.* adhuc in Manuscript. delitescunt, ut testatur Labbeus, *in Nov. Bibl. MSS.* p. 28. Conf. Du Pin, l. c. p. 213. T. IX.

ROBERTVS.

Gallus, S. Remigii in Diœcesi Rhemensi Monachus, Ord. Bened. anno 1101. clarus, Concilio Claromontano, atque expeditioni S. in orientem interfuit. In Galliam redux, jussu Bernhardi, Abbatis sui, condidit *Lib. IX.* vel *VIII. Historiæ Hierosolymitanæ*, stylo impolito, ut ipse in præfatione fatetur. Prodiit editio correctior, annis abhinc 200. absque loci & anni mentione, depravata autem, Basil. 1533. Extat quoque inter *Germ. Script. Reuberi* p. 217. & inter *Gesta Dei per Francos* T. I. p. 30. De eo Cave P. I. p. 444. Oudin l. c. p. 380.

ROBERTVS RETENENSIS.

Anglus, post Galliam, Italiam, Dalmatiam & Græciam, lustratas, Asiam appulit, ibidemque inter Saracenos agens, arabicam linguam edoctus est. Postquam Hispaniam repetit, Archidiaconus Pampelonensis, ob varium eruditionis genus, consecratus, ibidemque anno 1143. denatus. *Muhammedis Alcoranum*, petente Petro, Abbate Cluniacensi, *in epitomen redegit*, atque *latinitate donavit*. Prodiit Norimb. 1543. Basil. 1543. 1550. fol. Hanc tamen versionem ineptam, sententiasque misere subvertentem, vocat, Cl. Huetius, *Interpret.* p. 141. Conf. Cave, P. I. p. 456. Oudin, p. 411. Aubertus Miræus, *in Auct. de Script.* c. 373. p. 252.

ROBERTVS de SORBONNA.

A natali vico cognominatus, Ludovico IX. Franciæ Regi, acceptissimus, & ut quidam volunt, a Confessionibus, Canonicus Suessionensis ac S. Mariæ Parisiensis, ibidemque Sorbonici Collegii prima jecit fundamenta, circa an. 1251. Obiit post ann. 1271. Tria ejus Opuscula *de Conscientia, de Confessione, & iter ad Paradisum*, extant *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. f. 1453.

ROBERTVS de TVMBALENIA.

Gallus, Monachus S. Michaelis in periculo Maris, juxta Ordericum Vitalem *Lib. VIII. Hist.* ad annum 1094. post Abbas Monasterii S. Vigonis, anno 1087. constitutus, scripsit *brevem Expositionem in Canticum Canticorum*, cujus *Prologum & initium* exhibet Mabillon, *Analect.* T. I. p. 125. Hanc eandem esse cum illa, Gregorio M. in Operibus ejus adscripta, non absque rationibus propugnat Oudinus, *Supplem.* p. 348. qui Jacobum Hommey insimul notat, idem Opusculum, *in Supplem. Patrum*, 1684. 8. recusum, Radulpho Fontanellensi falsò vendicantem. Conf. omninò Oudinum, *loco vix citato*. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 215.

RODERICVS SANCIVS de AREVALO.

Hispanus, J. U. D. & Prof. Salmanticus, Henrici IV. Castellæ Regis, Sacellanus, Consiliarius, Referendarius Apostolicus, Episcopus

pus primum Ovatensis, post Palentinus, imò Caligurritanus, anno 1466. clarus, Castro S. Angeli, in urbe Roma, a Paulo II. P. R. præfectus. Scripsit, mandante Henrico IV. *Historiam Hispan. Lib. IV.* a prima gentis suæ Origine ad ann. 1469. quam ab ineptiis & mendaciis alienissimam judicat Alfonsus Garsias Matamorus, Lib. *de Acad. & Doct. Viris Hispan.* uti testatur Henr. Wharton. *app. Cav.* p. 100. Extat illa T. I. *Hisp. Illustratæ*, p. 121. *Speculum Humanæ vitæ*, Lib. II. prodiit, Romæ, 1468. f. Paris. 1475. f. Augustæ, 1471. Argent. 1507. & 1606. 12. Paris. 1542. Hannoviæ, 1613. 4. Bisuntii, 1488. 8. *Tract. III. de Appellatione a Sententia Papæ: de Synodis Generalibus; de Remediis afflictæ Ecclesiæ militantis adversus Turcas*, de quibus Thomasinus, Lib. *de Bibl. Patav. p. 12. Epistolam lugubrem simul & consolatoriam, de expugnatione Insulæ Nigropontus per Turcas*, de qua Simler. *Bibl. Tigur.* p. 609. Taxander, *Catal. Clar. Hisp. Script.* p. 101. Ipse Rodericus Lib. I. *Speculi Hum. Vit.* c. 1. citat *librum de Monarchia & Origine ad differentia Principatus*, & alium Librum, *Status Ecclesiastici Deserforium*, utrumque a se conscriptum & editum, qui tamen ad manus nostras non pervenerunt.

RODERICVS XIMENIVS vide XIMENIVS.

RODVLPHVS TORTARIVS.

Monachus Floriacensis, anno circiter 1102. clarus, autor Libri *de Miraculis S. Benedicti*, qui absque autoris nomine apud Joh. a Bosco, *Bibl. Floriac.* P. I. p. 149. & cum eodem adjecto, apud Mabillonium, *Sec. IV. P. II.* p. 390. habetur. Metrice quoque Librum de eodem argumento conscripsisse fertur, qui tamen perierit, necessum est. De eo enim nihil unquam reperire licet. Liber autem *de Translatione S. Mauri, metrice compositus*, apud eundem de Bosco, p. 349. l. c. Conf. de eodem Cave, P. II. p. 218. Oudin, *Supplem.* p. 435.

RODVLPHVS.

S. Trudonis prope Leodium Abbas, post Cœnobii S. Pantaleonis Colonienſis Præpositus, anno 1120. floruit, & anno 1138. obiit. Extat ejus *Chronicon Trudonis Cœnobii*, Lib. XIII. apud Dacherium, *Spicil.* T. VII. *Vitam S. Liethberti*, Episcopi Cameracensis, ibidem, T. IX. *Epist.*

ad Sigebertum, de susceptione puerorum in Monasteriis, inter *Sigeberti Epistolas*, apud Mabillonium, *Analect. T. II.* p. 495.

ROGERVS CONNOVIVS.

Cambro-Britannus, a patria Connovio dictus, Ord. min. Theol. D. & Prof. atque totius Angliæ Minister Provincialis, an. 1350. clarus, controversiam inter Cleros Seculares atque Ordines mendicantes, de audiendis Confessionibus, aliisque officiis Pastoralibus, illis temporibus motam, componere quidem conatus, eumque in finem Richardo, Archi-Episcopo Armachano, pro Clericis pugnanti, obstitit. Opposuit *Richardi Defensorio Curatorum adversus fratres mendicantes*, de quo supra diximus, *Librum de Confessionibus per Regulares audiendis, contra informationes Armachani*: qui cum Armachani Opere, Paris. 1496. 1511. prodiit & apud Goldastum, *Monarch.* T. II. p. 1392. extat. *Quæst. III. de Christi paupertate & Dominio temporali*, easque manuscriptas Waddingus memorat. Conf. de ejus Operibus Baleus, & Waddingus, Ord. min. *Bibl.* p. 312. Obiisse Rogerus Henr. Whartono, *app. Cav.* p. 31. anno 1360. dicitur.

ROGERVS de HOVEDEN.

Eboraci in Anglia, illustribus Parentibus ortus, litteris bene cultus, primarius quondam Theol. in Academia Oxonienſi Professor, teste Labbeo, p. 301. Inter domesticos Henr. II. Angliæ Regis, aliquando fuit, quo defuncto *Historiam* seu *Annales gentis suæ* duobus elucubravit Libris, eos auspicatus, ubi Beda desiit, ab anno scilicet Christi 731. Perduxit autem usque ad Joh. Regem, qui anno 1199. regnare cœpit. Vid. Vosſ. *Lib. 2. Hist. Lat. c. 56.* & Pitseum, *Script. Angl.* f. 272. qui vult eum perveniſſe vivendo, ad an. 1204. Extant annales inter *Autores Rerum Angl.* ab Henrico Savilio editos, anno 1595. Londini, iterumque Wæchelianis typis, Mœno-Francof. 1601. Vsserius tamen ex ejus annal. f. 465. *historiam anni 1201.* refert Libro, *de Succeſſ. Eccleſ. Occid.* p. 325. hinc eum ad annum 1202. fuiſſe progressum, cum Caveo, P. I. p. 481. adserere malumus, quam Vossii errorem amplecti.

WERNE-

WERNERVS ROLFINCK de LAER.

Patria Weſtphalus, ex Diœceſi Monaſterienſi, profeſſione Carthuſianus, Coloniæ Vbiorum, anno 1480. claruit, anno 1502. obiit. Vid. Trithem. *de Illuſtr. Script.* f. 170. b. Henr. Wharton, *in app. Cav.* p. 113. Scripſit *Faſciculum Temporum*, qui prodiit Lovanii, 1476. Coloniæ, 1481. & cum *Linterii appendice* inter *Scriptores Germ. Piſtorii*, Francof. 1584. T. II. p. 580. Hanov. 1613. quem exhibet Dietericus, *in Breviar. Pontif.* in indice autorum, ſub finem Libri, *Paradiſus Conſcientiæ*, Colon. 1475. 4. *De laudibus Weſtphaliæ* lib. ab Ortuino Gratio editus, ann. 1514. recuſus, Colon. 1602. 8. *De Sacramento Euchariſtiæ*, Colon. 1535. *Sermo de S. Benedicto*, ante annum 1494. impreſſus, ut Trithemius teſtatur. Alia plura refert Henr. Wharton l. c. qui inſimul hujus rei cupidos ad Trithemium remittit, qui Scriptorum Werneri Catalogum ab ipſo Wernero accepit. Conf. & Labbeus, p. 497. Voſſius, de *Hiſt. Lat.* l. 3. c. 6.

ROSWITA.

Sacerdos & Monialis docta in Cœnobio Gandesheimenſi, de qua rectius gloriantur Saxones, quam Angli, & Laurentium Humfredum, ſuæ eam patriæ vendicantem, nec audiunt neque ferunt, monente Georg. Fabricio, l. 2. *Orig. Saxon.* f. 98. Conf. de errore Humfredi, Voſſium, *loco citato*, c. 41. p. 352. ubi & de interpolato Trithemii quodam loco, qui Poſſevinum ad erroneam de Roswithæ ætate opinionem induxerit. Floruit autem Virgo S. anno 980. genere nobilis & pietate, nec latino ſaltem carmine pollens, ſed etiam græce docta, ſcripſitque Ottonis II. & Gerbergæ, Abbatiſſæ juſſu, Heroico Carmine, *Panegyricum de Geſtis Ottonis I.* qui ſeorſim cura Juſti Reuberi, Hannoviæ, 1619. & Francof. 1621. prodiit. VIII. quoque *Hiſtorias Sacras* carminicè panxit. In proſa verò *VI. Comœdias S. quæ omnia* Conradus Celtes, primus Germanorum Poëta Laureatus, anno 1501. Norimbergæ, imprimi curavit, & Friderico, Saxoniæ Electori, dedicavit. *Panegyricum* quoque modo dictum Roswitæ Saxonicæ, *in laudem & Geſta Ottonis* M. conſcriptum, Wittechindi Corbejenſis, Monachi, *annalibus Saxonicis*, Francof. 1621. publicatis, ſubjecit, notisque illuſtravit, Henr. Meibomius. Apud Saxones talem floruiſſe, miraculo

simile sibi visum fatetur, Lilius Gregorius Gyraldus, *de Poet. Histor. Dial. 5.* Elogia desideras, vide ingeniosissima eruditorum epigrammata, quæ collegit & editioni præfixit Conradus Celtes: aliqua etiam Meibomius congessit. Conf. omninò Crusii, *Germano Græcia* Lib. I. f. 20. Prodierunt nuperrimè *Roswithæ Opera*, partim soluto, partim vincto sermonis genere ab ea conscripta, duobus abhinc seculis à Conrado Celte formis primum expressa, nunc denuo, ad usum publicum recognita & ab inficeto scribendi more repurgata, curâ & studio Henrici Leonardi Schurtzfleischii, cum ejusdem præfatione, Vitembergæ, 1707. 4. Exhibentur autem in hac editione, *Comœdiæ VI. in æmulationem Terentii: Historia Nativitatis laudabilisque conservationis intactæ Dei genitricis, B. Mariæ, Virginis: Historia Ascensionis Domini: Vita S. Gangolphi: Historia S. Pelagii & passio ejus: Historia lapsus & Conversionis S. Theophili: Historia Conversionis Proterii per S. Basilium: Historia Passionis S. Dionysii: Historia passionis S. Agnetis: Panegyricus, in laudem & gesta Ottonis M.* & reliqua. Agunt de Roswita, Joh. Trithemius, T. I. *Annal. Hirsaugienses.* Meibomius, T. II. *Rerum Germ.* p. 490. Georg. Fabricius, *Origin. Saxon.* L. II. Antonius Possevinus, *in apparatu S.* Joh. Henr. Boeclerus, *in Commentar. de rebus Seculi IX. & X.* Casimirus Oudin, *in Supplem. de Script. Eccles.* p. 311. Guilielmus Caveus, *in Hist. Litter.* P. I. p. 412. Elias Du Pin, T. VIII. *Bibl. Nouv.* p. 56. Henricus Leonhardus Schurtzfleischius, *in dicta præfatione*, quâ Vitam Roswithæ prolixe narrat, atque Scripta ejusdem genuina a Suppositis, accurate dijudicat.

ROTGERVS.

S. Pantaleonis Monachus Colonienſis, Ord. Bened. eloquenti stylo, *Vitam S. Brunonis, Colonienſis Archi-Episcopi*, composuit, quæ extat apud Surium, d. XI. Octobris. Floruitq; ann. 970. De eo Oudinus, *Suppl. de Scriptor.* p. 306. Trithemius, Sigebertus, c. 130. Joh. Mabillon. *Sec. V.* p. 334.

RVDOLPHVS AGRICOLA.

vid. AGRICOLA.

RVDOL-

RVDOLPHVS de FRAMEINBERG.

Pastor in Sucken, anno 1336. iter in Orientem suscepit, ibidemque per quinquennium commoratus est. Eodem absoluto, composuit *Descriptionem Terræ Sanctæ*. quam Balduino, Comiti Steinfordensi, Episcopo Paterbornensi, obtulit. Extat illa apud Canisium, *antiq. Lect.* T. VI. & cum Marci Poli, Veneti & Joh. de Montevilla *Itineribus*, prodiit. De eo Oudin, p. 610.

RVDOLPHVS.

Fuldensis Cœnobii Presbyter & Monachus, Theologus egregius, insignis Historiographus & Poeta, anno 850. clarus, obiit anno 865. Scripsit Vitam *S. Liobæ, Virginis & Abbatissæ Bischoffheimensis*, quæ extat apud Surium, d. 28. Sept. Mabillon, *Sec. III. T. II. p. 245. Vitam Rhabani Mauri*, Magistri sui, in *Proleg. ad Opera S. Mauri*, Colon. 1627. Bolland. *in Vitis Sanctorum*, d. IV. Febr. Mabillon, *Sec. IV. T. II.* p. 1. seqq. Conf. idem Oudin, l. c. p. 253. seqq. Cave, T. II. p. 162. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 197. seqq.

RVFFINVS TORANIVS.

Aquilejensis Ecclesiæ Presbyter ac Monachus, anno 390. clarus, ex D. Hieronymi amico, ob Origenianismum ipsi imputatum, & pravam in vertendis libris fidem, ejus adversarius factus, de cujus vita & Scriptis sat prolixe, Cl. Cave, P. I. p. 165. Obiisse eum circa annum 410. aut seqq. in Sicilia, e pluribus Hieronymi locis, ubi eum sub Grunnii, Scorpii, aliisque titulis designat, post Caveum citatum, Labbeus, colligit, *Chronol. Eccles. Sec. V. Conf. T. II. app. p 800. seq.* Idem p. 305. recenset Opera Ruffini ex editione Paris. anno 1580. f. hac quidem serie. *De Benedictionibus Jacob & reliquorum Patriarcharum Lib. II.* qui etiam *inter Orthodoxogr. Patr. lat. Grynæi T. I. f. 1065. habentur. Comment. in Oseam, Joel. & Amos. Expos. Symboli ad Laurentium, Episcopum. Hist. Ecclesiasticæ L. II. Comment. in Psal. LXXV.* Prodierunt quoque hæc Ruffini Opuscula, Romæ. 1470. f. Lugd. 1570. Additque p. 306. nonnullas alias Ruffini Opellas & p. 308. Catalogum e græcis ab ipso translatorum, Josephi puta, Eusebii Cæsareensis, Clementis, Origenis, &c. monumentorum, de quibus alibi. Pleniorem autem Catalogum Ruffini Scriptorum

ptorum exhibet Cave, qui deperdita insimul Ruffini Scripta, fistit. Quicquid autem de Ruffini erroribus controvertitur ab iis, qui eum cum Hieronymo aut Origenistam aut Pelagianum fuisse persuasi sunt, illis ipse Ruffinus, in Apologia ad Anastasium, jam pridem respondit. Faciunt pro illo Cassiani, Palladii, Paulini Nolani, encomia, quibus ab ipsis fuit mactatus.

RUPERTUS TUITIENSIS.

Monachus primum S. Laurentii in Oesbrovic, prope Trajectum, deinde propter eruditionem à Friderico, Archi-Episcopo Colonienſi, evocatus & Tuitienſis e regione Colon. Agripp. cœnobii Abbas creatus, Ord. Bened. floruit, anno Salutis 1124. sub Henrico V. Obiit verò anno 1135. Erroris a Pontificiis arguitur, eò, quod transsubstantiationis dogma infregit, atque panis substantiam in corpus Christi non converti doceret, idcircò in Concilio Lateranenſi damnatus est. Aliud Veritatis testimonium exhibet Lydius, *epist. Dedic. ad Nic. Clemang.* Interroganti enim sibimet l. 12. *De Victoria Verbi Dei c. 11.* sic respondet: *Quot sunt præcipua Salutis nostræ Sacramenta? Respondetur: Sacrum Baptisma, S. Corporis & Sanguinis ejus Eucharistia.* Opera ejus Coloniæ aliquoties, anno scilicet 1533. 1566. 1577. 1598. & 1602. Lovanii quoque, Paris. 1638. T. II. f. excusa sunt. Seorsim edita vidimus sequentia *Lib. XIII. de Victoria Verbi Dei*, Norib. 1523. cum *Ruperti Tuit. Vita* è Trithemio partim & ex autoris Apologetico collecta, item Colon. 1519. *Comment. in XII. Proph. minores*, *Lib. XXXI.* Norib. 1524. Lovanii 1551. *in Apocalypsin.* Lib. XII. Norib. 1526. Lib. II. *de Voluntate & Omnipotentia Dei*, Norib. 1524. Lib. 42. *de Operibus SS. Trinitatis de gloria ac honore filii hominis in Matth.* Lib. XIII. Colon. 1533. *De incendio Tuitienſi & meditatione mortis.* Lib. II. cum autoris *Vita*, ibid. 1572. Plura secundum ordinem in editione Operum Ruperti Parisienſi, anno 1638. fol. T. II. observatum, vid. apud Caveum, *loco citato*, Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 215.

RURICIUS SENIOR.

Lemovicenſis Episcopus, avitâ nobilitate conspicuus, Anicianæ familiæ junctus, sedit ab anno minimum 470. usque ad annum 506. sicut è Sidonii Apollinaris ad istum perscriptis *Epistolis* constare ait Lab-

Labbeus p. 315. qui tacite simul pungit Sanmarthanos, Synodorum Aurel. IV. & V. subscriptionem huic Seniori Ruricio tribuentes, vide T. II. *Gall. Christ.* f. 630. quæ tamen à juniore Ruricio, ipsius Nepote, anno demum 541. & 549. facta. *Epistolarum Ruricii Senioris ad varios*, Lib. II. Henr. Canisius, *T. V. antiq. Lect.* P. 2. p. 460. exhibet, indè relatos in T. V. *Bibl. Patr. Colon. P. III.* f. 536. iisdemque præmittit *Fausti, Cæsarii, Sedati, Eufrasii, Taurentii, Graci* & *Victurini* ad Ruricium *epistolas* l. c. p. 425. quanquam ex codice corrupto & mendoso admodum, sicut observat Labbeus.

JOH. RVSBROCHIVS.

A pago cognomine Ruysbrock, ad Sennam fluvium, inter Bruxellam & Hallas, sic cognominatus, ex Vicario & Presbytero Bruxellensi, Cœnobii Augustini in Viridi Valle Prior, anno 1380. clarus, sicut referunt Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 575. Labb. p. 604. aliique. Magni vir inter Mysticos Theologos nominis extitit, quod ostendit Thomasius, *Sched. Hist.* p. 65. 72. a Gersone graviter notatus, at Surio, Joh. à Schœnhoff operosè defensus atque excusatus. Conf. Arnoldus, *de Theol. Myst.* p. 306. & Natal. Alex. *Hist. Eccles. Sec. XIII. & XIV. c. 5. art. 6.* Opera ejus Coloniæ excusa an. 1552. f. 1609. 4. vide apud Henr. Whartonum, *app. Cav.* p. 39. quæ sunt: *Summa Vitæ Spiritualis*: *Speculum Salutis æternæ: Comment. in Tabernaculum Mosis: Tract. de præcipuis Virtutibus: de fide & Judicio: de IV. Tentationibus: de VII. gradibus amoris: de Nuptiis Spiritualibus: L. III. de Perfectione Filiorum Dei. Regnum amantium Dei: de Vera Contemplatione: Epist. XII. Cantiones II. de altâ contemplatione: Oratio brevis.* Plurima hæc Opuscula materno idiomate composuit, quæ tamen a Jordano, & Surio in latinum versa sunt. Scripsit obscuro satis genere pseudo-Dionysium Areopagitam imitatus, Rusbrochius. Omnino autem Simlerus *epit.* f. 411. unicum Rusbrochium in tres diversos secuisse videtur, observante Labbeo, *loco citato*.

RVSTICVS.

Gente Romanus, Diaconus quidem a Vigilio, affinitate junctо, creatus, ab eodem tamen propter Schisma gradu motus, ann. 550. Ejus *Disputatio adversus Acephalos*, in fine mutila, *in Antidoto contra hæreses*, Basil. 1528. p. 246. in *Hæresiologia*, ibidem, 1550. & cum Simleri notis, juxta

cum aliis *Patrum Scriptis adversus Eutychem & Nestorium*, 1571. p. 141. & inter *Orthodoxogr. Vet. Patr.* & in *Bibl. Patr.* Paris. edit. 2. f. 1099. extat. De eo Cave, P. I. p. 291. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 80. Defendit autem Synodi Chalcedonensis de fide definitionem, per modum Dialogi, inter Orthodoxum & hæreticum.

RUSTICUS.

Episcopus Gallus, sive Narbonnensis, sive juxta alios, Bituricensis, anno 449. clarus, scripsit circa ann. 454. *ad Eucherium Lugdunensem, Epistolam*, quæ extat inter *notas Sirmondi, in Sidonium Apollinar. Lib. II.* ut indicat Cave, P. I. p. 253. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 205.

RUSTICUS HELPIDIUS.

Vel ut alii legunt, *Elpidius*, vir stirpe nobili & ut inscriptione legitur, Exquæstor, Medicus Theodorici, Gothorum Regis, circa ann. 498. claruit, & condidit *Epigrammata XXIV. ad totidem V. & N. T. historias & de J. C. beneficiis Carmen.* Vide ea cum notis inter *Poëtas S. Fabricii*, f. 754. in *app. Bigneana*, p. 706. *in Bibl. Patr.* T. VIII. Paris. 2. f. 593. 596. postea Andreæ Rivini notis illustrata, cum Lactantii, Merobaudis & aliorum Carminibus, prodiere, Lipsiæ, 1652. 8. Laudat Barthius III. 16. *Adversf.* & Labbeus, p. 64. *Bibl. Manuscript. nov.* emendatiorem illorum promisit editionem, additurus Walafridi Strabi, Abbatis Augiensis, versus, ad Picturas N. T. & Anonymi Compendium doctrinæ Evangelicæ. *Carmen in Consolationem Doloris sui*, ipse quidem Rusticus memorat, quod tamen, vel Caveo judice, P. I. p. 268. interiit. Conf. Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 709.

S.

SABAS.

EX Matalasca, vico apud Cappadocas, Parentibus nobilibus, anno 439, ortus, anno 484. floruit, Presbyter & Magnæ Lauræ Præfectus.

Obiit

Obiit autem anno 532. *Vitam* ejus scripsit Cyrillus Scythopolitanus, qui illam plenissime complectitur. Ipse Sabas composuit *Typicum, seu ordinem recitandi Officium Ecclesiasticum per totum annum* Eod. c. 59. extat illud inter alios Græcorum Libros Ecclesiasticos. Manuscriptum verò asservatur in Bibl. Vindobonensi & alibi. Loquitur de eo Leo Allatius, *Diss. I. De Lib. Eccles. Græc.* p. 5. ut Cave, P. II. p. 88. rectè observavit.

SABINUS.

Heracleæ Episcopus, Secta Macedonianus, anno 425. clarus, collegit, prava quidem fide, ut Cave ad oculum monstrat, P. I. p. 228. *Gesta Synodalia*, è quibus fragmenta quædam, de Concilio Seleucienſi, & alia, habet Socrates, l. 2. c. 30. l. 3. c. 10. & 22. Conf. si placet, Guil. Caveum, *in Histor. Litter.* P. I. p. 228. Eliam Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 249.

JACOBUS SADOLETUS.

Ad Vincula S. Petri Cardinalis, Mutina oriundus, anno 1478. Nicolai Leoniceni discipulus, post Romæ Cardinalis, Oliverii Caraffæ Contubernalis, Theologus, Orator, Philosophus, omni scientiarum genere excellens. Episcopus quoque Carpentoractenſis factus, & anno 1547. denatus, prout post *Antonium Florebellum*, qui vitam ejus scripsit, Operibus mox memorandis præfixam, referunt, Sanmarthani, T. II. *Gall. Christ.* f. 497. Habentur ista Sadoleti Opera omnia, Moguntiæ, anno 1607. excusa, inter quæ eminent *Comment. in Psalmum* 51. & 93. & Lib. III. *Comment. in Epist. Paul. ad Rom.* Conf. Boissard. *Icones*, P. I. p. 263. Seorsim prodierunt *Orationes II.* Isleb. 1603. *Epistolarum Libr XVI.* Colon. Agripp. 1590. 8. cum Antonii Florebelli *Comment. de Vita authoris. De Liberis recte instituendis*, Argent. 1605. 8. *Meditationes in adversis*, Francof. 1577. 8. *De Laudibus Philosophiæ*, Venet. 1539. 8. Judicia de illo exhibet operosè collecta, Blount, *Cens. Celebr. aut.* p. 573. seq. ubi Epitaphium Sadoleti adducitur. Conf. de Sadoleto, Simler. *Epit. Gesneri*, f. 322. Teisier, *eloges des hommes Scavans*, T. I. p. 8. seq. T. III. p. 8. seqq. Io. Fr. Buddeus, *in Lexico.*

SALOMON.

Germanus in Tergovia ex nobili gente oriundus, Isonis, Monachi, auditor, ex Ludovici Balbi, Imper. Sacellano & Consiliario, Abbas Elvingensis, post Campedonensis, Pfeffarensis, Sangallensis, & tandem, anno 891. Constantiensis ad Rhenum Episcopus. Obiit, anno 920. *Carmina ad Didonem, Episcopum*, & alios, Henr. Canisius, T. I. *antiq. Lect. app.* f. 15. edidit, inde *in Bibl. Patr. T. XVI.* p. 1300. f. 870. translata. Caveus insuper ex Pantaleone, *de Vir illustr. Germ.* P. 2. p. 105. Dictionarium elegans, a Salomone in Pergameno consignatum, memorat, P. I. p. 398. quem consule. Conf. Trithemius, *de Viris illustr. Germ.* Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 56. Casimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccles.* p. 297.

SALONIVS.

Episcopus, Eucherii, Lugdunensis Archi-Episcopi, filius, Verani frater, Monachus primo Lerinensis, circa ann. 426. sub SS. Honorati & Hilarii curâ, ac sub disciplina Vincentii Salviani, qui eum dedicatione Lib. *de Providentia* honoravit, aliorumque Pie-Doctorum Patrum eruditus, tandemque factus Episcopus, an Gennabensis ad Lacum Lemanum, an Genuensis in Liguria? an vero Viennensis in Gallia, sicut temere nimis pronunciavit Sixtus Senensis, arguente Labbeo, p. 319. adhuc sub judice lis est. vid. Vincent. Barral. Salern. *Chron. Lerin.* P. I. f. 372. Placet nobis sententia Cavei, qui Salonium, Patris in Episcopatu Lugdunensi coadjutorem, extitisse autumat, & hinc Episcopum fuisse nuncupatum. Viguit maxime circa ann. 460. Ejus *explicatio Mystica in Proverbia & Ecclesiastem Salomonis*, interlocutoribus Salonio & Verano, fratribus, instituta, extat *Orthodoxogr. SS. Patr.* Lat. I. f. 1010. & T. I. *Bibl. Patr. Paris.* 2. f. 536. & *in Micropresbytico* f. 216. *Epistola* verò, quam cum Ceretio & Verano, Episcopis, ad Leonem P. R. scripsit, inter Leonis *Epist. post Epist.* 51. Conf. cit. Cave, P. I. p. 253. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 221.

SALVIANVS.

Treveris, aut juxta Baluzium, Coloniæ Agrippinæ, oriundus, quem Massilienſem Episcopum Possevinus, Sixtus Senensis, Bellarminus

minus & cum iis alii e recentioribus multi faciunt, cum tamen Presbyterum tantùm Massilienſem fuiſſe ex incorruptis codicibus Gennadii Massilienſis, coætanei, liquido conſtet, imò ipſa Epiſcoporum Massilienſium ſucceſſio & Chronologia id edoceat. Vivente enim Salviano, Venerius, anno 428. fuit Epiſcopus, cui Gennadio teſte, ſucceſſit Euſtachius, & huic Græcus, autore Sidonio Apollinari, tum Cannatus &c. referentibus Sanmarthanis, T. III. f. 642. Major adhuc eſt audacia Philippi Elſii, Ord. Aug. qui Eremitam Salvianum & Auguſtinianum facere contendit, caſtigati propterea a Labbeo, p. 322. Vixit autem in quieta adhuc Senectute, circa ann. 495. Vide plura apud Sanmarth. l. c. Labb. l. c. & *app.* T. II. p. 803. adde Caveum P. I. p. 245. Vincent. Barral. l. c. f. 375. ſeq. Fuit omnino, ſi non ipſe Epiſcopus, multorum tamen Eccleſiæ Epiſcoporum, imò totius orbis Chriſtiani, Magiſter, elogio Gennadii & Conradi Rittershuſii, qui quidem Opera ejus cum doctisſimis ſuis, aliorumque Commentariis, poſt alios, noviſſime recudi fecit, Altorffii, 1611. 8. & Norimbergæ, 1623. novus ſui temporis, Jeremias, teſte Baronio, ad ann. 406. n. 54. & 428. ann. Patet id e Libris VIII. quos ſcripſit, *de Gubernatione Dei & de juſto præſentique ejus judicio, ad Salonium Epiſcopum*, nacta occaſione ex irruptione Gothica, cujus barbariem morum Chriſtianorum barbarie provocatam & ſuperatam oſtendit, pios ſolatur, & divinam ſimul providentiam pie aſſerit: editi illi cura primum Joh. Alex. Braſſicani, Baſil. 1530. f cura Petri Galeſini, Rom. 1564. cum notis Braſſicani, Pariſ. 1575. 8. dein ex recenſione Petri Pithœi, qui *libellum Epiſt. ejusdem* addidit, Pariſ. 1580. & 1600. Similem Zelum ſpirant Lib. IV. ad *Eccleſiam Cathol. toto orbe diffuſam, adverſus avaritiam, præſertim Clericorum & Sacerdotum iſtius ævi, ſub Timothei nomine conſcripti*, præmiſſa ad Salonium, de ratione ſuppreſi nominis, Epiſtola. Lib. III. *de conciliatione Locorum V. & N. T.* in ſpeciem pugnantibus, ad calcem Salviani, 1530. editi, Salviani non ſunt ut Alphonſus de Caſtro, adverſus *hæreſ.* lib. 14. f. 276. exiſtimavit, ſed originem a Juliano, Epiſcopo Toletano, acceperunt. Extant autem Salviani, Opuſcula hactenus enumerata, Rothomagi, 1627. 12. Pariſ. 1640. curante Baluz. ibid. 1663. 8. & 1669. 8. Conjugatus fuit Salvianus cum Palladia, ut ex ejus *Epiſt.* 5. liquet, ſuſcepitque ex ea filiam, *Auſpiciolam*: poſt mutuo conſenſu perpetuam ab uxore continentiam vovens, ea de cauſa in

Soceri indignationem lapsus, eam mitigare, *in Epist. 4.* laboravit. Conf. omnino notas Rittershusii. p. 374. seqq. & elogia congesta varia, apud Magirum, *eponymol.* p. 173. Rainoldum, *in censur. Lib. apocr.* T. I. *præd.* 23. p. 190. qui, *Salvinianum* eum sæpissime, forte minus recte, appellat, Evolv. Blount, *Censur. Celebr. autor.* p. 302. seq. Criticam quoque virgulam Scriptis ejus quæ quidem hodie terimus, cum magna pars perierit, recensente Gennadio, idem Rittershusius adhibuit, in *præfatione*, hinc ejus Comment. inter Libros expurgandos, in Indice Madriti, anno 1667. impresso, numeratur. Conf. de Salviano, Elias Du Pin, T. IV. p. 215.

SALVTARIS.

Medii barbariæ ævi Poeta, cujus *Poëma* post Flacium repræsentat Daumius, *post Caton. diss.* p. 217.

SAMONA.

Archi-Episcopus Gazæ, qui, ut vult Coccius XI. Sec. floruit, circa ann. 1072. Scripsit *Disceptationem cum Achmed. Saraceno*, super veritate Corporis & sanguinis J. C. in Eucharistia, quam vide T. VI. *Bibl. Patr. Paris. edit. 2. f. 595.* & ex Gerhardi Vossii, Tungrensis, recognitione, cum ejusdem notis, T. II. *Bibl. Colon.* f. 476. gr. lat. *in Auctuario Ducæano*, T. II. p. 277.

SAMPIRVS.

Hispanus, Asturicensis Episcopus, ann. 1010. clarus, scripsit *Continuationem Chronici Alphonsi Regis*, ab ann. 816. ad 985. quæ cura Sandovalii, Pampilonæ, 1615. 1634. prodiit. Novam editionem meditatus quidem Cardinalis d' Aguirre, ut ex ejus *Notitia*, p. 363. conjicit Guilielmus Cave, quæ tamen vix comparuit. Conf. illum P. II. *Hist. Lit.* p. 197. & Nicol. Antonii *Bibl. Hisp. Vet.* T. II. L. 7. c. 1.

RABBI SAMVEL.

Natione Afer, a natali urbe passim Marochianus cognominatus, ex Judæo Christianus factus, floruit, ann. 1070. quod probat, Labb. p. 323. Ejus *Liber de adventu Messiæ*, quem Judæi frustra adhuc expectant, ad R. Isaac, 250. circiter annis delituit, antequam ad Chri-

Christianos & arabicæ linguæ gnaros homines pervenit. vid. *præfationem Germanicam* editionis Heidelb. 1583. Dicitur ex Arabico conversa per Alphonsum Bonihominis, Hispanum, Ord. Domin. atque Hugoni Ord. Præd. Magistro, dedicata. Prodiit lat. Mantuæ, 1475. 8. Antwerp. 1486. Colon. 1536. 8. *inter Orthodoxogr.* p. 1586. Germanice quoque editus extat, Heidelb. 1583. & Witteb. per Wenceslaum Linck, interpretem, 1536. 4. De Veritate hujus quidem libelli, dubitat Jo. Hornbeckius, *Proleg. ad lib. de Convers. Judæi*, Sect. V. quem evolve juxta cum Caveo, P. II. p. 431. Conf. Bellarminum, *de Scriptoribus Eccles.* & Eliam Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 114.

SANCTIVS de PORTA.

Seu *Sanchius a Porta*, Cæsar-Augustanus, Provinciæ Arragoniæ e familia Dominicanorum Ecclesiastes apud suos disertus, Homiliarum Tomos aliquot reliquit, obiitque in Patria, 1429. Ita eum ductu Antonii Senensis, Lusitani, & Joh. Mariettæ, Cantabri, descripsit Andreas Schottus, T. II. *Bibl. Hisp.* f. 246. Conf. f. 227. Vidimus *Sermones ejus per totum annum*, item *de tempore & SS.* Hagenoæ, labore Henr. Gran, 1514. seqq. impressos. In fronte libri celebratur Ord. Præd. Prof. S. Palatii Magister, præco Verbi Cæsar-augustanus in Hispania, fervidus & vitiorum impugnator acerrimus. Copiosum, svavem & qui inventiones suas in conspectu Pontificis, aliorumque Magnatum publicare non erubuerit, eum laudat Wulphgangus Angst Caisersbergius, *præfixa Epistola dedic.* ad Vitum Ægidium, alias Geisel, Decanum in Surburg, additque e Gallia hunc autorem a se perlatum & sesquimillibus fœturis augmentatum. Ejusdem *Mariale*, cum *Sermone* pro aëris serenitate & pluvia petenda, item pro quacunque necessitate, impressum, ibidem, ann. 1515. cum Epistola dedicatoria, ab Alfonso de Castro, Ord. Præd ad Joh. Enguera, Ord. Præd. Episcopum Ilerdensem, perscripta. Ejus *Homilias* pia moralitate refertas, prædicat Sixtus Senensis, l. 4. *Bibl.* f. 322. ætatis tamen aut loci, ubi vixerit, nullam faciens mentionem.

FELINVS SANDEVS.

Ferrariensis, ex nobilissima Sandeorum familia, celebris JCtus, ann. 1494. clarus, demum Episcopus Hadrianensis & Pinnensis, imò Lucen-

Lucensis constitutus, obiit, ann. 1503. Opera ejus aliquot Voluminibus Basileæ atque Venetiis, 1570. prodierunt, quæ Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 121. pleniſſime enumerat. Seorſim vero edita ſunt *Comment. in V. Libr. Decretal.* Venet. 1498. T. II. Lugd. 1549. T. II. fol. 1587. ibid. *Varia Opuſcula*, Venet. 1582. Lugd. 1587. & *alia.* ibid. 1584. *Hiſt. Epitome de Regibus Siciliæ & Apuliæ*, Hanov. 1611. 4. &c. De eo Bellarminus, Simlerus, Vosſius, *de Hiſt. Lat.* Henr. Wharton, *loco citato.*

JACOBVS SANNAZARIVS.

Seu a S. Nazario, aſſumto nomine *Actii Sincerii Sannazarii*, Neapolitanus, claruit inſigni *poëmate*, viginti annorum lima perpolito, *de partu Virginis*, in quo de perfectione Poëſeos cum antiquis decertare viſus, at plus laudis laturus, ſi materiam Sacram aliquantò ſacratius tractaſſet, judice Erasmo, *in Ciceron.* p. 205. Vid. quid Erasmo reſpondeat Franc. Floridus Sabinus, *Lect. Succiſ.* l. 3. f. 276. ſeqq. Extat illud cum aliis Operibus, Lugduni. 1537. Obiit Neapoli, anno, ut olim Sepulcro inſculptum fuiſſe fertur, 1530. Epitaphium ejus in Templo Di S. Marca del Parto, lectum exhibet Cæſar D'Engenius Caracciolus, *in Neapoli* S. Neapoli, anno 1623. excuſa, p. 665. quod transſcribere, non pigebit.

D. O. M.
Da Sacro Cineri flores, hîc ille Maroni,
Sincerus Muſa proximus ut tumulo.
Vixit ann. 72. A. Dom. M. D. XXX.

De Sannazario, Labb. T. II. p. 493. Jovius n. 80. *Elog.* Boiſſardus, Kœnigius, *Bibl.* p. 722. aliique.

HIERONYMVS SAVONAROLA.

Italus Ferrarienſis, nobili gente, ann. 1452. Patre, Hieronymo Savonarola, matre vero Helena Bonacorſia, natus. A prima ſtatim juventute pietati & ſtudiis incubuit, atque Prædicatorum Ordini nomen dedit, an. 1474. Erat cæteroquin acerrimi vir ingenii, & Sanctitatis opinione, prout Sixtus Senenſis, Lib. IV. *Bibl.* loquitur, omnibus admi-

admirandus, tanta vi dicendi in concione pollens, ut amplisima etiam templa cœtus concurrentes capere non possent. Ecclesiæ reformationem fortius urgens, & Alexandri VI. monstri potius, quam Pontificis, vitia perstringens, in foro Florentino suffocatus & flammis deletus est, ann. 1498. Matheſius ad annum 1483. refert, quô Lutherus in lucem editus fuit, vide *Vitam Lutheri*, Concion. I. *Apologias* pro Savonarola scriperunt Jo. Franciscus Picus de Mirandula & Marsilius Ficinus. Adde, quæ Theophilus Spizelius habet, *Infel. Litter.* T. II. p. 620. seq. & Io. Fr. Buddeus, in peculiari dissertatione, *Parergis Historico-Theologicis* inserta. Plurima scripsit Savonarola, de quibus fuse dixerunt, autores modo citati, & post illos, Henricus Whartonus, in *Append. Cav.* p. 110. Ejus enim sunt Lib. IV. *de fidei Christianæ veritate*, Venet. 1517. 1540. Paris. 15:4. 8. Lugd. Batav. 1633. 8. *De simplicitate vitæ Christianæ* Lib. IV. Florent. 1496. Venet. 1507. Gratianopoli, 1667. 12. & alibi. *Expositio Orationis Dominicæ*, *Lamentatio Christi sponsæ*, *adversus Pseudapostolos*, *de modo bene vivendi & tendendi in Deum*, *Sermones de Tempore & SS. Conciones & Epistolæ variæ*, imo alii ferè innumeri Tractatus, de quibus post allegatos autores, Bzovius, *ad annum* 1497. Ambrosius de Altamura, *Bibl. Prædicatorum*, p. 216. & autor *Vitæ* Savonarolæ, Parisiis, 1674. 8. vulgatæ, loquuntur. De Scriptis Savonarolæ varie judicatum est. Anno enim 1556. decertabatur, utrum configenda, an verò comprobanda sint. Ubi tandem maxima litigantium cohors pro Savonarola stetit, eademque toleranda esse, unanimiter decrevit.

SAXO.

Danus Selandus, nobili gente oriundus, Cathedralis Ecclesiæ Rœschildensis Præpositus, ann. 1170. floruit, ann. verò 1204. obiit. Ob nitidum atque floridum scriptionis genus *Grammaticus* vulgo adpellari solet. Agit de eo Erasmus, *in Ciceroniano*, qui tamen tantam vim eloquendi in homine Dano, illa ætate, miratur. Valerium Maximum imitatus videtur Saxo, Stephanio atque Caveo, in *Hist. Litter.* P. I. p. 475. Prodidit autem vividum suum ingenium L. XVI. *Historia Danica*, fabulis licet nonnunquam indulgens, quæ excusa a Christ. Petri, Paris. 1514. Joh. Bebelio, Basil. 1534. Phil. Lonicerio & Joh. Fichardo, Francof. 1576. & cum doctissimis animadversionibus Joh.

Stephanii, Soræ, 1644. fol. De eo post Caveum & alios, Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 57. & 78. Casimirus Oudin, *Supplem. de Script. Eccles.* p. 474. Albertus Bartholinus, *de Scriptis Danorum*, p. 131. Mollerus, *in Cimbria Litter.* P. I. c. 4. p. 31. seqq. Vossius, *de Hist. Lat.* L. II. c. 55.

CHRISTOPHORVS SCHEVRLVS.

Nurenbergensis, J. U. D. & Civilis Ordinarius in Academia Wittenburgica, nec non Ducalis Saxoniæ Senator, edidit *Librum de Sacerdotum & Rerum Eccles. præstantia*, excusum Lipsiæ, apud Wolffg. Monacensem, jussu & expensis Georgii Kelneri, anno 1511. 4. Simlerus, f. 123. quidem hunc librum non habet, sed tamen eundem scripsisse refert, *de rebus Alberti, Ducis Saxoniæ.*

SECVNDINVS.

Afer, Secta Manichæus, ann. 390. clarus, scripsit *Epistolam ad Augustinum*, quo cum adhuc Manichæo, maxima ipsi amicitia intercesserat, qua florida atque eloquentissima dicendi copia Augustinum ad hæresim suam, revocare laborat. Extat illa cum Augustini *responsione* solidissima, T. VI. *col.* 515. Scopum illius Epistolæ paulò prolixius persequitur Cave, P. II. p. 52.

SEDATVS.

Episcopus, incertæ ætatis autor, cujus *Homiliam de Epiphania*, ex recognitione Galleti, Lugdun. vid. T. XV. *Bibl. Patr.* Colon. f. 100. Forsan est idem Sedatus, cujus aliquot ad Ruricium, Episcopum, *Epistolas* Henr. Canis T. V. *antiq. Lect.* p. 2. f. 444. seqq. exhibuit. *Epistola* sane 19. f. 453. Episcopum semet expresse vocat. Vid. ibid. Ruricii quatuor ad Sedatum Episcopum, *epistolas* f. 496. 507. & si licet, arbitrare. Conf. de eo Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 91.

CÆLIVS SEDVLIVS.

Sedulam circa hunc autorem operam navavit Labbeus, quando lites inter eruditos de eo subortas plurimas prolixe retulit atque expendit, à p. 324. ad 335. Breviter, non unum sed diversos esse Sedulios probat, scilicet Poetam unum, & Presbyterum, ann. 430. aut 440. vigentem, alterum verò Scripturæ interpretem, gente Scotum, anno

anno 818. celebrem. Sic multas admodum salebras atque cruces Philologorum removeri, planaque & expedita omnia fieri edisserit Sedulii ita Presbyteri sunt illa *Poemata S.* sæpius excusa, Basil. 1502. 1528. 1534. & 1541. cum notis Antonii Nebrissensis, deinceps *in Thesauro Poetarum Fabricii*, Basil. 1564. edito, *in Bibl. Patr.* T. VI. & *app. Bigneana*, p. 658. quam Cave, P. I. p. 239. accuratam pronunciat. Enumerant inde Labbeus & Cave, utpote *Paschale Opus* carminice seu *de J. C. miraculis Lib. V. & N. T. collationem: Hymnum dimetrum de Christo*, qui cum notis Fabricii juxta cum Prudentii & Venantii hymnis, Lipsi. 1568 seorsim publicatus. *Paschalis Operis* Lib. V. soluta Oratione, a Sureto, Paris. 1585. seorsim evulgatos. Prodierunt nuper *Sedulii Hymni & Carmen Paschale*, cura Christophori Cellarii, Halæ, 1704. 8. Dictionem ejus facilem, ingeniosam, numerosam, perspicuam, mundam & Christianæ Pietatis commendatricem, vocat Olaus Borrichius, *Diss. 2. de Poet. lat.* Sedulii verò Scoti est *Collectaneum* seu *Explanatio in omnes Epist. S. Pauli*, qualem quoque *ad S. Matthæum* scripsit, e Scriptura concinnata, edita Basil. 1528. 1534. & *Bibl. Patr.* T. VI. p. 494. Vid. quid de hoc posteriore dicat Cave, P. I. p. 365. & Conf. Casim. Oudin, *Supplem.* p. 221. Eliam Du Pinium, T. VII. p. 177. De priore autem Isidorum Hispalens. *de Scriptor. Eccles.* Trithemium, *de Scriptoribus*, Labb. l. c. Jo. Albertum Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 704. Eliam Du Pin, T. IV. p. 75.

CLAVDIVS SEISELIVS.

Sabaudus, Ludovico Galliæ Regi à libellis supplicibus, Episcopus Masilienfis, post Archi-Episcopus Taurinensis, ann. 1500. clarus, anno 1520. obiit. Scripsit in tria priora capita Lucæ, *de Triplici statu Viatoris*, ad Leon. X. ingens Volumen, Taurini, ann. 1518. f. Pars ejusdem, *mendis Explicatio Evangelii*: Missus est Angelus, antea, prodierat, Paris. 1514. 4. *Disput. adversus Waldenses*, Paris. 1520. 4. *de divina Providentia*, *Tract.* cum priore, ibidem, 1520. 1637. 4. Ad hæc, Caveo teste, P. II. p. 319. *Historica* atque *Comment. in jus feudale* conscripsit.

SERAPION.

Episcopus Antiochenus, ann. 190. clarus, ann. 213. juxta Eusebium, expiravit. Composuit *Epistolam ad Caricum & Pontienum Eccle-*

siasticos viros adversus Montani hæresim, cujus partem exhibet Eusebius, l. 5. c. 19. *Ad Dominum, Apostatam*, Volumen. Item Librum, *de Evangelio Petri*, cujus itidem fragmentum extat apud citatum Eusebium, Lib. 6. c. 10. De eo Hieronymus, *Catal. Script. Eccles.* c. 41. Cave, P. I. p. 38. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 77.

SERAPION ÆGYPTIVS.

S. Antonio, Monachorum Patri, atque S. Athanasio, carus & coævus, ex Anachoreta Episcopus Thmueos civitatis, ab hirco denominatæ, in Provincia Ægypti Schetica sitæ, juxta Hieronymum, l. 2. *contra Jovin.* & *de Viris illustribus*, c. 99. Ob ingenii elegantiam cognomen *Scholastici* meruisse dicitur. Conf. Sixtus Senensis l. 4. *Bibl.* f. 324. Ejus Liber *contra Manichæos* extat, T. V. *Lect. Antiqv.* Henr. Canis. P. I p. 1. ex interpretatione Fr. Turriani & in *Bibl. Patr.* T. IV. p. 160. *Epistolas plures: Tractatus de Psalmorum titulis* memorat Socrates, l. 4. c. 23. quæ temporum injuria perierunt. Obiisse fertur Serapion, ann. 358. Conf. Hieronymus, *de Scriptor.* c. 99. Labbeus, T. II. p. 339. Bellarminus, *de Scriptoribus Eccles.* Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 114. Du Pin, *loco citato*, T. II. p. 73.

SERGIVS.

Patriarcha Constantinopolitanus, ann. 608. claruit, Monotheletarum fautor atque propugnator acerrimus, annoque 639. obiit. Hæresim Monotheletarum Synodo Constantinop. edita fidei Ecthesi, confirmavit. Scripsit *Epistolam ad Cyrum, Patriarcham Alexandrinum*, quæ gr. lat. *Concil. T. VI.* p. 176. *Epistolam ad Cyrum, Phasidis Episcopum*, gr. lat. inter *Concil. Constantinop. acta, act.* 12. *Concil.* T. VI. p. 915. *Epist. ad Honorium, Papam*, gr. lat. ibidem, p. 918. *Acta Synodi* habentur græc. lat. *Concil.* T. VI. p. 201. De eo Cave, P. I. p. 314.

SERGIVS.

Cypri Archi-Episcopus, ann. 645. vigens, composuit *Epistolam ad Theodorum, Papam, adversus Monotheletas*, gr. lat. *Concil.* T. VI. pag. 122.

SER-

SERGIVS P. R. I.

Anti ocheus Tiberii Panormitani Filius, Pontifex, anno 688. consecratus, ann. 689. Ceadwallam, Anglorum Regem, Romæ Sacro fonte initiavit. Obiit ann. 702. Scripsit *Epistolam ad Ceolfridum, Abbatem*, de Beda Romam transmittendo, quæ *Concil.* T. VI. p. 1294. & apud Guilielmum Malmsburiensem, *de gestis Regum Angl.* l. 1. p. 11. mutila habetur. Conf. Cave, P. I. p. 330. Heideggerus, *Hist. Papat.* Ludov. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 197.

SERGIVS II. P. R.

Ex nobili familia ortus, Romanæ Ecclesiæ Archi-Presbyter, post ann. 844. Papa constitutus, Ludovicum, Lotharii Imperatoris, filium, in Longobardorum Regem unxit. Decessit e vivis, ann. 847. Scripsit *Epistolam*, ad Episcopos Transalpinos, de prælatione Drogonis Mediomatricensis, Vicarii sedis Apostolicæ, quam vide, *Concil. T. VII.* p. 1799. Vid. autores modo citatos, & adde Eliam Du Pinium, T. VII. p. 178.

SERGIVS.

Syrus, Manichæorum suo tempore Coryphæus, ann. 801. vixit, atque pro Spiritu S. haberi voluit. Obiit, ann. 812. morte satis violenta, securi a Tzanione Nicopolitano, interemtus. Composuit *Epistolas* complures, ad Colonienses, Leonem, Montanum, datas, quarum ampla fragmenta adducit Petrus Siculus, *Hist. Manichæismi*, p. 66. &c. Vid. Cave, P. II. p. 158. Arnoldus, *Hæreseolog.* & alios.

SERLO.

De Valle Badoni juxta Bajocas in Normannia oriundus, Cerasiensis Monachus Ord. Bened. deinde Savigniacensis Abbas, ann. 1148. consecratus, post Bernhardi obitum, Officium deposuit, atque Claræ-vallam se contulit, ubi ann. 1158. obiit. Scripsit *Sermones*, quos extulit Bertrandus Tisier, *in Bibliotheca Ord. Cisterc. Patrum*, ann. 1664. vulgata, T. VI. p. 107. Commentarius *in Orationem Dominicam*, manuscriptus extat in Bibl. Colbertina, *Cod.* 5207. teste Oudino, *Suppl. de Script.* p. 424. De eo Sammarthani, *Gall. Christ.* T. IV. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 184.

SEVERIANVS.

Gente Syrus, Ecclesiæ Gabalorum in Syria Episcopus, sub Theodosio Juniore, ann. 401. clarens, cui arcta quidem ab initio familiaritas cum Joh. Chrysostomo intercessit, quam tamen propria culpa interrupit. Non adeo alienus a vitio Simoniæ fuit, qui Porphyrium, accepta pecuniâ, consecravit. Vir cæterum in Scripturis eruditus, atque eloquentissimus. *Homilia ejus VI. in Hexaemeron Mosis* græcè ab Henr. Savilio cum Joh. Chrysostomi *Operibus græcis*, Etonæ, prope Londinum, ann 1612. editis, T. VII. & *in auctar. Combefisii*, Paris. 1672. habentur. Scripsit quoque *Orationem in Nativitatem Christi: de Serpente Æneo: de pace in Ecclesia Constantinop. habitæ: de morte innocentum, quæ inter Chrysostomi & Chrysologi Homilias* passim habentur. Ejusdem *de Cruce Homiliæ* fragmentum Jacobus Gretserus, T. II. *de cruce* dedit, at integram eam, post alios Chrysostomi Tractatus, Paris. 1656. Franc. Combefisius exhibuit. Conf. quæ habent Sixtus Senensis, l. 4. *Bibl.* f. 324. Sozomenus, Lib. VIII. c. 18. Socrates, Lib. VI. c. 11. Labbeus, T. II. p. 341. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 202. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III pag. 75.

SEVERVS.

Patriarcha Alexandrinus *Rituale Liturgiæ & Sacramentorum apud Syros usitatum*, idiomate & Charactere Syriaco, tradidit, mox post Mahumeticam tempestatem, ut videtur, in solatium captivorum. Hinc Genebrardus in Chronologia, ad ann. 646. eum retulit. Vid. *Indic. Chronol. Bibl. Patr. Paris.* 2. adjectum Sec. VII. & lege, quæ ex hoc *Rituali*, habentur T. VI. f. 43. 56. 61. Integer verò Liber Severi *de ritibus Baptismi & S. Synaxeos apud* Syros Christianos receptis, Syriacè & latinè primò editus à Guidone Fabricio Boderiano, Antwerp. 1572. typis Christoph. Plantini. Conf. de hoc autore Kromayeri, *Polymath. Theol.* p. 135.

SEVERVS.

Patria Alexandrinus, professione Jacobita, Asmuninæ Episcopus, ann. 978. clarus, composuit, arabico Sermone, *Lib. III. de Vitis Patriarcharum Alexandrinorum*, è quibus ampla satis fragmenta exhibet Abrahamus Ecchellensis, *in Eutychio Vindicato*, P. I. Item Tract.

adver-

adversus Eutychii Patricidæ, Patriarchæ Constantinop. annales, qui teste Caveo, hac in re consulendo, P. II. p. 188. in Bibl. Vaticana ostenditur.

SEVERVS.

Sozopoli in Pisidia natus, professione Causidicus, atque Religione Gentilis, Christianismum amplexus, Vitam Monasticam egit. Ob hæresin tamen e Monasterio ejectus, Apocrisarius Sectæ suæ, Constantinopoli, factus est. Post mortem Flaviani Antistes Antiochenus, ordinatus, in Catholicos desæviit, eosdemque immani strage occidit. Ob id tamen sede sua fugatus, Alexandriam, post Constantinopolin, variis sceleribus intentus atque Justiniani edicto anathemate perculsus est. Vixit circa, ann. 513. Docuit autem unicam tantùm in Christo esse naturam: animas nostras ante mortem præexistere & alia, de quibus Cave, P. II. *Hist. Litt.* p. 107. Extitit hic Severus ingenio feroci & truculento, & ad turbas excitandas nato, eruditus & ad disputandum promptus ac subtilis, in opinionibus suis non semper sibi constans, judicio vix laudati Cavei. Scripsit *Epistolas perplures*, quarum fragmenta, *Concil. T. VI.* p. 315. 834. 385. & alibi exhibentur. *Homilias & Tractatus. Sermonis prosphonetici* in Daphne, in Martyrio S. Euphemiæ dicti, fragmentum, T. VI. p. 316. Lib. *contra Grammaticum*, fragmentum, *Catena in Cantica V. T.* a Caraffa lat. translata, p. 253. *Comment. in SS.* quorum fragmenta sistit Caraffa locis a Caveo, P. I. p. 277. citatis. & P. II. p. 107. ubi plura Severi Scripta, adducit. Adeò autem a Severi Scriptis atque erroribus abhorruit Justinianus, Imperator, ut illa igne comburenda præceperit. De Severo Nicephorus, *Hist. Eccles.* L. XVI. c. 29. seqq. L. XVII. c. 1. l. XIIX. c. 49. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 40. Arnoldus, l. c. & alii.

SEVERVS.

Minorcæ, Balearis Insulæ Episcopus, ann. 418. clarus, circularem ad omnes Ecclesias, *Epistolam* misit, *de Judæorum in ea Insula Conversione, deque miraculis ibidem factis ad reliquias S. Stephani*, quam Baronius e Codice Vaticano extulit, ad ann. 418. p. 429. Crassum Miræi atque Oudini errorem, quem in illis notat Cave, videas apud eundem, P. I. p. 218.

SEVE-

SEVERVS.

Afer, Episcopus Milevitanus, Augustino familiariter usus atque ann. 420. vigens, scripsisse fertur, *Epistolas* per plures, quarum unica tantum inter *Augustinianas*, n. 36. hodie supereſt. Conf. Cave, P. I. *Hist. Litter.* p. 222.

SEVERVS.

Rhetor, & Poeta Christianus, *cujus carmen Bucolicum* habetur in *Opusculis Vet. Galliæ Theologorum*, a Pithœo, 1586. 4. excusis, & *in Bibl. Patr.* T. VIII. *Paris. 2.* f. 275. & a Jo. Weitzio, cum notis vulgatum, Francof. 1612. 8. *Bibl. Patr. Paris. Index Chronologicus*, inter Sec. V. Scriptores hunc Severum reponit. At *Colonienſis Bibl. Patr. index* clarius ex ipso carmine colligere voluit, vixisse eum non multò postquam toto orbe religio Christiana recepta, cum tamen supereſſent adhuc gentilitatis reliquiæ. Quicquid sit de ejus ætate, superstitionis sane obelus venit in eo notandus, quod Signo S. Crucis frontibus pecudum addito, eas a peste servatas tradit, vid. l. c. f. 278. De eo Christianus Daumius, *in Epistol. ad Reineſium*, p. 23. seq. & Jo. Albertus Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 682.

SEVERVS SVLPITIVS.

Nitiobrix genere, divitiis litterisque in Aquitania nobilis, D. Hieronymi ac Ruffini æqualis, Presbyter Primuliacensis, male cum Sulpitio Severo, Bituricensi Episcopo, qui ann. 585. floruit. juxta Sanmarthanos, *Gall. Christ.* T. I. f. 146. a quibusdam confusus, Ecclesiasticorum Scriptorum purisimus, Jos. Scaligero judice, *Saluſtius Christianus*, heroumque Christi historiæ quidam *Florus*, juxta Barthii & aliorum elogia. Conf. imprimis Du Pin, T. III. *Bibl. Nouv.* p. 145. Plura exhibet, Blount, *Cenſ. Celebr. autor.* p. 289. seqq. Vixit adhuc circa annum 420. a Pelagianis in Senectute sua deceptus, indeque loquacitatis culpam agnoscens, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum loquendo contractum, tacendo penitus emendaret, sicut refert è Gennadio, Barthius, *ad Claudian. Poet.* f 149. b. Plura de ejus ætate, elogiis & Scriptis, dabit Vossius, l. II. *Hist. Lat. c.* 12. Cave, P. I. p. 203. Labbeus, T. I. p. 242. qui Opera Severi ordine enume-

enumerant. Agmen ducunt *Historiæ S. Lib. II.* ab Orbe Condito ad 400. perducti, qui seorsim quoque editi & ex Sleidani de IV. Summis Imperii Libro, usque ad Caroli V. ætatem continuati, extant, Amstelodami, Jo. Jansonii cura & ære, 1635. 12. Franequeræ, cum Christ. Schotani notis, 1664. fol. Eosdem Berolini, 1668. recudi fecit, notis additis, *Joh. Vorstius.* antea quoque Basil. 1566. 8. Coloniæ Agripp. cum Dorothei Tyri, Episcopi, *Synopsi*, 1573. 12. Sequuntur hosce *Liber de B. Martini Vita: Epistolæ:* atque *Dialogi*, in quibus millenarium regnum adstruxit. *Epist. II. ad Claudiam Sororem*, apud Baluz. *Miscell.* T. I. p. 329. *Epist. V. aliæ*, apud Dacherium, *Spicil.* T. V. p. 532 Excusa sunt Sulpitii Opera, Colon. 1600. 8. Franequ. 1607. 8. Lugd. Batav. 1635. 12. 1647. 4. 1654. 8. & alibi, vel etiam in *Bibl. Patrum*, & *in Orthodoxogr.* Novam Severi Sulpitii Operum editionem extulit Joh. Clericus, quæ prodiit, Lipsiæ 1709. 8. T. II. De eo Gennadius, *de Script.* c. 19. & Aub. Miræus, *in Schol.* Cave, P. I. *Hist. Litter.* p. 203. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 146. Jo. Albertus Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 735.

SGVROPVLVS vide SYROPVLVS.

CAJVS SOLLIVS APOLLINARIS SIDONIVS.

Qui a vita moribusque *Modesti* nomen apud Librarios accepit, teste Barthio, l. 6. *adversar.* c. I. Joh. Savaron, ipse Arvernus, patria Arvernensem eum scripsit, in *Comment. ad Sidonium*, cum tamen Lugdunensem ipse semet verbis non obscuris ac non semel indigitarit, uti notant Sanmarthani, T. II. f. 523. Lugduni itaque ad Rhodanum de primis Senatoribus natus, optimisque eruditus Præceptoribus, Litteratorum ævi sui Princeps ac disertissimus, Militiæ adscriptus, inde uxoratus, & Senator Arvenus, pòst Claromontensis Arvernorum, ann. 472. factus Præsul, quos contra Gothos armata manu fortiter defendit. Obiit, ann. 482. Plura nec addere placet, cum autores sequentes prolixius de eo dicant. Joh. Savaron & Jacobus Sirmondus & ex illis Cave, P. I. p. 258. Bellarminus, Labbeus, p. 338. Sanmarthani, l. c. Vosс. *Hist. Lat.* l. 2. c. 18. Franckenstein, *Ind. Benj. Priol. Hist. Gall.* titulo, *Arvernia*, Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV, p. 250. seq.

Sausay, *in Mart. Gall.* Io. Fr. Buddeus, *in Lexico*, & alii plures. Opera Sidonii, puta *Epistolarum Lib. IX.* & *Carmina* XXIV. consonis ubique sententiarum clausulis, harmonico genere dicendi multa paucis includentia, ediderunt Joh. Bapt. Pius, cum notis, Basil. 1542. 8. Elias Vietus, Lugd. 1552. 8. Joh. Savaron, Paris. 1599. 4. Hanov. 1617. 8. Sirmondus cum notis, Paris. 1614. 8. & *auctar.* Paris. 1652. 8. quæ editio post mortem Sirmondi, adlaborante Labbeo, prodiit. Extant Sidonii quoque Opera *in Bibl. Patr.* T. VI. p. 1075. seqq. Opera autem Sidonii deperdita, quæ ipse in Epistolis memorat, vid. excerpta apud Caveum, l. c. p. 259.

SIFFRIDVS.

Germanus, Presbyter Misnensis, circa annum 1307. vivens, temporum suorum non indiligens Scriptor, cujus *Epitomen* Lib. II. coaptavit Georg. Fabricius, excerptis saltem iis, quæ aut in aliis non inveniuntur, aut certe commemorantur brevius vel obscurius. Subjunxit autem hanc *Chronici Suffridi Epitomen*, *Historiæ suæ Orig. Sax.* vel *Misnensibus Annalibus*, excusis, Lipsiæ, 1569. & Jenæ, 1598. fol. Eandem inter *Scriptores illustres rerum German. Vet.* à se editos, T. I. comparere voluit Pistorius. Conf. Vossium, l. c. c. 62. Labb. p. 349. Henr. Wharton, *append. Cav.* p. 9. qui arguunt Possevinum & Alfonsum Fernandez Siffridum hunc Chronologum cum Siffrido, Episcopo Cyrenensi titulato, Archi-Episcopi Moguntini, Theodorici, in Pontificialibus Vicario, quem Trithemius, ad annum 1470. refert, confundentes.

SIGEBERTVS.

Quem natione Gallum fuisse Sixtus Senensis asserit, Gallo-Brabantum, Cave, Gemblacensis in Brabantia Gallicana Cœnobii Monachus, Ord. Bened. Poëta, Historicus, & Theologus ætatis suæ eximius, vid. Voss. c. 48. *loco citato.* Labbeum, T. II. p. 350. Caveum, P. I. p. 444. Floruit, ann. 1101. & obiit, ann. 1113. Maximo Pontificii odio prosequi solent Sigebertum, eò, quod Henricorum adversus Pontifices causam, tueretur, Conjugiumque Clericorum adprobaret. Invehuntur in ipsum Baronius, Bellarminus, aliique. Laudatur Fr. Sweertio, *Athen. Belg.* p 674. Trithemio, Valerio Andreæ, & aliis, quorum encomia congessit Blount. l. c. p. 371. seq. *Chronicon*

ejus

ejus, ab eo tempore, quo Hieronymiana Chronici Eusebiani appendix desinit, inchoatum, hoc est, ann. 381. & ad ann. 1112. perductum, atque à Galfridi Monumetensis seu Asaphensis quisquiliis, quæ omnes præcedentes editiones involaverant, repurgatum, Antwerpiæ, 1608. Aub. Miræus edidisse fertur. Vide tamen, quæ de querelis Rob. Widdringtoni, ob Sigebertum a Miræo corruptum, attulit Thomasius, *exercit. de Ind. Pap. expurg.* §. 37. Et Sigebertus quoque suos nactus Continuatores, Anselmum, Gemblacensem Abbatem, Anonymum deinde quendam, falsò hactenus creditum Robertum, Abbatem de Monte S. Michaelis, sub cujus nomine, Parisiis ex officina Henr. Stephani & Joh. Parei, 1513. 4. prodiit, cum potius Religiosus aliquis, Ordinis Præmonstratensis, in Diœcesi Laudunensi, fuisse videatur, & Robertum de Thorignejo, Abbatem S. Michaëlis, de Tumba seu in periculo maris, cujus *Chronicon* post Guiberti, Novigentini Abbatis, Opera, ann. 1651. studio Lucæ Dacherii edita, comparent. Extat etiam Sigeberti *Chronicon* inter *Scriptores Germanicos*, Francof. 1583. f. p. 477. & *Bibl. Patr.* T. VII. *Paris. 2.* f. 1339. *Librum Sigeberti de Viris illustribus*, quem post alia Scripta omnia composuisse traditur, editum, Colon. 1580. 8. cum notis Suffridi Petri, & cum novis Scholiis, juxta cum VI. aliis consimilis argumenti Scriptoribus, Antwerpiæ, 1639. f. *in Bibliotheca Ecclesiastica*, Miræus recudi curavit. *Epistola pro Ecclesiis Leodiensi, & Cameracensi, adversus Epistolam Paschalis Papæ*, in Goldasti *Collect. Anti-Gregoriana*, Hanov. 1611. p. 188 *Vitam Sigeberti, Francorum Regis*, Surius, *d. 1. Febr, Vitam S. Guiberti, Confessoris, Monasterii Gemblacensis fundatoris*, Surius, d. Maj. 23. *Vitam S. Maeloni*, idem, d. 15. Novembr. *Vitam verò S. Theodardi* interiisse, existimat Cave, *loco citato*. De eo post jam citatos autores, Sixtus Senensis, Possevinus, Miræus, & Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 153.

SIGIFRIDVS.

Archi Episcopus Moguntinus, ann. 1069. clarus, quo Henrici Regis a Berta, Vxore, divortium, adprobavit. Anno 1064. aliquot copiarum millia, inauspicato omine, in Orientem trajecit. Ann. 1074. convocatis, Erfordiæ atque Moguntiæ, Synodis, Presbyteros, matrimonio cum uxoribus sociatos, ad saniorem mentem reducere frustra fategit. Obiit, ann. 1084. Scripsit *Epistolas III.* ad Alexandrum II. P. R.

Concil. T. IX. p. 1200. 1205. 1233. & *Vnam* ad Hildebrandum, quæ *ibidem*, p. 1233. habetur. De eo Cave, P. I. p. 430.

SIGISMVNDVS GROSSENBROT
vide GROSSENBROT.

SIMEON FIDATVS de CASSIA.

A Cassia, natali in Hernicis vico, cognominatus, Ord. Erem. S. August. Vir doctus, disertus ac Prophetiæ Spiritu illustratus, teste Trithemio & Sixto Senensi, vixit, ad annum 1348. Ejus Libri XV. *de Gestis Domini Salvatoris*, Coloniæ, 1540. fol. prodierunt. Lib. *de B. Virgine* Basileæ, 1517. Reliqua videas post citatos autores, apud Jos. Pamphilum, *Chronico Ord. Eremit. S. Aug.* p. 51.

SIMEON.

Gente Anglus, Oxonii innutritus, ubi Philosophiam atque Theologiam professus, post Ord. Bened. adscriptus atque Præcentor Dunelmensis, ann. 1130. floruit, atque varia scripsit, quæ extant *in Collectione X. Script. Angl. Twisdeni*, Londini, 1652. vulgata, p. 1. seq. Sunt autem *Historia Dunelmensis*, quam *Turgoto* Seldenus in *Dissertatione huic operi* præmissa, vendicare non dubitat. *de Archi-Episcopis Eboracensibus*, ibidem, p. 75. *de Obsidione Dunelmi*, p. 79. *Historia de Regibus Anglorum & Danorum*, Lib. II. ibidem, p. 85. Addidit Historiæ Simeonis Dunelmensis, *Joh. de Hersam*, Prior Hagulstadiensis, annos 25. de quo Casimirus Oudin, p. 391. Seldenus, *loco citato*, qui singula ex Selando, Baleo, Pitseo, atque Vossio, Vitam Simeonis, illustrantia, operose collegit. Huic superaddas Guil. Caveum, *Hist. Litter.* P. I. p. 460. Eliam Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 191.

SIMEON.

Magister & Logotheta, circa ann. 967. claruit atque condidit *Chronographiam a Leone Armeno ad Nicephorum Phocam*, quam græc. lat. vulgavit Combefisius, inter *Scriptores* post Theophanem, 1685. p. 401. Cl. Du Fresne, *indic. Auct. græc.* p. 61. Simeoni, Metaphrastæ, hunc fœtum adjudicat, cui tamen Caveus, P. II. p. 186. non sine rationibus repugnat.

SIMEON

SIMEON.

Magister & Logotheta, Alexio Aristeno suppar, ann. 1170. vixit, atque *Epitomen Canonum* scripsit, quam gr. lat. extulit Justellus, *Bibl. Jur. Canon.* T. II. p. 710. Vide tamen quid de eo conjiciat Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 475. qui ejus Synopsin ætate Simeonis hujus antiquiorem esse existimat. *Orationes XXIV. de Vita & morum institutione* ex Basilio collectæ, prodierunt cura Stanislai Ilovii, Francof. 1598. 8. & T. III. *Operum Basilii*, edit. 1618. fol. *Opus in mundi Opificium ex Genesi & Chronicis per seriem collectum*, idque manuscriptum, memorat Cave, *loco citato.*

SIMEON METAPHRASTES.

A scribendi genere ita appellatus, patria Constantinopolitanus, Vir nobilis & eruditus, sub Leone, Philosopho, ejusque Filio, Constantino Porphyrogenneta, vixit, usque ad annum 950. sicut contra Baronium, Bellarminum, Possevinum &c. Labbeus, T. II. p. 354. & contra Blondellum, Genebrardum, Simlerum, atque Oudinum, crasse, errantem, ostendit Caveus, P. I. p. 402. Dignitate fuit Leonis, Imperatoris, Proto-Secretarius, Patricius, magnus Logotheta, & Magister Palatii. Elogium Metaphrastæ à Mich. Psello conscriptum, Leo Allatius edidit, qui prolixam quoque occasione nominis Simeonis, de magnorum virorum, quibus Simeonis nomen fuit, vita & Scriptis *Dissertationem* composuit. Parisiis, 1664. 4. excusam atque recensitam, *Journal des Scavans*, T. III. Scripta Simeonis Metaphrastæ accurate consignavit idem Allatius, & ex eo Cave, *loco citato.* Ingens illorum numerus prohibet, quo minus illa transcribamus. Observamus saltim Simeoni, tanquam genuino autori, ortum debere, 112. *Vitas*, à Caveo ordine adductas. Spurias quoque apud eundem reperire licet. Adhæc composuit Simeon *Poëmata IV.* gr. ab Allatio producta, *loco citato*, p. 132. *Orat. de planctu B. Mariæ*, græc. lat. p. 245. *Epist. IX.* gr. lat p. 154. *Orat. XXIV. de Moribus*, p. 131. quæ seorsim vulgatæ, græcè, Parisiis, 1556. 8. & inter *Opera Basilii.* Preces aliquot & Hymni, p. 131. Orationes III. manuscriptas & alia, memorat idem Allatius, p. 130. 132. Conf. Hanckius, *de rerum Byzant. Script.* p. 436. seq. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 3. Vossius, *de Hist. Græc.* L. II. c. 15. Leo Allatius, *de Symeonibus* & alii.

SIMEON.

Stylites, natione Syrus, ex urbe Susan oriundus, à Columna, cui permultos annos insedisse narratur, græcè *Stylites*, latinè *Columnarius*, vel *Columnator* dictus, miræ Sanctitatis homo, debitum mortalitatis persolvit, anno circiter, 460. Vide, quæ de illo ex Evagrio aliisque adducit Cave, P. I. p. 249. seqq. Scripsit plures *Epistolas*, Evagrio & Nicephoro memoratas, quarum *unam pro Synodo Chalcedonensi*, integram exhibent, autores modo citati. *Sermonem de semper mente complectendo suum cuique discessum*, *Bibl. Patr.* T. VII. *V. tam* hujus Senioris Stylitæ composuit Antonius discipulus ejus, quam habes Lat. *in Historia Patrum*, T. I. editionis Plantinianæ. De eo Evagrius, Lib. I. *Hist.* Theodoretus, c. 26. Baronius, *in Annalibus*, Bellarminus, *de Scriptoribus Eccles.* Guil. Cave, *loco citato*, & alii.

SIMEON.

Stylites junior, *Thaumastorita*, a vitæ instituto dictus, natione Syrus, anno 527. multa præclarè gessit, de quibus Evagrius, Nicephorus, & qui ex instituto ejus vitam congessit, Arcadius, Cypri Archi-Episcopus, *in Concil. Nicen. II. Act. IV.* Summam ex his omnibus repræsentat Cave, P. I. p. 281. seq. Obiit Simeon, ann. 595. Scripsit *Epistolas* plures, maximam partem deperditas. *Quintam ad Justinum Imper.* exhibent Patres *Concil. Nicen. II. Act. V. Concil. T. VII.* p. 349. quam quidem Carolus M. & Patres Francofurtenses spuriam, Leo Allatius verò genuinam, judicavit. *Epistolæ* ad Justinianum, Imper. contra Eutychem & Nestorianos, quibus infensissimus fuit Simeon, fragmentum, vide apud Damascenum, *Orat. III. de Imag.* p. 789. Plura adhuc in membranis delitescentia offert Leo Allatius, *Diatr. de Symeonibus*, p. 21. seq. de quibus tamen, quod ad Simeonem nostrum spectent, dubitat Cave, *loco citato*.

SIMEON.

Theologus junior dictus, ad differentiam antiqui, inter Græcos Theologi: scilicet *Gregorii Nazianzeni*, Presbyter & Præpositus Monasterii S. Martyris Mamantis ad Xerocercum, Nicetæ Pectorati Magister, anno circiter 1051. vixit & scripsit XXXIII. *Orationes de Fide & moribus*

moribus Christianis atque monasticis, quas Gretserus Metaphrasti Simeoni adscribere mavult & hunc cum dicto Theologo juniore eundem esse statuit. Vide tamen quid ei objiciatur apud Labbeum, T. II. p. 356. *Librum divinorum amorum:* item, *Capita moralia, Practica, & Theologica*, 228 quæ lat. ex Pontani Versione, cum notis Gretseri, prodierunt, Ingolstadii, 1603. *Alias 64. Simeonis Orationes: Hymnos de Laudibus divinis* 19. *Capita Practica & Theologica varia*, memorat Leo Allatius, p. 153. 161. 167. Conf. Oudin. p. 416. qui tamen hunc nostrum cum Simeone, Logotheta juniore, male confundit, & Eliam Du Pinium, T. VIII. p. 112. qui Simeonem nostrum Quietismi, quem in Scriptis prodiderit, accusat, de cujus accusatione alii liberius judicent.

SIMEON.

Gente Græcus, acerrimus græcorum dogmatum defensor, Monachus primum, post Archi-Episcopus Thessalonicensis, an. 1410. clarus, cujus laudes Eugenius Nomophylax prosequutus, ipsum externa & spirituali Sapientia super humanum captum repletum, in Angelico instituto, & vitæ ratione excellentem, eamque cum summa virtute & laude perfectissimè agentem deprædicans. Scripsit *Comment. de divino Templo, de ejus ministris, de Sacris eorum vestibus, de SS. Missa, ad pios quosdam Cretenses*, quæ opuscula e græco in lat. transtulit Jac. Pontanus, è cujus versione prodierunt Ingolstadii, 1603. 4. & *Bibl. Patr.* T. XXII. Verum prava id fide præstitit Pontanus, meliori verò Jacobus Goar, qui illa græc. lat. Paris. 1647. fol. vulgavit. Reliqua Simeonis hujus Scripta e Leone Allatio produxit Henr. Wharton, *App. Cav.* p. 61. atque ipse Caveus, P. II. p. 301. ubi de illis, manuscriptis quidem, sufficienter disseruit.

SIMEON.

Cœnobii cujusdam in Mesopotamia Abbas, composuit *Orationem de continua meditatione mortis*, quæ sub nomine *Simeonis Stylitæ*, extat lat. *Bibl. Patr.* T. VII. Gr. manuscripta habetur in Bibliotheca Vindobonensi, prout testatur Cave, P. II. *Disp. I.* p. 16. ubi plures Simeones ex Allatio adducit, deque iisdem verba facit. Conf. Allatius, *loco citato*. p. 24.

SIMON

SIMON BENIGNIVS.

Modruſiæ in Croatia Epiſcopus, ann. 1513. clarus, quo Concilii Lateranenſis Seſſ. VI. concionatus, qui *Sermo* juxta cum *Epiſtola ad Bernardinum de Frangepanibus dedicatoria*, habetur, *Concil.* T. XIV. p. 144. Conf. Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 137.

SIMON de CREMONA.

Italus, Ord. Erem. S. Aug. Monachus, floruit ann. 1338. atque diu Venetiis concionando magno cum fructu operam dedit. Varia ingenii ejus Opera, utpote: *Comment. in IV. Libros Sentent. Tract. de Indulgentia Aſſiſii: Sermones ſuper Epiſtolas & Evangelia Dominicarum totius anni: triplex Quadrageſimale Sermonum & Sermones de SS. aſſervantur* manuſcripta, Romæ, Patavii, & Cremonæ. *Poſtilla* autem ſuper *Evangelia Dominicalia* prodiit Reutlingæ, 1484. fol. Conf. de illo Oudin, *Suppl.* p. 662. Cave P. II. p. 276. Aub. Miræus, *in Auct.* c. 433. p. 260. Anton. Poſſevinus, *App. S.* T. II. p. 407.

SIMON.

Cretenſis, Hieromonachus, Ord. Prædicatorum, qui ut Cave, conjicit, circa annum 1276. floruit, ſcripſit prolixam *Epiſtolam ad Joh. Nomophylacem de Conciliis, quæ profeſſionem SS. a filio definiverunt*, cujus maximam partem exhibet Leo Allatius, *loc. cit.* p. 324. *Tract. Simeonis duplicem*, unum, ad *Manuelem Olobolum*, alterum, *ad Sophoniam*, ejusdem fere argumenti, citat Allatius, *de Conſenſu*, l. 2. c. 15. §. 11. de eo Guilielmus Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 511.

SIMON SACVMÆVS.

Conſtantinopolitanus genere, ortu Cretenſis, Ord. Præd. & per totam Græciam Inquiſitor Generalis, Gyracii Epiſcopus, poſt Thebarum Metropolita, ann. 1400. claruit. Hujus *Verſionem N. T. e græco in Ebraicum & Latinum*, tribus columnis diſpoſitam, in quibus verbum verbo reſponderit, commendat maximopere Sixtus Senenſis. Alia ejus Opuſcula adverſus græcos *de Proceſſione SS.* ex Leone Allatio memorat Cave, P. II. p. 289. Caveas inſuper ne confundas hunc Simeonem cum præcedenti, Hieromonacho,

SIMPLI-

SIMPLICIVS.

S. Benedicti discipulus, Cœnobii Casinensis Abbas III. Vir cœlestibus Charismatibus præditus, omnique testimonio Sanctitatis illustris, ann. 560. *Regulam*, quam Benedictus ediderat, publicè legendam omnibus Monachis tradidit. *Versus* quoque nonnullos de eadem rescripsit, quos edidit Lucas Holstenius, *in Collect. Regularum*, Parisiis, 1663. De eo Cave, P. I. p. 295. fusius autem Petrus Diaconus, *de viris Illustr. Casin.* & Marus, *in not.* p. 9. seqq.

SIMPLICIVS.

Patria Tiburtinus, ann. 467. P. R. factus, magnas cum Acacio Constantinop. Timotheo Æluro, Petro Mongo, & Petro Fullone, lites habuit, quibus tandem compositis, ann. 483. placidissime expiravit. Habentur ejus *Epist. XIX. Concil.* T. IV. p. 1068. Conf. post Anastasium, Genebrardum, Platina, Cave, P. I. p. 257. Lud. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 199. Elias Du Pin, T. IV. *Bibl. Nouv.* p. 239.

SIRICIVS.

Romanus, suæque Ecclesiæ Presbyter, ann. 385. Papa consecratus, Jovianum novaturientem damnavit. Obiit, ann. 398. Scripsit *Epistolas V. Concil.* T. II. p. 1017. exhibitas, quarum tamen *quarum* in dubium non immerito vocavit Paschasius Quesnellus. Conf. Isidorus, *de Viris illustr.* c. 3. Trithemius, Ludovicus Jacob, *loco citato*, p. 200. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 247. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 162.

SISINNIVS.

Magister appellatus, Patriarcha Constantinop. anno 995. ordinatus, Controversiam de quartis nuptiis, in Ecclesia sua excitatam, composuit, atque ann. 998. obiit. Scripsit Tract. *de Nuptiis consobrinorum*, qui extat *in Jure Gr. Rom.* Leunclavii, Lib. III. p. 197. Conf. de eo Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 414. & P. II. p. 190. Adde Phil. Cyprium, *Chronico Eccles. Græc.* & alios.

SIVIARDVS.

Ut videtur, Gallus, Anisolensis apud Cenomanos Abbas V. anno circiter, 710. clarus, scripsit *Vitam S. Carileti, Anisolensis Abbatis I.* quam edidit Mabillon, *Sec. Ben. I.* p. 642. & Surius, *d. 1 Julii*, quæ quidem posterior alia plane & a priore diversa videtur Guil. Caveo, P. II. *Hist. Litter.* p. 146.

SIXTVS II.

Ex Athenienſi Philoſopho, P. R. in Perſecutione Valeriani, Martyrium paſſus, ann. 257. calculo Labbei. De *ejus Epiſtolis Decretalibus & Sententiis* ſeu *Proverbiorum libro*, quem habes T. V. *Bibl. Patr. Pariſ.* 2. f. 769. hujusque & illarum dubia fide Cocus, *Cenſ.* p. 70. Labbeus, T. II. p 359. Adde Lud. Jacob, a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 202.

SIXTVS III.

Patria Romanus, Sixtum Patrem nactus, Eccleſiæ Romanæ Presbyter, cui Pelagianismi pariter atque Neſtorianismi notam falſò quidam inuſſerunt, anno 432. Sedem Romanam conſcendit, atque illa feliciter gubernatâ, anno 440. animam exhalavit. Extant quædam ejus *Epiſtolæ*, quarum II. Lat. *una*, ad Cyrillum, *altera*, ad Joh. Antiochenum, *Concil.* T. III. p. 1175. Græc. Lat. *Epiſtolæ II.* ad Cyrillum, apud Cotelerium, *Monum. Eccleſ. Græc.* T. I. & Baluz. *in novis Collectan. Concil.* p. 657. Spuria ſunt, *Epiſtola ad Orientales Epiſcopos*, quæ *Concil.* T. III. p. 1263. habetur, & Lib. *de Divitiis, de Caſtitate, de malis Doctoribus, Operibus fidei, & futuro judicio*, Roſtochii, 1573. 8. Antwerpiæ, 1575. 16. & alibi, excuſi, quicquid etiam Garnerius, *Append. ad P. I. Operum Marii Mercatoris, Diſſertat. VI. c. 6.* objiciat. Conf. Ludov. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 202. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 70.

SIXTVS IV.

Franciſcus à Ruvere aliàs dictus, Ligur Savonenſis, nobiliſſima Ruverea gente ſatus, ann. 1414. Anno ætatis nono Franciſcanis nomen dedit, atque poſt alia munera, Liguriæ Provincialis, Ordinis ſui in Romana Curia Procurator, totius Italiæ Vicarius Generalis, Miniſter Generalis in Capitulo Peruſino, Presbyter Cardinalis, imò, poſt Pauli mortem, Pontifex Romanus, ann. 1471. conſecratus eſt. Hic autor feſti immaculatæ B. Virginis conceptionis, quippe quod an. 1476. inſtituit. Laudes quidem meretur, quod Bibliothecam Vaticanam fundavit, maximè tamen culpandus ob vitia, quibus fuit mancipatus. Geſta ejus prolixe narrat, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 101. Obiit Sixtus, an. 1484. Scripſit *Decreta* III. quæ vide *Concil.* T. XIII. p. 1442. *Epiſtolas & Decreta XVI.* apud Bzovium, ad ann. 1472. *Paſſavium*

pro

pro Expeditione in Terram S. apud Freherum, *Scriptor. German.* T. II. p. 161. *Epistolam ad Carolum Burgundum*, apud Baluzium, *Miscellan.* T. IV. p. 527. *Bullas & Constitutiones*, quas exhibent *Bullaria Romana.* Librum *de Sanguine Christi & de Potentia Dei. Commentaria contra errores cujusdam Carmelitæ Bononiensis, affirmantis, Deum sua omnipotentia damnatum hominem salvare non posse*, quæ Romæ, 1471. prodierunt. *Explicatio* in Nicolai Richardi Tractatum, *de indulgentiis, animabus in purgatorio concessis*, cum Nicolai operibus excusa est. Reliqua ejus manuscripta memorant Lucas Waddingus, *de Scriptor. Ord. min.* & Lud. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 203. Conf. de Sixto IV. Bayle, & Io. Fr. Buddeus, *in Lexicis*, ubi plures de eo agentes, adducuntur.

SMARAGDVS.

Abbas S. Michaëlis ad Mosam in Lotharingia, Episcopatus Virdunensis, Hermengaudi, Abbatis, post ann. 805. successor, Collationi inter Leonem Papam, & Legatos Caroli M. de Processione SS. Romæ habitæ, ann. 810. interfuit. Scripsit Smaragdus noster varia, ut sunt, *Postillas in Evangelia & Epistolas in divinis officiis per totum annum*, Argentorati, 1536. fol. excusas, imò & germanico idiomate per Casparum Hedionem vestitas & editas, juxta Simlerum, f. 217. b. *Diadema Monachorum*, Antwerp. 1540. *Commentarium in Regulam S. Benedicti*, Colon. 1575. *Viam Regiam*, apud Dacherium, *Spicileg.* T. V. p. 960. *Epistolam Caroli M. ad Leonem III. P. R.* à Smaragdo conscriptam, *Concil.* T. VIII. p. 1199. *Acta Collationis Romanæ de Processione SS.* ibidem, pag. 1194. & alia, de quibus Guilielmus Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 358. qui scripta modo enumerata, Smaragdo nostro vendicat. Adde Sanmarthanos, *Gallia Christ.* T. IV. Labbeum, T. II. p. 361. Casimirum Oudinum, *Supplem. de Scriptor.* p. 237. Aub. Miræum, *in Bibl. Eccles.* Mabillonium *Analect.* T. II. p. 418. seqv. Eliam Du Pinium, *Bibl Nouv.* T. VII. p. 170.

ARDO SMARAGDVS.

Monachus, Ord. Bened. Anianensis, Benedicto Anianensi, Præceptore usus, ab ann. 836. ad 843. floruit. Ejus est *Vita S. Benedicti Anianensis*, quam Indensium Monachorum rogatu conscripsit, quamque exhibent Hugo Menardus, Lib. II. *Observationum ad Martyrol.*

Benedict. Bollandistæ, ad *d. XII. Febr.* & Jo. Mabillon, *Sec. Bened.* IV. P.I. p.191. Male hunc Smaragdum cum præcedenti in unum confuderunt Trithemius, Sixtus Senensis, Possevinus, Bellarminus & alii, quos ideo notavit Labbeus, T. II. p. 361. Conf. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 236. Guil. Cave, *loco citato*, P. I. p. 370.

SOCCVS.

De cujus prænomine, patria, vel ætate nihil reperimus, aut quod tradamus, habemus, quam quod in Bibl. Mariana Hallensi conspicitur perantiquus, & Basileæ, uti videtur, non enim indicatur, impressus Codex, hoc insignitus titulo: *Fr. Socci, Ord. Cistertiensis, Sermones de Sanctis notabiles & formales.* E regione hæc adscripta sunt: *Liber Monasterii Cellæ Mariæ*, 1496. Miræus *in Chronico Cistertiensi* ejus non meminit. Faciunt quidem alicujus Succi mentionem, Ehingerus, *Catalogo Bibl. Aug.* f. 94. & Reiserus, *Catal. manuscript.* p. 100. qui *Sermones de Tempore*, per circulum anni, ediderit, ann. 1476. an autem sit ille, de quo diximus, alii arbitrentur.

SOCRATES.

Patria Constantinopolitanus, Ammonii & Helladii, Alexandrinorum, Constantinopoli degentium, in Grammaticis discipulus, in Rhetoricis verò Troili, Sophistæ, auditor. *Scholasticus* vulgò adpellari solet, quod causas in foro egit. Novatianum quidam ex eo faciunt, sed frustra, cum Socrates ipse Novatianos hæreticis accensuerit, prout doctissimus Valesius ad oculum monstravit. Claruit Socrates circa annum 440. atque *Historiam Ecclesiasticam* VII. Libris exaravit, quæ etsi, Photio judice, *Cod.* 28. stylo non admodum splendido gaudeat, cum judicio tamen & diligentia conscripta videtur. Prodiit illa, græcè, cum aliis, Parisiis, 1544. f. græc. lat. Genevæ, 1612. & cum notis Henrici Valesii, Parisis, 1668. Moguntiæ, 1677. fol. De eo Sigebertus, c. 10. Vossius, Lib. II. *Hist. Græc.* c. 20. Labbeus, T. II. p. 363. Guil. Cave, P. I. p. 240. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 78.

SOPHRONIVS.

Vir eruditus, Hieronymi familiaris, circa annum 390. vixit, atque *de laudibus Bethlehem, de subversione Serapis*, Librum, *de Virginitate*

ad

ad Eustochium, & Hilarionis Monachi Vitam, juxta Hieronymum, *de Scriptoribus*, c. 134. scripsit. Latinam quoque *Psalterii & Prophetarum* versionem, ab Hieronymo factam, in græcum eleganter transtulit. Ejus item Versio græca *Catalogi Hieronymiani Scriptorum Ecclesiasticorum*, inter Hieronymi Scripta reperiri solet. Tribuit quidem illam Erasmo, Isaacus Vossius, sed perperam, ipsa enim Sophronii verba suo jam tempore allegat Suidas, *in Lexico*. Pluribus Vossium refutat Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 165. Nostri insuper Sophronii esse Erasmo videtur *Sermo de assumtione B. Virginis ad Paulam & Eustochium*, quæ inter *Hieronymi Opera*, T. IV. reperitur. De eo Sixtus Senensis, Lib. IV. *Bibl.* f. 325. Labbeus, *de Scriptoribus*, p. 367. 369. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 145.

SOPHRONIVS.

Damascenus, è Sophista & Monacho, Patriarcha Constantinopolitanus, ann. 629. factus, indefessus Orthodoxæ veritatis vindex dictus, anno 636. obiit. Ejus est *Epistola Encyclica ad Honorium, & Sergium &c.* satis prolixa, quæ gr. lat. *Concil.* T. VI. p. 851. habetur. *Orationes II. in Crucem*, apud Gretserum, *de Cruce*, T. II. p. 1173. 1401. *In Christi Natalitia Homilia. SS. Archangelorum, Angelorum, cæterarumq; Virtutum Encomium*, Lat. *Bibl. Patr.* T. XII. *Vita S. Mariæ Ægyptiacæ*, a Paulo Diacono latine facta, apud Surium, *d. 11. Aprilis. Encomium SS. Cyri & Joh.* cujus fragmenta duo exhibet *Concil.* T. VII. p. 249. & *de Joh.* fragmentum, Cotelerius, græc. & lat. *not. in Lib. III. Constit. Apostol.* p. 200. *De laboribus, certaminibus & peregrinationibus S. Petri* fragmentum, T. VII. *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. f. 163. & alibi. Alia ex ejus Scriptis fragmenta produxit Lambecius, *Comment.* Lib. III. p. 52. & alibi, de quibus dixit Guil. Cave, P. II. *Hist. Litter.* p. 129. Confer P. I. p. 619. Vossium, de *Hist. Græc.* L. II. c. 23. Labbeum, T. II. p. 365. Elam Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 16.

SORIANVS, vide ANTONIVS SORIANVS.

HERMIAS SOZOMENVS.

Ortu Palæstinus, *Salaminius*, a Salamine, consanguineo, neutiquam vero a Salamine, Cypri urbe, dictus, *Scholasticus* eò appellatus,

quod in forensibus actionibus diu fuerit versatus. *Historiam Ecclesiasticam* ab ascensione Christi, ad annum 323. condidit, quæ dudum interiit. Illam verò, quam ab anno 324. ad annum 440. contexuit, vulgavit cum aliis Robertus Stephanus, græcè, Parisiis, 1544. fol. gr. lat. Genevæ, 1612. Prodiit. Valesius, cum versione & notis Parisis, 1668. recusam Moguntiæ, 1677. fol. Socrate quidem in stylo præstantior est Sozomenus, verum levia ac puerilia quædam, à Socratis gravitate aliena, continet. Alius a nostro est Sozomenus, Presbyter Pistorienſis, anno 1292. clarus, cujus *Chronicon* manuscriptum in Bibl. Abbatiæ Fesulanæ Canonicorum Regularium, adservatur, de quo pluribus dixit Jo. Mabillon, *Itinerar. Ital.* p. 174. De Hermia Sozomeno, conferas Vossium, Lib. II. *Hist. Græc.* c. 20. Labbeum, *de Scriptor.* T. II. p. 571. Guil. Caveum, *Hist. Litter.* P. I. p. 241. Eliam Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 80.

JACOBVS SPRENGERVS.

Ortu Colonienſis, ex Ord. Dom. Monacho, Prior Provincialis, & Hæreticæ pravitatis Inquisitor generalis, factus, ann. 1495. floruit. Scripsit Sprengerus *Malleum Maleficarum*, Venetiis, 1576. 8. Francof. 1580. 8. Lugd. 1620. excusum. *De Institutione, Approbatione, Minitulis, & indulgentiis SS. Rosarii B. Virginis*, quod opus Henr. Whartono, *Append. Cav.* p. 126. adhuc ineditum videtur. Plura dabit Ambrosius de Altamura, *Bibl. Præd.* p. 215.

JOH. STELLA.

Venetus, D. Mariæ formosæ Sacerdos, composuit anno 1505. *Commentarium de vita ac moribus Pontificum Romanorum*, in quo Pontificibus turpissime adulatur. Prodiit ille Venetiis, 1507. Basil. 1570. & 1650. 24. Ejus quoque est Liber *Augustalis de Imperatoribus Romanis*, Venetiis, 1503. excusus. Agit de Stella Henr. Wharton, *App. Cav.* pag. 134.

STEPHANVS.

Augustodunensis Episcopus, anno 1113. consecratus, Concilio Tornutiensi, anno 1117. interfuit, & Vnctioni Philippi, filii Ludovici Crassi, in Regem Franciæ, anno 1129. Renuntiavit tandem Stephanus, Episcopatui, atque ad Cluniacense Cœnobium tran-

transiit. Librum *ejus de Sacramento Altaris & iis, quæ ad illud variosque Ecclesiæ Ministros pertinent*, extulit Joh. de Montolon, Canonicus, & Cantor Augustodunensis, ann. 1517. exinde in *Bibl. Patr.* translatum. De eo Sanmarthani, T. II. *Gall. Christ.* Casimir. Oudin, l. c. p. 390. seq. & quem allegat, Petrus Venerabilis, *Epist. ad Humbertum*. Labbeus, T. II. p. 372. Cave, P. I. p. 448.

STEPHANVS BYRCHINGTONVS.

Anglus, Cantianus, Vico de Byrchinton, in Insula Taneto, satus, Cantuar ensis Monachus, Ord. Bened. anno 1380. scripsit *Archi-Episcoporum Cantuariensium seriem & Vitas*, quod opusculum Henr. Wharton, T. I. p. 1. *Angl. S.* è Codice Lambethano, edidit. Vide tamen quid circa hunc libellum & alios, Stephano nostro adscriptos, moneat Cave, P. II. p. 287.

STEPHANVS BRVLIFER.

Gallus, patria Armoricus, domo Maclovienſis, Ord. Minor. Parisiensis Doctor, Guilielmi Vorilonis discipulus, anno 1480. clarus, cujus sunt *Reportata in IV. Sentent. Lib. Bonaventuræ*, impressa, Basil. 1501. Venet. 1504. Paris. 1507. *Sermones de Paupertate Christi & Apostolorum*, Paris. 1500. *Tract. defensorium contra Episcopum quendam: de Timore servili*, & alia, de quibus Willotus, *Athen. Franc.* p. 330. & Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 108. qui posterior, Opera Bruliferi omnia, Parisiis, 1499. ibidemque 1500. 8. prodiisse, testatur.

STEPHANVS.

Germanus, Monachus forsan Colonienſis, anno 990. clarus, scripsit, judice Caveo, P. II. p. 190. stylo tumido & inflato, Librum *de S. Maurini inventione & translatione in Colonienſe S. Pantaleonis Cœnobium*, quem exhibet Mabillon, *Sec. Ben. V.* p. 333.

STEPHANVS HARDINGVS vide HARDINGVS.

STEPHANVS.

Hispanus, prout conjicit Cave, P. II. p. 226. Cœnobii Cellæ novæ in Gallicia Monachus, circa annum 1150. scripsit *Vitam S. Rudesindi, Dimi-*

Dunicensis Episcopi, Lib. II. quam vide apud Bolland. *d. 1. Mart.* & Mabillon, *Sec. Ben. V.* p. 522. Confer omnino, quæ Cave, de Ordoni, ejusdem argumenti libro, monet, atque arbitrare.

STEPHANVS LANGTON
vide LANGTON.

STEPHANVS.

Germanus, Salmensis Comitis Filius, Clericus Metensis, Abbas Lobiensis, & anno 903. Episcopus Leodicensis, anno 920. decessit. *Extat Vita S. Lamberti* ab ipso scripta, apud Joh. Chapeavillum, T. I. *rerum Leodicensium*, Leodii, 1612. expressarum, & stylo nonnihil mutato, apud Surium, *d. 17. Septembr.* Sigebertus, *de Script.* c. 125. citat ejus *Canticum de S. Trinitate*, atque aliud, *de Inventione Stephani Protomartyris*, quæ aut interierunt, aut à Romana Ecclesia, à qua respuuntur, suppressa sunt. *Librum Capitularem* ad Robertum, Metensem Episcopum, cujus ne vel minima vestigia supersunt, Conf. Cave, P. I. p. 404. Oudin, p. 300.

STEPHANVS.

S. Jacobi Leodiensis Abbas, circa annum mo. florens, composuit *Vitam S. Modoaldi, Treverensis Archi-Episcopi*, Lib. III. quos exhibet Surius, ad *d. 12. Maji*, & Bollandus, ad eundem diem, T. III. p. 51. Conf. quæ consignavit Oudinus, p. 365.

STEPHANVS.

Romanus Episcopus, anno 253. inclaruit Epistola, *de hæreticis non rebaptizandis*, cujus fragmentum exhibet Cyprianus, *Epist. 74. ad Pompejum*, p. 129. de qua idem Cyprianus judicat, quod multa, vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel contraria, imperite atque improvidè ab autore posita, contineat. Videas quoque Caveum, P. II. p. 30. qui Vincent. Lirinens. *Commonit.* p. 323. & Baluz. p. 436. de eadem agentes, commendat. De ipsa autem Stephani Sententia, Cl. Pagius, *Crit. Hist. Chron. ad ann.* 256. num. 4. seqq.

STEPHA-

STEPHANVS II. P. R.

Patria Romanus, Constantini filius, ex Ecclesiæ Romanæ Diacono, ann. 752. Papa consecratus, maximis cum Aistulpho, Longobardorum Rege, lites habuit, quas Pipinus, Galliarum Rex, it. vice composuit. Obiit Stephanus, ann. 757. Ejus *Epistolæ VI.* aliaque *Præcepta* atque *Responsa*, vide *Concil.* T. VI. p. 1630. De eo Cave, P. I. p. 344. Lud. Jacob. *Bibl. Pontif.* p. 208.

STEPHANVS III. P. R.

Gente Siculus, ex S. Cæciliæ Presbytero, anno 766. electo, ann. 768. Pontifex Romanus factus, ann. 769. Concilium convocavit atque Constantinum, Antipapam, è sede fugavit. Extant *Epist. III.* & *Decreta* quædam *Concil.* T. VI. p. 1714. Conf. Cave, P. I. p. 345. Lud. Jacob. p. 208.

STEPHANVS V. P. R.

Romanus, de Regione Viâ latâ, Presbyter primùm SS. quatuor Coronatorum, post verò Pontifex, anno 885. constitutus, anno 891. obiit. Extant *Epist. III.* & alterius fragmentum, *Concil.* T. IX. p. 366. De eo disserunt Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 396.

STEPHANVS VI. P. R.

Itidem Romanus, Sede Pontificali armata adversus Bonifacium, Formosi Papæ Successorem, manu, ann 896. obtentâ, Synodum Romæ celebravit, Formosi Acta recidit, atque in corpus ejus, è tumulo extractum, immaniter desæviit. Anno 897. ipse carceri inclusus, atque suffocatus est. Scripsit *Epist. II.* quas exhibet *Concil.* T. IX. p. 476. Evolv. Cave. P. I. p. 399.

STEPHANVS IX. P. R.

Junianus Fridericus Gozzelo anteà vocatus, gente Lotharingius, Godefridi, Lotharingiæ Ducis, frater, Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, Bibliothecarius, Cancellarius, & Cardinalis, titulo S. Chrysogoni. Cum autem Godefridi, fratris sui, partes strenue propugnaret, ipsum odio habuit Henricus Imperator, adeò, ut in Monasterium Cassinense se conferre fuerit coactus. Abbas tamen ejusdem Cœnobii, & Cardinalis Presbyter à Victore, P. R. denuò renuntiatus,

Sedem Papalem invitus tandem conſcendit, anno 1057. Obiit, Florentiæ, anno 1058. Extant ejus *Epiſtolæ II. Concil.* T. IX. p. 1088. De reliquis ejus Scriptis diſſeruerunt, Petrus Diaconus, *de viris Illuſtr. Caſin.* c. 17. Guil. Cave. P. I. *Hiſt. Litter.* p. 426. Conf. Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 211.

STEPHANVS.

Pariſienſis Epiſcopus, qui an. 1132. claruit, & Ludovici Craſſi, Francorum Regis moribundi Confeſſionem excepit, exaravit aliquot *Epiſtolas*, quæ habentur apud Dacherium, *Spicileg.* T. III.

STEPHANVS.

Torcellanus in ditione Veneta Epiſcopus, & Archi-Epiſcopus Patracenſis, anno 1515. quo ipſo in Concilio Lateranenſi coram Pontifice & Epiſcopis, de neceſſaria Eccleſiæ emendatione, ſeptuagenarius dixit, atque Papæ immodice adulatus eſt. Extat ille *Sermo, Concil.* T. XIV. p. 261. Conf. Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 138.

STEPHANVS TORNACENSIS.

Gallus, Aurelianenſis, anno 1135. natus, vir Juris divini & humani peritus, ex Aurelienſi Canonico Regulari, ejusdem Cœnobii Abbas, & poſt alia, quæ obiit munera, Epiſcopus Tornacenſis, anno 1192. conſtitutus, ann. 1200. placidè obdormivit. Ejus 238. *Epiſtolas* primus extulit, J. B. Maſſonus, cum Epiſtolis Gerberti & Joh. Sarisburienſis, Pariſ. 1611. 4. Has recudi curavit, 40. aliis additis, hactenus ineditis, præmiſſâ autoris Vitâ, Claudius du Molinet, Pariſis, 1682. 8. *Sermones* XXXI. & *Commentar. in Decretum Gratiani*, manuſcripta memorat Molinetus, & ex eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 480.

STYLIANVS.

Mapa cognominatus, Neocæſareenſis Metropolita, ann. 870. clarus, multa ſub Photio paſſus, quocum pugnare neceſſe habuit. Scripſit *Epiſt. II.* ad Stephanum P. R. gr. lat. *Concil.* T. VIII. p. 1397. 1410. quas antea cum Actis Concilii VIII. gr. lat. ediderat Raderus, Ingolſtadii, 1604. 4. *Styliani* cujusdam Opus *de Proprietatibus S. Trinitatis*, græcè manuſcriptum in Regia Pariſienſi Bibliotheca aſſervatum, ex Labbei, *Nov. Bibl. MSS.* p. 90. memorat Cave, P. I. p. 392. cujusnam verò illud ſit, in medio relinquit.

SVGE-

SVGERIVS.

Gallus, S. Dionysii Monachus Parisiensis, post Abbas, circa annum 1123. Cum adhuc Diaconus esset, Gelasium II. P. R. in Gallias fugientem, cum aliis, Ludovici VI. jussu, excepit. E vivis decessit, anno 1153. Composuit *Vitam Ludovici VI. & VII. Franc.* Regum, *Epistolas ad diversos. Lib. de Rebus in administratione S. Dionysii Cœnobii, a se gestis:* & alterum, *de Consecratione Ecclesiæ*, qui mutilus ex Mabillonio suppleri potest, *Analect.* T. I. p. 328. *Constitutiones & Testamentum*, quæ omnia Franc. du Chesnius collegit, *Script. Hist. Franc.* T. IV. à p. 281. ad 546. De eo Cave, P. II. p. 223. Sanmarthani, *Gall. Christ.* T. IV. p. 333. Natalis Alex. *Hist. Eccles. Sec. XII.* T. I. c. 6. *art.* 12. p. 530. seqq. Casim. Oudinus, *Suppl.* p. 418. Elias Du Pin, T. IX. p. 195.

SVIDAS.

Arte Grammaticus, circa ann. 980. claruit, non verò Sec. V. ut in Aub. Miræo notat Cave, P. I. p. 411. Ad idem tempus Svidam reponit Anton. Pagus, *Crit. Histor. Chronolog. in Annales Baronii*, T. IV. uti ex vocis Ἀδαμας evolutione colligit. Scripsit *Lexicon* non minus ad Theologiam atque Historiam Ecclesiasticam faciens, quod excusum græcè Mediolani, 1499. fol. Basil. 1544. f. & lat. ex translatione Henrici Wolffii, ibidem, 1581. Gr. lat. cum Paraphrasi ac notis Æmilii Porti Cretensis, Genevæ, 1619. f. T. II. Prodiit nitidissima Svidæ editio gr. lat. Cantabrig. 1705. f. cum Ludolphi Kusteri animadversionibus doctissimis, & præfatione lectu non indigna.

SULPITIUS PIUS.

Gallus Bituricensis, ex Abbate Castrensi, Bituricensis Præfectus, ann. 624. constitutus, scripsit *Epist. III.* quæ extant apud Canisium, T. V. *antiq. Lect.* inter Epistolas ad Desiderium Cadurcensem. Conf. Cave, P. I. p. 317.

SULPITIUS vide SEVERUS.

SYLVERIUS.

Hormisdæ Papæ filius, ex Rom. Ecclesiæ Subdiacono, ann. 536. Pontifex creatus, post verò per Belisarium Sede sua expulsus atque

Pataram relegatus est. Et quanquam à Justiniano, Imperatore, in Italiam revocatus, Vigilii tamen insidiis in Palmariam missus, ubi fame atque violentâ manu extinctus est, anno 540. Habentur sub Sylverii nomine *Epist. II.* una *ad Vigilium*, altera *ad Amatorem*, quas tamen, judice Caveo, P. I. p. 288. ex styli barbarie spurias dijudicarunt Labbeus, Papebrochius atque Binius. Conf. Lud. Jacob, *loco citato*, pag. 212.

SYLVESTER GYRALDVS vide GYRALDVS.

SYLVESTER MOZOLINVS.

Prierias dictus, a vico Patrio, Prieria, Pedemontanus natione, non verò Bononiensis, uti quidam scripsere, Ord. Præd. S. Palarii Apost. Magister ac tandem totius ordinis sui Prior Generalis. Primus fuit eorum, qui defensionem Tezelii, nundinatoris, & præconis indulgentiarum, suscepere atque imbellem contra Theandrum Lutherum strinxerunt calamum. Floruit circa Reformationis Evangelicæ auspicia, obiitque, prout Labbeus annotat, p. 373. Rhedonibus, in urbe minoris Britanniæ primaria, d. 20. Octobr. anno 1520. Liber, quem *de erroribus & argumentis Lutheri detectis ac repulsis, ad Leonem X. P. R.* scripsit, Romæ, anno illi emortuali, editus fertur. *Summa Casuum Conscientiæ*, *Sylvestrina* alias & *Summa Summarum* dicta, Antwerpiæ, 1580. & 1583. impressa est. *Expositio super Evang. totius anni, de Tempore & SS. Aurea Rosa* nuncupata, eò, quod flores & Rosas omnium expositionum Doctorum antiquorum continet, Hagenoæ, 1508. & 1510. Lugd. 1516. 8. Venet. 1569. & 1600.

SYLVESTER II. P. R.

Gerbertus antea appellatus, Arvernus Aurelianensis, Ord. Bened. Philosophiæ atque Astrologiæ callentissimus, Roberti, Gallarum Regis, ejusque filii, Hugonis, Præceptor, post Remorum Archi Episcopus, & demum anno 996. Pontifex Rom. ab Ottone III. Imperatore, constitutus, anno 1003. obiit. Tragicum ejus exitum, animamque a Diabolo erreptam, cujus arte ad Pontificatum perveniisse fertur, describit Cardinalis Benno, *in Vita Hildebrandi*. Scripta Sylvestri exhibet Cave, P. I. p. 415. utpote, *Epist.* 160. a Papirio Massono editas,

editas, Parisiis, 1611. 4. Duchesnio, *Script. Franc.* T. II. p. 787. & *Bibl. Patr.* T. XVII. p. 669. *Epist. III. Concil.* T. IX. p. 777. Lib. *de Sphæra*. *Sermon. de Informatione Episcoporum*, apud Mabillon, *Analect.* T. II. p. 112. *Vitam S. Adelberti, Archi-Episcopi Pragensis*, Romæ, ab Abrahamo Bzovio, teste Ludov. Jacob. a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 214. *Epigramma in Imaginem Sever. Boetii*, apud Baronium, *app.* T. VII. p. 4. Plura de eo exhibet Ludovicus Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 213. seqq. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 22.

SYMMACHVS.

Natione Sardus, inter tumultus & contentiones ad Pontificatum Romanum electus est, anno 498. De eo vide Trithemium, Sabell. Centurias Magdeburg. T. VI. c. 10. Caveum, P. I. p. 268. Scripsit *Apologeticum* ad Imperatorem, Anastasium, qui T. III. *Bibl. Patr. Paris.* edit. 2. f. 579. *Epist. XII.* quæ *Concil.* T. IV. p. 1291. & *in Bibl. Patr.* habentur. Conf. Ludov. Jacob, *loco citato*, p. 1216. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 1. seqq.

SYNESIVS.

Patria Cyrenæus, Alexandriæ primò Philosophiæ Platonicæ operam dedit, Magistrâ usus Hypatiâ, Theonis, Mathematici, filiâ, cultu gentilis, post ad Christianismum conversus, licet invitus atque uxoratus & quatuor liberorum pater, ann. 410. Episcopus Patriæ ordinatus, teste Dionysio Petavio, cui debemus absolutissimam omnium ejus operum editionem, Parisiis, 1612. & denuo. 1633. f. lat. & gr. vulgatam. & Guil. Caveo, P. I. p. 213. seqq. qui alias Synesii editiones memorat, Lat. Basil. 1560. Gr. Paris. 1553. Sunt autem *Oratio de Regno ad Arcadium Imperatorem: Dio, vel de vitæ illius instituto: Calvitii Encomium*, quod Joh. Phrea, Britanno, interprete, cum Scholiis Rhenani, extat impressus, cum *Ludo Senecæ de morte Claudii*, Basil. 1515. 4. *De insomniis Liber*, de quo vide Caveum, P. II. p. 82. *Epist. CLV.* seorsim editæ, gr. lat. Venetiis, 1499. Basil. 1553. 8. & cum notis. Paris. 1605. 8. *Homilia in pervigilio natalis Domini. Catastasis in maximam Barbarorum excursionem: Catastasis in Laudem Arsacii: Sermo de dono Astrolabii ad Pæonium, cum X. Hymnis* gr. & lat. per Guil. Canterum, Basil. 1567. quem græcè solum, Venetiis, Aldus impressit. *Homil. in Ps. 74. de Providentia*

Lib. II. Lat. interprete Esromo Rudingero. Basil. 1557. 8 cum *Synesii Epistola ad Orum* ante non edita. Conf. Labbeus, T. II. p. 375. Stylum sublimen quidem & grandem, sed qui ad Poeticam simul dictionem aliquantum inclinet, atque Epistolas Synesii venustate atque dulcedine fluentes, cum Sententiarum robore ac densitate judicat Photius. Agit de Synesio post citatos autores, Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 262.

SYRICIVS.

Episcopus Barcelonensis, anno 657. cujus *Epist. II.* primus extulit Dacherius, *Spicil.* T. I. De eo Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. pag. 326.

SYRVS.

Monachus Cluniacensis, S. Majoli, Cluniacensis Abbatis, discipulus, anno 1010. vixit, atque *scripsit Vitam S. Majoli Libris III.* ad Odilonem, Abbatem, Majoli Successorem, quam interpolatam atque variis carminibus mixtam exhibent Bolland. *d. XI. Maji*, purgatam ab omni extraneo, Mabillon, *Sec. Bened. V.* p. 786. De eo Cave, P. II. p. 197. Oudin, *Suppl.* p. 321. seq. Elias Du Pin, T. VIII. p. 107.

SYLVESTER SYROPVLVS.

Græcus, Diaconus Constantinopol. Magnus Ecclesiarcha & Dicæophilax & unus è quinque Crucigeris Patriarchæ Constantinop. anno 1438. floruit, quo Patriarcham sequutus, Conciliis, Ferrariensi & Florentino, interfuit, Græcorum dogmata acerrimè propugnavit, multaque sibi exinde odia attraxit. Scripsit *Historiam unionis non veræ inter græcos & latinos* seu *Concilii Florentini*, quam ex Codice manuscripto Bibl. Regiæ Parisiensis, cum notis vulgavit Robertus Creyghtonus, gr. lat. Hagæ Comitis, 1660. fol. Conf. Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 79.

T.

TAJO.

SEu *Tago*, cognomento *Samuel*, Hiſpanus, Cæſar. auguſtanæ urbis Epiſcopus, anno 646. clarus, interfuit Concilio VIII. & IX. Toletanis, Romam, Chindaſuindi Regis juſſu, ablegatus, S. Gregorii Moralium Libros, quos in Hiſpania deſiderabant, obtinuit. Ex his collegit *Libr. V. Sententiarum*, qui hodie inter Codices manuſcriptos Thuanæos extant. *Præfationem* extulit Mabillon, *Analect.* T. II. p. 68. *Epiſtolam Tajonis ad Eugenium Toletanum* exhibet Baluz. *Miſcell.* T. IV. p. 397. De eo Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 324. Joh. Mabillon, *loco citato*, Petrus de Guſſanvilla, *in Annot. ad IV. Libros Dialog. Gregorii. Collectores Conciliorum* ad Concilia VIII. & IX. Toletana. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 35.

TANGMARVS.

Saxo, Decanus Hildesheimenſis, anno 1024. vixit, atque *Vitam S. Bernhardi, ejusdem urbis Epiſcopi*, conſcripſit, quam edidit Chriſtoph. Browerus, *in Syderibus Germaniæ*, ann. 1616. & correctiorem Surius, ad *d. XX. Novembr.* Conf. Oudinus, *Suppl. de Script. Eccleſ.* p. 323. Du Pin, T. VIII. p. 107.

TARASIVS.

Conſtantinopolit. genere illuſtris, ex Imperatoris Secretario, Patriarcha Conſtantinop. factus, homo doloſus, magnusque Iconoduliæ Patronus, obiit anno 806. Scripſit *Epiſtolam Encyclicam* ad Patriarchas Orientales, quæ gr. lat. *Concil.* T. VII. p. 161. habetur. *Epiſt. II.* ad Hadrianum, Papam, gr. lat. ibid. p. 624. *Epiſt.* ad Jo. Anachoretam, græc. lat. ibid. p. 637. *Apologeticum ad populum habitum* græc. lat. ibid. p. 33. *Sermo in B. Virginem* manuſcriptus extat in Bibl. Regia, teſtibus Labbeo, *Nov. Bibl. manuſcripta*, pag. 80. & Cl. Caveo, P. I. pag. 351.

TATIA-

TATIANVS.

Syrus, gentilis Sophista, post Christianus, & S. Justini, Martyris, auditor, in Ecclesia florens, quam diu ab ejus latere hæsit, postea verò eloquentiæ tumore inflatus, novam condidit hæresin, quæ ἐγκρατιτῶν dicitur, teste Hieronymo, & Eusebio, *Hist. Eccles.* L. IV. c. 27. Vixit Tatianus, anno 173. Damnavit autem Matrimonium: In S. cœna aquam adhibuit, & alios sparsit errores, quos Irenæus, Eusebius, Epiphanius, aliique jam dudum adnotarunt. Scripsit quam plurima, inter quæ eminet *Liber adversus Gentiles*, qui gr. lat. inter *Orthodoxogr.* & *Bibl. Patrum.* & alibi, locis a Caveo, P. I. p. 34. adductis, habetur. *Harmonia Evangeliorum* lat. inter *Orthodoxogr.* T. I. & *Bibl. Patr.* T. II. extat, male tamen Ammonio Alexandrino adscripta. Hanc in linguam Theutonicam translatam antiquissimam, à Bonav. Vulcanio servatam, memorat Joh. If. Pontanus *Orig. Francic.* pag. 589. Prodiit Tatiani nostri *Harmonia Evangelica*, cum versione Theotisca, ex Codice manuscripto, cum Joh. Philippi Palthenii animadversionibus doctissimis. Gryphiswald. 1706. 4. Lib. *de Perfectione secundum Servatorem*, cujus fragmentum citat & refutat Clemens Alex. *Stromat.* l. 3. p. 460. *Orat. ad græcos* edidit Wilh. Worth, gr. lat. Oxon. 1700. De frivolo & temerario ejus ausu, quo Pauli Epistolas, elegantioribus exprimere verbis fuerit conatus, loquitur Eusebius, l. 4. c. 29. Errores Tatiani observat Cave, P. II. p. 20. & Arnoldus, *in Hæreseologia*, quos consulas, de Scriptis verò doctè disseruit, Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 63. seqq.

JOH. TAVLERVS.

Natione Germanus, Monachus Dominicanus, Colonienſis olim & Argentoratensis Concionator & gravissimus plurimorum abusuum Papisticorum censor, sicut audit Dorscheo, *Pentatec. ad. Differt.* p. 368. ubi refert de effigie Tauleri, agnum ulnis gestantis, qua conspicitur lapis ejus sepulchralis in Collegio Academico Argentoratensi. Claruit devotus Vir, anno 1350. atque magis magisque post fata, quibus anno 1379. est functus, etiam inclaruit, tot inclytis Scriptis, quæ recensent Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 267. Labbeus, T. II. p. 608. Eccius ceu suspectum circa fidem eum arrosit, at, fecit hoc ipsum odio

odio Lutheri, Taulerum magnifice laudantis, ut ait Blosius, Tauleri Hyperaspistes. Vide Jacobus Thomasius, *Schediasm. Histor.* pag. 72. Interim caute quædam ejus legenda non negamus, secundum ea, quæ habet Nicolaus Hunnius, *Theol. Paracelf. considerat.* p. 16. Præcipua Tauleri Opera ex Germanico in Latinum convertit Laurentius Surius, Colon. 1548. 8. 1572. 1615. 4. excusa. Seorsim prodierunt *Conciones de Tempore & de Sanctis*, Lugduni, 1557. *De veris Virtutibus & Institutionibus divinis*, Coloniæ, 1587. *Conciones*, Germ. Basil. 1521. f. Nonnulla alia ejusdem, ann. 1644. Francofurti, germanice recusa, cum præfatione Christiani Hoburgi. Fallunt autem & falluntur, qui famosum, ipsique Luthero celebratum Libellum, *Germanicæ Theologiæ* a Taulero scriptum putant, quem tamen illius libri autor, quisquis tandem sit, c. 12. citat, unde aut Taulero æqualis, aut posterior esse convincitur. Vide pluribus modo laudatum Thomasium, *loco citato*, pag 73. Recentissima prostat Tauleri Operum editio, Francof. & Lipsiæ, 1703. 4. cura Philippi Jacobi Speneri in publicum vulgata. De Taulero conferas, post Sixtum Senensem, Bellarminum, Labbeum, Freherum, *Theatro*, p. 29. Georg. Frider. Heupelii *memoriam Joh. Tauleri instauratam.* Arnoldum, *Hist. Theol. Myst.* Baylium & Buddeum, in *Lexicis*, juxta cum aliis.

TERTVLLIANVS.

Qu. Septimius Florens Tertullianus, Provinciæ Africæ, civitatis Carthaginensis, patre Centurione Proconsularis officio, natus, vir legum, & institutionum humanarum peritissimus, atque inter latinos, qui extant, Patres, vetustissimus, vixit ad annum circiter 220. Gentilis adhuc nuptias contraxisse videtur, quibus ad Presbyteriatum evectus, ex mente quorundam, renuntiaverit. De Lapsu ejus ad Montanistas, docte disserit Guil. Cave, *Histor. Litter.* P. I. pag. 41. Laudat Tertullianum maximopere Hieronymus, *de Scriptor.* cap. 53. *virum acris & vehementis ingenii* eum appellans. Plura Tertulliani Encomia congessit Thomas Pope-Blount, *Censura Celebriorum Autorum.* Stylum ejus minus comptum & multum obscurum vocat quidem Lactantius, *de Instit.* Lib. V. c. 1. cui tamen Guil. Cave, modeste contradixit. Opera Tertulliani variis in locis excusa sunt. Prodierunt

enim Basileæ, 1521. 1525. 1528. 1539. 1550. 1562. Antwerpiæ, 1579. 1584. Parisiis, 1566. T. II. 8. 1580. 1583. 1608. 1616. Heidelbergæ, 1596. 1601. Coloniæ, 1617. Genevæ, 1597. Franekeræ, 1597. Auctiora Paris. 1624. 1630. 1634. 1641. 1644. 1646. 1650. 1658. 1663. Argentorat. 1657. Scripsit autem ante lapsum Tertullianus, *de Baptismo*: *de Pœnitentia*, *& de Oratione*. Post lapsum verò *Apologeticum adversus gentes*: *ad Nationes Lib. II.* *de testimonio Animæ Librum*: *de Pudicitia*; *de fuga in Persecutione*; *de Jejuniis*: *de Monogamia*: *de Spectaculis*: *de Idololatria*: *de cultu Fœminarum*, *Lib. II.* *ad Vxorem*: *de Virginibus velandis*: *de exhortatione Castitatis*: *de Corona Militis*: *de Pallio*: *Contra Marcionis Hæresin Lib. V.* *de Præscriptione Hæreticorum*: *de Anima*: *de Carne Christi*: *de Resurrectione carnis*; *adversus Judæos*: *adversus Praxeam*: *adversus Hermogenem*, *ad Scapulam*, *Africæ Pro-consulem*, *in Christianos sævientem*, *Apologiam*: *Ad Martyres*: *de Patientia &c.* Opera ejus deperdita, atque illa, quæ ipsi falso adscribuntur, enumerat Cave, *loco citato*, & Cl. Alix, *de Vita & Scriptis Tertulliani*. *Salebras Tertullianeas*, sive difficiliora ejus loca, peculiari dissertatione, complanare ausus est idem, qui & Origenis dogmata cum Philosophia Platonica comparavit, Paganinus Gaudentius, Theol. & JCtus Pisanus, Florentiæ, 1639. 4. Relationem de ejus apud Cyprianum obtento æstimio, ut scilicet hic nullam diem sine ejus lectione præterire fecerit, & Notario creberrime illud tritum: *Da Magistrum*, inculcaverit, dubiam facit Labbeus, T. II. p. 381. Sunt, qui Tertullianum nostrum, cum Tertyliano, JCto, & Tertulliano Martyre confundunt, recte monente Bebelio, *Antiq. Trifec.* f. 459. Floruit enim Tertylianus aliquamdiu post Tertullianum, Alexandro Severo imperante, Tertullianus autem Martyr vel ipso nomine differt. Patet hinc quam longe quoque aberrent, qui Tertulliani *SCtum de Hereditatibus liberorum matri deferendis* nostro tribuunt: cum factum sit Fl. Tertullo, & Licinio Sacerdote Cos. Vid. Maximil. Sandæi *Theol. Jurid.* f. 80. & Nicol. Henelium, *de Veter. JCtis.* p. 89. De Tertulliano fuse dixerunt Guil. Cave, *in Vitis Patr. Primit.* T. I. p. 208. Trithemius, Sixtus Senensis, Bellarminus, Labbeus, Zentgraff, *de Lapsu Tertulliani*; Casimirus Oudin, *Supplem. Bellarm.* p. 13. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 90. seqq. B. Ittigius, *Præf. cit.* p. 25.

TETRA-

TETRADIVS.

Gente Gallus, nepos Cæsarii Arelatensis, dignitate Presbyter, ann. 530. clarus, scripsit, Cæsario dictante, *Regulam quandam pro Monachis*, Cæsario vulgò adscriptam, quam exhibet *Colov. Bibl. Patr.* T. V. f. 792. & *Codex Regul. Holstenianus*, aliique.

THALASSIVS.

Monasterii cujusdam in Lybiæ desertis Abbas, cognomento *Humilis*, floruit juxta Coccium, ann. 640. & scripsit ad *Paulum Presbyterum IV. hecatontades, de sincera charitate ac vera continentia, nec non de Regimine mentis*, quæ lat. Aug. Vindel. 1520. & ibid. 1551. cum aliis opusculis p. 106. *Inter Orthodoxogr.* & *Bibl. Patr.* prodierunt, græc. & lat. simul habentur in *Auct. Duccano*, T. II. p. 1179. Grynæus, ann. 465. in Ecclesia Cæsariensi eum floruisse, juxta quosdam tradit, quod sane non constat, si est ille Thalassius, ad quem suas *de difficilibus S. S. locis quæstiones* scripsit S. Maximus Confessor, qui ann. 640. vixit. Loquuntur de Thalassio, Possevinus, Miræus, Caveus, Oudinus, & Du Pinius, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 28.

THEGANVS.

Francus, Monachus Engolismensis, dein Trevirensis Ecclesiæ Chorepiscopus, vixit sub Ludovico Pio, ann 837. *de cujus gestis* librum reliquit, quem cum aliis *Annalium & Historiæ Francicorum Scriptoribus* Petrus Pithœus, Francof. 1594. edidit. p. 292 seqq. deinde Andreas Duchesnius, *Script. Franc.* T. II. Prodiit tamen hic Liber ex mutilo manuscripto, quem ex Codice Bibl. Vindob. supplevit, Cl. Lambecius, *Comment.* l. 2. c. 5 p. 391. De illo plura Aub. Miræus, Duchesnius, *loco citato*, Sanmarthani, T. I. p. 720. II. f. 238. Vossius, *de Hist. Lat.* c. 33. Cave, P. II. p. 371. Oudin, p. 233.

THEMISTIVS.

Calonymus cognomento dictus, Severianorum, Theopaschitarum, & Agnoëtarum Sectarius, claruit, ann. 601. hinc cum Themistio Philosopho, non confundendus, qui sub Valente floruit. Vir erat non indoctus, qui juxta Photium, *Cod.* 108. perspicuitatem ser-

monis cum argumentorum robore optime novit conjungere. Scripsit *Orationem invectivam adversus Philoponiam*, & *Apologiam, pro S. Theophobio* & alia, quæ non extant. *Libros ad Theodosium, Imperatricem. Sermones aliquot adversus Colluthum pro tomo Theodosii. Epistolam pro Salamitanis: Sermonem ad Charisium, Monachum: Lib. ad Constantium, Episcopum Laodicenum. Libros de Satisfactione, pro Agnoëtis, ad Marcellum, Presbyterum & Stephanum Diaconum, &c.* vide *Concil.* T. VI. p. 316. 320. *Contradictorios Libros adversus Theodosii Tomum*, ex quorum II. fragmentum dabit *Concil.* T. VI. p. 381. Conf. si placet, Cave, P. I. p. 314.

THEOBALDVS STAMPENSIS.

Anglus Sacerdos Secularis, qui juxta Dacherium, anno 1108. rectius verò ex mente Balei, ann. 1250. judice Caveo, floruit. Extant ejus *Epistolæ V.* apud Dacherium, *Spicil.* T. III. Vide quæ doctissimus Cave, P. I. p. 500. satis erudite observavit, atque de illis pro rei veritate judica.

THEOBAVDVS.

Monachus Bezuensis Cœnobii in Burgundia, circa ann. 1136. claruit. Scripsit *Acta, Translationes & miracula S. Prudentii Martyris*, Lib. IV. carminibus non raro interspersis, vulgata a Labbeo, T. II. *Nov. Bibl.* p. 605. seqq. De eo Cave, P. I. p. 461. Oudin, l. c. p. 381.

THEODERICVS.

Abbas Ord. Bened. qui anno 1200. claruit, *Libros III. de Vita S. Hildegardis, Abbatissæ*, anno 1180. defunctæ, composuit. Extant illi apud Surium, *d. XVII. Decembr.*

THEODORICVS de APOLDIA.

Erfordii natus, Ord. Præd. Monachus, ann. 1280. floruit. Scripsit *de Vita & rebus gestis S. Elisabethæ, Ludovici Landgravii Thuringiæ, viduæ.* Lib. VIII. quos vide apud Canisium, *Antiq. Lect.* P. II. p. 147. Hunc partum Theodorico nostro adjudicat Cl. Cave, P. I. pag. 517. nec Vossio, contrarium tuenti, adstipulatur. Ejus quoque est *Vita S. Dominici, Ordinis Fundatoris*, quæ VII. Libris distinguitur. vide illam apud Surium, ad *d. V. Aug.* De eo Anton. Possevin. *Appar. S.* Aub. Miræus, *in Auct.* Ambros. de Altamura, *in Bibl. Domin.* ad an. 1288. p. 61.

THEO-

THEODORICVS.

Monachus incerti Cœnobii, scripsit *Historiam brevem de rebus Ecclesiasticis ac Regibus Norwegiæ*, circa ann. 1180. Hanc cum Anonymi Opusculo, *de Profectione Danorum in Terram S.* protraxit Caspar. Kirchmannus, Amstelod. 1684.

THEODORICVS ENGELHVSIVS.

Germanus, Ecclesiæ Hildesheimensis Canonicus, Scriptor Seculi XV. industrius & doctus, nec ignoratus Flacio, Frisio, atque Dresscro. vide Vossium *Hist. Lat.* l. 3. c. 9. p. 801. Ejus est *Chronicon*, continens res Ecclesiæ & Reipublicæ ab O. C. ad ann. 1420. Primus illud e quatuor manuscriptis in lucem protraxit & erudito orbi exposuit Joach. Joh. Maderus, Helmstadii, 1671. idem de antiquitate, S. Vir meritissimus, aliquot Engelhusio descriptos *Imperatores*, ad *Serenissimum Brunsvic. & Luneburg. Ducum familiam* spectantes, an. 1661. inter *antiquitates Brunsvicenses* ibidem ediderat.

THEODORICVS de NIEM.

Germanus, Litterarum Apostolicarum Scriptor, Ecclesiæ Lucensis Clericus & juxta nonnullos Verdensis, imò Cameracensis, Episcopus. Claruit Niemus anno 1408. Scripsit *Historiam de Schismate sui temporis gravissimo inter Papas & Antipapas* Lib. III. quæ Norimbergæ, 1532. & Basil. 1560. prodiit. His tribus addidit IVtum Theodoricus Librum, VI. Tract. distinctum, *Nemus Unionis*, appellatum. Prodierunt IV. isti Libri integri, Basil. 1566. f. Norib. 1592. Argentorati, 1608. 8. cum Fr. Zabarellæ & Joh. Mari, Belgæ, Commentariis, ibidem 1629. 8. *Historiam de Vita Joh. XXIII. P. R.* edidit Henr. Meibomius, Francof. 1620. 4. *Privilegia & Jura Imperii circa Investituras Episcopatuum &c.* Basil. 1557. Argentorati, 1609. 1618. *Exhortatio ad Rupertum, Francorum Regem, de extirpando Pontificum Schismate, & reformandis Imperii Juribus*, extat apud Goldastum, *Monarch.* T. II. p. 1381. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 60. Vossius, *de Hist. Lat.* L. III.

THEODORICVS.

Monachus & Abbas Cœnobii S. Trudonis in Episcopatu Leodiensi, anno 1099. Post vero in exilium missus, in Monasterio S. Petri Gandensi commoratus, obiit anno 1107. Scripsit *Vitam S. Trudonis*, quæ apud Surium, d. XXIII. Novembr. *Vit. S. Bavonis*, ibidem, d. 1. Octobr. & Mabillon, *Sec. II.* p. 395. *Vitam S. Landradæ Virginis*, apud Surium, d. VIII. Jul. *Vitam S. Rumoldi, Archi-Episcopi Dublinienſis, & Martyris*, Surium, d. 1. Julii. *Sermonem de Translatione S. Trudonis*, ibidem, d. XXX. Nov. p. 515. *Vitam S. Amalbergæ Virginis & Hiſtorias Veteru & N. T.* manuscripta memorat, Cl. Cave, P. I. p. 44. quem adeas. Vid. quoque quæ circa hunc autorem moneat Casimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 355.

THEODORITVS.

Syrus, Patria Antiochenus, Theodoritus, dictus, eò quod à Parentibus Deo redditus, a quo precibus acceperant, Joh. Chrysostomi & Theodori Mopsvesteni discipulus, Cyri, Syriæ oppidi in provincia Augusta Euphratesia Episcopus, circa annum 420. juxta Garnerii calculum ordinatus, vixit ad annum 457. Quid viri præterea fuerit, ac ut initiò in fide vacillârit, post ad sanam redierit mentem, vide Osiandrum, *Centuria*, V. Guil. Caveum, *Hist. Litter.* P. I. p. 224. Rivetum, *Crit. Lib. IV.* c. 21. ubi & de ejus Scriptis eorumque censura. Malleus quidem ab initio hæreticorum fuit, postea verò disputandi fervore ad varios adductus est errores. Mariam enim verbum incarnatum peperisse: naturas in Christo καθ' ὑπόστασιν uniri: unicam esse hypostasin, & alia, negabat. Hinc post alia fata adversa, anno 449. Synodo Ephesina deponitur atque anathemate percutitur. Sedi tamen restituitur, anno 450. postquam fidei professionem dedisset. Reliqua ejus fata prolixe refert Guilielmus Cave, *loco citato*, qui ejus quoque ingenium insimul depingit. Erat enim animo excelso elatoque, sententiarum tenacissimus, injuriarum impatiens. Vir doctus, fervidioris tamen ingenii, cæterum pius, & in pauperes liberalis. Stylum ei in omnibus perspicuum, neque jucunditatis expertem, proportione verò sensibus exuberantem, tribuit Photius, *Cod.* 46. Scripta Theodoriti, quæ exaravit, omnia

omnia prodierunt Lat. Romæ, 1556. Colon. 1567. 1573. Paris. 1608. Colon. 1617. gr. & lat. Paris. 1642. f. T. IV. Quibus quintum adjecit Tomum Joh. Garnerius, Paris. 1684. f. excusum. Seorsim prodierunt *Hist. Eccles.* Lib. V. gr. Basil. 1535. Paris. 1544. f. gr. lat. Genev. 1612. Paris. 1673. & alibi. *Eranistes* seu *Polymorphus* tribus dialogis comprehensus, gr. Romæ, 1547. Lipsiæ, 1568. græc. lat. Tiguri, 1593. 8. Lat. Lipsiæ, 1567. ex interpretatione & cum notis Victorini Strigelii. *Hæreticarum fabularum*, Lib. V. gr. Romæ, 1545. *de Providentia Orationes X.* gr. Romæ, 1545. Tiguri, 1546. 8. Paris. 1530. 8. *de Charitate Oratio*, Romæ, 1588. *de curandis affectionibus Græcorum*, gr. lat. Heidelbergæ, 1592. fol. *Quæstiones in Hepateuchum*; gr. Paris. 1558. 4. Forsan & alia alibi. Plura de Theodorito dixerunt Labbeus, T. II. p. 388. Guil. Cave, *loco citato*, Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 8. & Joh. Garnerius, Dissert. *de Vita & Historia, de Libris & de fide Theodoriti*, cum quinto Theodoriti Operum Tomo excusis.

THEODORVS ABVCARA.

Cariæ Archi-Episcopus, Basilii I. Macedonis temporibus, circa ann. 867. vixit, scripsitque diversa *Opuscula contra Hæreticos, Judæos & Saracenos*, edita à Jacobo Gretsero, gr. lat. Ingolstadii, 1606. 4. exinde *in Bibl. Patrum* translata. *Tract. vero de Vnione & Incarnatione* ex Bibliothecæ Bodlejanæ Codice, primus edidit Andreas Arnoldus, gr. lat. cum Athanasii Syntagmate doctrin. ad Clericos & Laicos, Paris. 1685. 8. Opusculum ejus *de Filio ὁμοουσίῳ* gr. & lat. vulgavit Joan. Cotelerius, *Not. in Lib. V. Constit. Apost.* p. 227. Scripta ejus, si nosse desideras, reliqua, adeas Caveum, P. I. p. 391. De Theodoro agunt Anton Possevin. *app. S.* Aubert. Miræus, *Auct. de Script. Eccles.* c. 255. pag. 230. Oudin, l. c. pag. 259 seq. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 9.

THEODORVS BALSAMON.

Constantinopolitanus, ex Diacono Constantinopol. Nomophylace, Chartophylace, & primo Blachernarum Præposito, creatus Theopoleos Metropolita, seu Magnæ Antiochiæ, totiusque Orientis Patriarcha, vixit adhuc, anno 1203. antequam Constantinopolis a latinis expugnaretur. Vere de eo scripsit Joh. Citri Episcopus,

Respon-

Responsione ad Constantinum Cabasilam: Divinus ille Vir, Antiochiæ Patriarcha, accurate percallebat civiles & Canonicas Constitutiones & ab omnibus in hisce rebus, celebratus fuit. Dicant proinde, quicquid velint, Pontificii, odio adversus ipsum accensi. Scripsit Balsamon, *Comment. in Canones SS. Apost. & Concil.* qui prodiit gr. lat. mutilus tamen, Parisiis, 1620. f. integrior, Oxonii, 1672. f. cum notis Guil. Beveregii, *in Pandectæ Canonum. Comment. in Photii Nomo-Canonem*, Lat. primum, interprete Gentiano Herveto, Parisiis, 1561. gr. lat. Parisiis, 1615. 4. & *in Bibl. Jur. Can.* T. II. p. 789. *Paratitla* cum Leunclavii & Fabrotti notis, ibidem, T. II. p. 1223. *Responsa ad varias quæstiones ad Jus Canonicum spectantes* & alia gr. lat. in Leunclavii *Jur. Gr. Rom.* Lib. II. *Responsa ad Interrogationes Marci, Patriarchæ Alexandrini*, gr. lat. ibidem l. 5. pag. 362. *Meditata ad varios casus*, gr. lat. ibidem, L. VII. *Epist. ad Antiochenos, de Jejuniis*, apud Coteler. *Monum.* T. II. p. 492. gr. lat. extat. *Epistola ad Theodosium, Abbatem, de Monachis Rasophoris*, apud eundem gr. lat. T. III. p. 473. Hæc & alia notatu digna memorat Cave, P. I. p. 477. seqq. & Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 204. Schismaticus vulgo Pontificiis audit, quia scilicet contra Ecclesiam Romanam liberius multa conscripsit.

THEODORVS.

Cilix Tarsensis, ex Monacho Archi-Episcopus Cantuariensis a Vitaliano Papa, ordinatus, anno 668. Erat Theodorus Litterarum Patronus maximus, qui insignem in itinere collectam Bibliothecam in Angliam traduxit, de cujus reliquiis splendidissimis maxime gloriatur Cave, P. I. p. 326. Multa gesfit notatu digna, quæ idem summa cum cura retulit. Obiit mortis horæ conscius, an. 690. æt. 88. Scripsit Theodorus *Pœnitentiale*, cujus titulos saltem nobis exhibuit Spelmannus, *Concil. Angl. T. I.* Integrum verò prodiit Opus, cum uberrimis Jacobi Petiti notis, Paris. 1677. T. II. 4. Singulos elegantissimi hujus Operis Tractatus recensèt Cave, atque ea occasione scribit, Theodorum nostrum primum fuisse, qui Occidentalibus, more Orientalium, Libellum pœnitentialem præscripserit, adeoque omnium formularum Pœnitentialium in Ecclesia latina fons & origo merito haberi debeat. *Capitula Theodori Eccles.* CXX. apud Dacherium, *Spicil.* T. IX. & *app.* T. VI. *Concil.* p. 1875. *Epistola Theodori ad Æthelre-*

Æthelredum, Merciorum Regem, de amicitia inter se & Wilfridum, Episcopum Eboracensem, quem injuste deponi curaverat Theodorus, redintegrata, apud Guil. Malmsbur. *de Gestis Pontificum*, L. 3. f. 151. & *Concil.* T. VI. p. 1383. Conf. Sigebert. Gembl. in *Catal. cap. 63.* Posſevinus, *in Appar. S.* & alii.

THEODORVS CAMPEDONENSIS.

A cellula dictus, in quâ primum vixit, poſtea Monachus S. Galli, circa ann. 680. claruit, ac Præceptoris ſui, *S. Magni, Vitam* in litteras retulit, quæ extat apud Henr. Caniſium, T. V. *antiqv. Lect.* P. II. p. 911. Meminit ejusdem Voſſius, l. 3. *Hiſt. Lat.* c. 3. p. 751. Cave, P. I. p. 329.

THEODORVS DAPHNOPATES.

Patricius Conſtantinopolitanus & in aula primus à Secretis, anno 956. clarus, ſcripſit poſt alia *Orationem de manu S. Joh. Baptiſtæ, Antiochiâ Conſtantinopolim translata*, quam lat. anonymam exhibet Surius, *d. 29. Aug.* Manuſcripta extat in Bibl. Vindob. Scribendi occaſionem, quam nactus fuit Theodorus, ex intimis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ recesſibus, refert doctiſſimus Cave, P. II. p. 186. *Encomium in S. Paulum, Vitæ Theodori Studitæ*, & alia, Caveo memorata, in manuſcriptis deliteſcunt.

THEODORVS.

E Schola Magiſtrianorum Alexandrina, a Cyrillo, familiari, Diaconus factus, anno 436. Dioconatu verò poſt Cyrilli mortem, à Dioſcuro privatus, anno 451. Concilio Chalcedonenſi *Libellum, adverſus Dioſcurum*, obtulit, qui gr. lat. habetur, *Concil. T. IV.* p. 396. Evolv. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 252.

THEODORVS GRAPTVS.

Palæſtinus, Monachus ac Presbyter, vixit, anno 818. Cauſam imaginum vel quatuor defendendum ſuſcepit vicibus, male ob id omni non tempore habitus. Scripſit *Diſputationem de Cultu Imaginum cum Nicephoro, Patriarcha Conſtantinopolitano, habitam*, quam extulit gr. lat. cum notis Fr. Combefiſius, *Orig. Conſtantinop.* p. 159. *Epiſtolam ad Joh. Cycizenum Epiſcopum*, gr. lat. ibid. p. 204. Lib. *de fide Orthodoxa contra Iconomachos*, manuſcriptum memorat Cave, P. I. p. 365. cujus fragmentum exhibet gr. lat. idem Combefiſius, *loco citato*, p. 221.

THEODORVS HAGIOPOLITANVS.

Incertæ ætatis autor, cujus Disputationes III. *de nomine Dei, de Deo, & Deitate, cum Nestoriano*, Fr. Turriano interprete, extant, T. XV. *Bibl. Patr. Colon.* f. 991.

THEODORVS.

Heracleâ ortus, Presbyter & Episcopus Heracleensis, an. 334. Vir elegantis apertique Sermonis, professione Semi Arianus atque ob id Episcopatu exutus, moritur circa annum 358. Scripsit *Comment. in S. Matth. S. Joh. & Pauli Epistolas*, quorum tamen fragmenta saltem supersunt apud Corderium, *Catenæ in Matthæum* & auctorem *Catenæ in Lucam*, Antwerp 1630. f. editæ. *Commentarium in Psalmos*, gr. lat. extulit Corderius, præmissum *Catenæ Veterum Patr. in Psalmos*, Antwerp. 1643. f. T. III. Alium Theodorum a nostro diversum adducit Cave, P. I. p. 109. ob Arianismum, a Sede Heracl. ejectum, qui circa annum 370. innotuit. De eo Hieronymus, *in Catalogo* c. 90. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 65.

THEODORVS.

Iconii Episcopus, qui Justiniani Imperatoris, temporibus, circa annum 564. claruisse videtur, scripsit *Martyrium Julittæ matris & Cyrici, pueri triennis, sub Diocletiano*, quod gr. lat. produxit Fr. Combefisius, inter *Acta Martyrum antiqua, Paris.* 1660. 8. p. 131. Exemplar manuscriptum ab hoc Martyrio diversum, citat Leo Allatius, *de Symeon.* p. 91. & aliud Surius, *d. XVI. Junii.* Reliqua Caveo observata, P. II. p. 112. ipse evolvas.

THEODORVS LÆLIVS.

Italus, Referendarius Apostolicus, & Episcopus Feltrensis seu Tarvisinus, anno 1460. claruit, jamque Cardinalis à Paulo II. P. R. designatus, Romæ, 1464. obiit. Extat ejus *Replica* sive *Confutatio Appellationis Gregorii Heimburg, a Pii II. Bulla contra se emissa, ad Concilium Generale*, apud Goldastum, *Monarch.* T. II. p. 1595. & inter *Heimburgii Opera*, Francof. 1608. 4. *Orationes II.* pro Pio II. manuscriptas in Bibl. Cardinalis Sirleti adservatas memorat Ludov. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 443. de eo Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 99.

THEO-

THEODORVS.

Lector Constantinopol. circa ann. 518. non verò, ut somniat Miræus, *Auct.* c. 427. merito ob hunc errorem a Caveo, P. I. p. 279. notatus, anno 1320. Scripsit *IV. Libros Historiæ Eccles.* quorum II. priores ex Socrate, Sozomeno, & Theodorito collegit, posteriores vero proprio Marte conscripsit. Amplissima ex illis Collectanea, excerpsit Nicephorus Callistus, quæ gr. cum aliis edidit Robertus Stephanus, Parisiis, 1544. gr. lat. Genev. 1612. cum notis & Versione Valesii, Paris. 1673. *Libros* autem *Collectaneorum II.* priores, exhibet, *Bibl. Patr. Colon.* T. VI. P. I. f. 505. græcè manuscripti extant in Bibl. Veneta D. Marci & alibi. Conf. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. pag. 239.

THEODORVS.

Monachus Syrus, & Edessenorum deinde Archi-Episcopus, qui ex mente Possini & Cl. Cavei, P. II. p. 219. circa annum 1101. floruit, scripsit *Capitula Practica* 102. a Possino, gr. lat. edita, *in Thesauro Ascetico*, p. 345. Quinquaginta priora lat. jam ante prodierant in, *Bibl. Patrum Lugdun.*

THEODORVS METOCHITA.

Gente Græcus, Generalis Logotheta, anno 1314. factus, Andronico Seniori charissimus, Juniori vero invisus, qui eum in exilium misit. Obiit, an. 1332. Laudavit eum funebri Oratione Nicephorus Gregoras. Vir erat, judice Gregora, L. 8. *Hist.* p. 190. *omnium, quos Soi intuetur, doctissimus, qui facundia naturali & tolerantia laborum & memoriæ præstantia summum omnis eruditionis fastigium conscendent. Viva, Bibliotheca, & eorum, quæ scire velles, oraculum. Tanto intervallo omnes eos superabat, qui unquam in studiis versati sunt.* Errorem Vossii, qui nostrum cum Georgio Metochite confundit, notavit, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 4. Sub Theodori nomine *Compendium Hist. Romanæ*, edidit Joh. Meursius, g. lat. Lugduni Batavorum, 1618. 4. quod tamen *Glycæ Annalium Librum tertium*, rectius judicat Theophylus Raynaudus, *de bonis & malis Libris*, p. 156. *Paraphrasin in VIII. Libros Physicorum & parva Naturalia Aristotelis*, edidit lat. a se versa Gentianus Hervetus, Basil. 1559. 4. *Historiæ Sacræ Lib. II. & Histor. Constantinopol.*

Lib. I. manuscriptos adservavit Meursius. *Capita 120. Philosophica & Historica* manuscripta extant in Bibl. Augustana. *De Processione SS.* & alia opuscula, græcò lat. *in Græcia Orthodoxa* Leonis Allatii recitantur.

THEODORVS ET THEODOSIVS.

Monachi Orientales, S. Maximi, Martini P. R. & Anastasiorum familiares, anno 668. clari, scripserunt *Scholion de Maximi & Anastasii, Apocrisarii, exilio atque obitu.* Prodiit illud Lat. inter Anastasii *Analecta*, a Sirmondo edita, Paris. 1620. p. 251. gr. lat. *in Appar. Combefisii*, ad *Opera S. Maximi*, p. 8. Conf. Cave, P. I. p. 326. Elias Du Pin, T. VI. pag. 28.

THEODORVS.

Gente Græcus, P. R. anno 642. consecratus, Pyrrhi, Patriarchæ Constantinopolitani, causam cognovit, eundemque, postquam revocavit, in communionem recepit. Erroribus autem redintegratis, publico ipsum anathemate percusit. Obiit, anno 649. Scripsit *Epistolam Synodicam, ad Paulum Constantinopolitanum: Exemplar propositionis Constantinopolim transmissæ de Ecthesi anathematizanda: Epistolam ad Episcopos*, qui Paulum consecrarant. Extant hæc inter *Anastasii Collectanea*, a Sirmondo edita, Parisiis, 1620. p. 47. & *Concil.* T. V. p. 1777. De eo Cave, P. I. *Hist. Litter.* p. 321. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 20. Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 217.

THEODORVS.

Urbis Pharan Episcopus, Eutychianus & Monotheleta, anno 640. cujus *Libri ad Sergium, Arsenoitarum Episcopum, de Operationibus Christi* fragmenta V. gr. lat. *Concil. Lateran. Act. 3. Concil.* T. VI. p. 164. *Libri de Interpretatione testimoniorum è Patribus adductorum, circa Operationes Christi*, fragmenta VI. gr. lat. ibidem, p. 165. *Epistolæ ad Paulum hæreticum*, cujus fragmentum extat, *Concil. VI. Act. X. Concil.* T. VI. p. 839. Evolv. Cave, *loco citato*, p. 321.

THEO-

THEODORVS.

Presbyter & Canonicus Eccleſiæ Rhemenſis, poſtea S. Remigii Abbas, vixit tempore Lotharii, Imperatoris, & condidit *Hiſtoriam Eccleſiæ Rhemenſis IV. Libris diſtinctam*, quam ex recognitione Georgii Colvenerii, Præpoſiti Duaceni, cum ejusdem notis, aliisque quibusdam, vide T. X. *Bibl. Patr. Colon.* f. 466.

THEODORVS.

Presbyter Monaſterii Raithuenſis, tempore S. Maximi, quo familiariter utebatur, circa annum 646. Prodiit ejus *Comment. de Incarnatione Chriſti adverſus hæreſes varias*, ſub titulo, *Iſagoges Anaſtaſii Sinaitæ Orationes V. dogmaticæ*, lat. à Godefrido Tilmanno verſus, Pariſ. 1556. 8. ex verſione Theod. Bezæ, gr. lat. Genevæ, 1576. 4. inter *Opera Bezæ Theol.* Vol. III. p. 319. ad calcem Gelaſii Cycizeni, gr. lat. Pariſ. 1599. 8. & in *Auct. Duceano*, T. I. p. 319. Diverſus ab illo videtur Theodorus, Antiochenus Presbyter, Gennadio memoratus, & Honorio Auguſtodunenſi, Scriptor XV. *Librorum de Incarnatione, verſibus* 15000. conſtantium: Alius quoque eſt Theodorus apud Photium, qui ſingulari Libro *Dionyſii Areopagitæ Librum*, tanquam genuinum, defendere conatus eſt. Vid. Cave, P. I. pag. 324. Labbeus, T. II. p. 399. Du Pin, *Bibl. N uv.* T. VI. p. 28.

THEODORVS STVDITES.

Monaſterii, quod *Studium*, a primo fundatore, *Studio*, dicebatur, Abbas ſive Præpoſitus, anno 794. factus, an. 826. Obiit. Turbas, quas Iconolatra movit, fataque ejus, prolixe narrat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 359. & Baronius, *in Annalibus*. Scripſit vir ſupra communem literatorum ſortem eruditus varia, utpote *Sermones Catecheticos*, CXXXIV. lat. Joh. Livinejo interprete, excuſos, Antwerpiæ, 1602. 8. qui manuſcripti habentur in Bibl. Lipſienſi Paulina. *Teſtamentum ad Diſcipulos*, cum priori opuſculo prodiit. *De honore & adoratione SS. Imaginibus exhibenda*, cum aliis lat. Antwerp. 1556. græc. Romæ, 1553. Alia plura, maxime Iconolatrica Scripta, *Epiſtolas & Orationes*, refert Cave, *loco citato*.

THEODOSIVS.

Asceta, ex Monacho Montis S. Auxentii, Patriarcha Constantinopolitanus, circa annum 1181. consecratus, scripsit *Responsa Synodalia* de Nuptiis cum priùs desponsata Sobrino & de Sponsalibus non sufficientibus pro perfecto matrimonio, quæ gr. lat. *Jur. Græc. Rom.* Lib. III. p. 231. habentur. De eo Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. II. p. 230.

THEODOSIVS.

Ammorii Episcopus, anno 787. floruit, atque in Synodo Nicæna Iconolatriæ accusatus *Libellum* obtulit, quem vide gr. lat. *Concil.* T. VII. p. 60.

THEODOSIVS.

Patriarcha Hierosolymitanus, anno 869. claruit, cujus *Epistola ad Ignatium* Lat. *Concil.* T. VIII. p. 986. habetur. Conf. Guil. Cave, P. I. p. 391.

THEODOTVS.

Ancyranus in Galatia Episcopus, Gennadio male *Theodorus* dictus, Cyrilli in Concilio Ephesino, anno 431. adversus Nestorium fidus parastata, cujus *Homilias II. in Christi Natalem, in Concilio proclamatas*, exhibet *Concil.* T. III. p. 988. 1008. *Homil. contra Nestorium*, ibidem, p. 1024. *Orat. in S. Deiparam & Simeonem*, inter *Amphilochii Opera*, Paris. 1644. *Expositio Symboli Nicæni, seu Nestorii Refutatio*, Romæ, 1669. 8. & inter alia, Parisiis, 1675. 12. Plura memorat Gennadius, *de Scriptoribus*, c. 55. & ex eo Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 231. Casimirus Oudin, *Supplem. de Script. Eccles.* p. 79. seqq.

THEODVLPHVS AVRELIANENSIS.

Natione Italus, e Gallia Cisalpina oriundus, Alpibus transmissis in Franciam venit, adductus eò a Carolo M. virtutum ejus æstimatore, quem & inter intimos, quoad vixit, habuit; Abbas factus Floriacensis post Episcopus Aurelianensis. Fatis functo Carolo, non pari, primis quidem annis, gratia apud filium, Ludovicum, valuit, delatus

delatus namque conjurationis Bernardi Regis adversus Patruum, particeps, anno 817. Episcopatu spoliatur, atque in Monasterium relegatur Andegavis. Quemadmodum vero hoc crimen constanter usquequaque pernegavit Theodulphus, ita non defuere, qui per invidiam conflatum affirmarent. Scripsit in carcere Ecclesiasticum Hymnum, *Gloria Laus & Honor. &c.* elegiacis ad Palmarum diem accommodatis versibus, ac cum observaret Ludovicum transeuntem, ex ergastuli fenestra in aures ejus eundem cecinit, inde versibus mirifice delectatus imperator, continuo a carcere ipsum liberari jussit. Absolutus ergo ad suos rediit, defunctus anno, prout Sirmondus conjectat, 821. Scripsit Theodulphus *Capitula ad Presbyteros Parochiæ suæ* XLVI. apud Baronium, ad ann. 835. & *Concil.* T. VII. p. 1237. *De Ordine & ratione rituum Baptismi*, Lib. I. *de Spiritu S.* Lib. I. *Carminum ad diversos*, Lib. VI. quæ ejus Opuscula cum notis edidit Jac. Sirmondus, Paris. 1646. 8. exinde *in Bibl. Patr.* T. XIV. p. 1. translata *Poemata* X. Jo. Mabillon, *Analect.* T. I. p. 376. Alia ejus memorat Cave, *Histor. Litter.* P. I. p. 352. & Elias Du Pin, T. VI. *Bibl. Nouv.* p. 124. Conf. Labbeus, T. II. p. 407. post Bellarminum & alios.

THEODVLVS MONACHVS.

Thomas Mgister aliâs dictus, gente Græcus, & juxta Allatium, Patria Thessalonicensis, anno 1311. claruit. Scripsit *Orationem Encomiasticam in S. Gregorium Naz. Orationes gratulatorias IV. Epistolas VII.* quæ omnia in Latinum vertit, atque edidit Laurentius Normannus, Upsaliæ, 1693. 4. Dictionum Atticarum Sylloge, gr. prodiit, Romæ, 1517. 1525. Paris. 1532. 8. Franequeræ, 1690. Alia ejus, *Epistolas* & *Orationes*, manu saltem scripta, memorat Guil. Cave, P. II. *Hist. Litter.* p. 273.

THEOFRIDVS.

Ord. Bened. Monachus, & deinde Epternacensis in Luxenburgica Diœcesi Abbas, circa annum 1101. scripsit *Sermones II. de Reliquiis Sanctorum*, quos exhibet *Bibl. Patrum*, Paris. 2. T. II. f. 170. & in aliis editionibus. *Vita S. Willebrordi Ultrajectensis*, apud Surium, *d. VII. Decembr. Epitaphium Sanctorum*, Lib. IV. cum Roberti notis. & Vita

Vita Willebrordi excusum habes, Luxenburg. 1619. 4. Obiit Theofridus, anno 1110 Confer, si placet, Guil. Caveum, P. II. p. 219. Casimirum Oudinum, *Supplem.* p. 366. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 196.

THEOLEPTVS.

Philadelphiæ Archi-Episcopus, Pietate, Prudentia & fortitudine insignis, anno 1310. cujus *Cantica Ecclesiastica Catanyctica & Paraclectica IV.* manuscripta tenet Bibliotheca Vindobonensis, e quibus unum *ad animam suam*, de Resurrectione & judicio extremo, latine reddidit atque post *Simeonis Theologi Opuscula* vulgavit, Pontanus, Ingolstadii, 1603. Plura de eo dabit Guil. Cave, P. II. p. 272. seq.

THEOPHANES CERAMEVS.

Tauromenii in Sicilia Archi-Episcopus, de cujus ætate litigant autores. Et Franciscus quidem Scorsus eum ad Seculum IX. reponit, Allatius verò atque Caveus, ad annum 1040. referunt. Extant ejus *Homiliæ LXII. in Evangelia Dominicalia & Festa*, quas cum notis gr. lat. vulgavit Fr. Scorsus, Paris. 1644. fol. *Orationes II. in Dominica ante exaltationem crucis*, antea ediderat gr. lat. Gretserus, *de Cruce*, T. II. p. 1107. Methodum Theophanis atque stylum, a simplicitate & perspicuitate commendat Cave, P. I. p. 422. ubi alia non minus erudita comparent. Adde, quæ habent Casim. Oudin, *loco citato*, p. 278. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 196. & T. VIII. p. 111.

THEOPHANES.

Patriâ Constantinopolitanus, anno 758. natus, ex Leonis Imperatoris Stratore, Monachus atque demum Agri Abbas constitutus, ob varios, quos propter Iconolatriam perpessus est, fortunæ casus, à suis, *Confessor* dictus, anno 815. vel sequenti, in exilio obiit. Circumfertur sub ejus nomine *Chronographia*, gr. lat. cum Jac. Goari & Fr. Combefisii notis, Parisiis, 1655. f. excusa, quam eidem abjudicare malunt autores plurimi, & cum eo Guil. Cave, P. I. p. 352. *Canon Epinicius in Dominicam I. Quadragesimæ, Odis IX. constans*, habetur gr. lat. apud Baronium, *Annal. Eccles.* ad ann. 842. Conf. Aub Miræus, *de Scriptor. Eccles.* c. 223. p. 223. Phil. Labbeus, *in Protreptico ad Historiam Byzantinam*, Casim. Oudin, *Supplem.* p. 219.

THEO-

THEOPHANES GRAPTUS.

Theodori Grapti frater germanus, anno 845. Metropolita Nicenus ordinatus, scripsit *Canonem* seu *Hymnum IX. Odis constantem, in Theodorum fratrem*, quem exhibet *Menæum Græcorum*, d. 27. Decembr. & cum versione latina, Combefisius, *Orig. Constantinopolitan.* p. 224 De eo Cave, P. I. p. 366.

THEOPHANES.

Gente Græcus, Archi-Episcopus Nicenus, circa annum 1347. condidit grande & insigne *opus adversus Judæos*, cujus Analysin exhibet Antonius Possevinus, *Appar.* S. T. II. p. 470. *Poemata* ejus latinè vertit atque edidit Gonsalvus Poncius, Romæ, 1590. 8. *Epistolas*, easque manuscriptas, adservat Bibl. Vaticana. Conf. Possevinus, *Append. ad Appar. S.* p. 16. Casim. Oudin, *Supplem.* p. 624. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 27.

THEOPHILVS ALEXANDRINVS.

Alexandrinæ civitatis Episcopus, Timothei successor, ab anno circiter 385. usque ad annum 412. Profanum gentilium cultum funditus evertit, atque cum Nitriensibus Monachis acriter pugnavit. Ejus *tres Paschales Epistolæ* & quædam alia, Hieronymo interprete, extant *Bibl. Patr.* T. V. *Epistolarum Paschalium quintæ & sextæ* fragmenta, *Concil. Ephes. Act. I.* p. 512. *Epistola ad Epiphanium*, inter *Hieronymi Opera. Edicta Canonica X.* & *Responsa* III. gr. lat. cum Balsamonis Comment. Pandect. Canon T. II. *Epistola brevis* ad Chrysostomum, apud Palladium. Dissertationem, *cujus rei homo similis sit*, gr. lat. Paris. 1608. 8. Frid. Morellus edidit. Plura quidem scripsit Theophilus, quorum saltem fragmenta superstant, de quibus Gennadius, *de scriptor.* c. 33. Labbeus, T. II. p. 411. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 161. Manuscripta verò idem Cave memorat, P. II. p. 50. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 88. seq.

THEOPHILVS ANTIOCHENUS.

Professione Gentilis, Vir valdè eruditus, Christianorum castra sequutus, Episcopus Antiochenus, circa annum 168. consecratus, circa annum 181. vitam feliciter clausit. Scripsit *de fide Christianorum & adversus ejus calumniatores* Lib. III. impressos gr. lat. inter *Orthodoxogr.*

Basil. 1555. T. I. ad calcem *Justini, Martyris*, Paris. 1615. 1636. *Auctuar.* gr. lat. *Bibl. Patr.* cum notis Front. Ducæi, Paris. 1624. T. I. Seorsim verò, Oxon. 1684. 12. Ei quoque tribuuntur *Commentarii in Euangel. IV. Bibl. Patr.* T. II. exhibiti. *Liber contra Marcionem & alter adversus Hæresin Hermogenis*, & alia ejus, interierunt. Conf. Guil. Cave, *Hist. Litt.* P. I. p. 31. Labbeus, T. II. p. 412.

THEOPHYLACTVS.

Patria Constantinopolitanus, Acridæ in Bulgaria ArchiEpiscopus, à Desiderio Erasmo alicubi *Vulgariæ* appellatus, floruit, anno, non 860. ut Possevinus, Perronius Cardinalis, aliique scribunt, sed circiter annum 1071. & sequ. prout Labbeo exploratum, T. I. p. 413. seq. Scripsit *Commentaria in IV. Evangelia*, quæ Basileæ, 1524. Antvverpiæ, 1564. 8. Romæ, 1542. 1568. gr. lat. Paris. 1631. 1635. *Comment. in Acta Apostol.* gr. lat. ex Laurentii Sifanii interpretatione, cum quibusdam aliis, Gregorii Nysseni, Joh. Chrysostomi, Cyrilli, &c. *Orationibus*, Colon. 1568. *Comment. in Epistolas S. Pauli*, lat. Romæ, 1469. Antvverp. 1564. 8. Colon. 1531. Paris. 1552. gr. lat. Londini, 1636. fol. *Comment. in Habacuc, Jonam, Nahum, & Hoseam*, Lat. Parisiis, 1549. 8. *Epistolæ* LXXV. gr. cum notis Meursii, Lugd. Batav. 1617. 4. lat. ex interpretatione Vincentii Marinerii Valentini, Colon. 1622. & *in Bibl. Patr.* T. XIIX. *Oratio in adorationem crucis*, gr. lat. apud Gretserum *de cruce*, T. II. p. 1499. *Institutionem Regiam ad Constantinum Porphyrogennetam, Michaelis Ducæ filium*, gr. lat. edidit Petrus Possinus, Paris. 1651. 4. Alia ejus adduxit Guil. Cave, *Hist. Litt.* P. I. p. 434. & Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 345. Du Piu, *Bibl. Nouv.* T. VI.

THEOPHYLACTVS SIMOCATTA.

Patria Locrensis, Sophista sive Scholasticus, & Antigrapheus, hoc est, ex conjectura Guil. Cavei, Cancellarius, circa annum 612. sub Heraclio floruit. *Historiam de rebus gestis Mauritii, Lib.* VIII. condidit, impressam gr. lat. Ingolstadii, 1604. 4. Paris. 1648. fol. *Epistolæ LXXXV.* varii argumenti, græcè, Venet. 1499. gr. lat. Aureliæ Allobrogum, 1606. fol. *Problemata Physica*, gr. Lugd. Batav. 1596. 8. gr. lat. Heidelbergæ, 1598. 8. Antvverpiæ, 1599. 8. Lipsiæ, 1653. An hujus, an præcedentis, an alius Theophylacti sit fragmentum *de Risu & voci-*

vociferationibus in festis Sanctorum & de Nicephoro Confessore, quod lat. extat, *Bibl. Patr.* T. XVIII. ambigit Labbeus, T. II. p. 416. *Dictio ejus*, Photio judice. *Cod.* 65. *aliquid veneris habet, nisi quod figuratis vocibus & allegoricis sensibus, putidè nimis ac frequenter ad satietatem usus; in frigiditatem quandam ac juveniles ineptias dilabatur. Veruntamen & sententiarum illa interjectio minus opportuna diligentiam arguit curiosam & supervacaneam, cætera bonus, in reprehensionem non incurrit.* Conf. de eo Possevinus, *in Appar. S.* Aubertus Miræus, *Auct.* c. 176. p. 215. Labbeus, *in Chronolog.* Casimirus Oudin, *Suppl.* p. 157. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 315.

THEORIANUS.

Græcus aliquis doctus, ab Emanuele Comnemo, Græcorum Imperatore, anno 1170. ad Armenos ab erroribus revocandos missus, scripsit *Dialogum Orthodoxi cum Catholico*, hoc est, Archi-Episcopo seu Primate Armenorum, *& Gesta Legationis illius.* Extat gr. & lat. Basileæ, 1578. 8. Joh. Leunclavio, Amelburno, interpete, & T. IV. *Bibl. Patr.* Paris. 2. f. 929. lat. saltem, ut & T. XII. *Bibl. Colon.* Vid. Labbeus, T. II. p. 417. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 475.

THEOSTERISCUS.

Medicensis in Bithynia Monachus, Niceta, Abbate, Præceptore usus, anno 828. floruit, atque *Nicetæ Vitam* scripsit, quam habes lat. apud Surium, gr. lat. apud. Henschenium, d. III. April. Conf. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 232. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 368.

THEOTIMUS.

Scythiæ Episcopus, anno 457. clarus, dedit ad Leonem, Imperatorem, *Epistolam, de Timotheo aluro & Synodo Chalcedonensi*, quam exhibet Concil. T. IV. p. 911.

THEULFUS.

Monachus Morigniacensis, Ord. Bened. circa annum 1150. *Chronicon sui Monasterii* condidit, quod vid. T. III. p. 359. *Collect. Histor. Franc.* Du Chesnii.

THOMAS AQUINAS.

Theologorum Aquila, Doctor Angelicus, Sol Ecclesiæ, ab

aliis dictus, è nobili Comitum Aquinatum Stirpe, anno 1224. in Latii Aquino castro natus, Ord. Prædicat. invitâ matre se dedit, Alexandri de Hales & Alberti Magni, aliorumque doctorum Virorum, discipulus, Doctor Theologiæ eâdem die cum Bonaventura, anno 1255. Parisiis creatus, de cujus ingenio, meritis, doctrina, aliisque notabilibus, multi multa tradiderunt. In scholis condiscipulis ridiculum fuisse, & Bovem, eò quod semper taceret ac tantummodo audiret, appellatum, cœlicâ verò, de edendo hujus bovis per totum orbem mugitu, voce notatum, vide Dorschei *Epistol. dedicat. super Thom. Confess. fidei.* Ejus imagini cur appingatur Columba, vid. Gerhard. *T. V. Loc. Theol.* de Cœna, §. 199. Doctoris communis nomen apud Scholasticos reportavit, teste Thoma Walsingo, *Hist. Angl.* quam Cambdenus cum aliis vulgavit, f. 45. Obiit Thomas, postquam in primariis Italiæ Academiis docuerat, in itinere, quod Urbani IV. P. R. jussu ad Concilium Lugdunense II. evocatus, susceperat, non procul à Tarracina, in Cœnobio Fossæ Novæ, anno 1274. Plus risum movet fabula, apud Manlium, *Collect.* f. 646. quod eâ ipsâ horâ, quâ mortuus Thomas, ad eum, in usitata legentem cathedra, S. Paulus Apostolus ingressus in auditorium. Et cum illum interrogasset Thomas, rectene interpretatus fuerit ejus Scripta, respondisse: *Rectius cæteris omnibus* &c. Maxime Thomam laudat Sixtus Senensis, *Bibl.* L. IV. p. 308. *In Sacris sinceriorís Theologiæ studiis ita sapientissimo Augustino proximus incessit, atque ita mentem ejus & omnes reconditos sensus introspexit, exhausitque, ut juxta Pythagoræ Metempsychosim communi omnium doctissimorum Adagio jactatum sit, Augustini animam migrasse in Thomam.* Plura ejus encomia exhibuit Thomas Pope-Blount, *Censur. celebriorum autorum.* Operum ejus, quæ certè plurima reliquit, variæ hactenus editiones prodierunt, utpote Venetiis, 1490. fol. Noribergæ, 1496. fol. T. XVII. Romæ, 1570. Venet. 1594. Antwerp. 1612. T. XIIX. quæ ordine enumerant Labbeus, T. II. p. 436. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 505. Seorsim quoque non exigua ejus scripta in apertum data sunt. *Comment. in quosdam Aristotelis libros*, Venet. 1496. *Comment. in IV. Lib. Sententiarum*, Basil. 1492. Paris. 1574. 8. Venet. 1481. 1490. fol. *Quæstiones X. de Potentia Dei*, Argentor. 1500. *Quæstiones Quodlibeticæ XII.* Colon. 1471. 1485. 1491. fol. Norib. 1474. Ulmæ, 1475. *Summa Catholicæ fidei contra Gentiles* Lib. IV. Romæ, 1476. Venet. 1480. fol. Lugduni,

duni, 1566. f. *Summa Theologiæ* P. III. distincta, Colon. 1604 Duaci, 1614. Antwerp. 1624. Bonon. 1514. Venet. 1596. f. T. V. & alibi. *Expositio in Canticum Canticorum*, 1545. 8. *Catena aurea in IV. Evangelia* Lugduni, 1530. 8. Antwerpiæ, 1678 fol. *Comment. in IV. Evangelistas*, Norimbergæ, 1474. T. II. Venet. 1486. *Expositio in Epistolas Pauli*, Basil. 1475. Bononiæ, 1481. fol. *Sermones pro Dominicis diebus & Sanctorum solennitatibus*, Romæ, 1571. 8. *Opuscula* LXXII. cum Antonii Pizamani, Patricii Veneti, *de Vita Thomæ*, præfatione, Venetiis, 1497. Plurima ex illis, ibidem, 1587. 1596. *Comment. in Genesin*, Lugduni, 1573. 8. *Comment. in Lib. Maccabæorum*, Paris. 1596. 8. *Comment. in omnes Epistolas Canonicas*, Paris. 1543. 8. 1550. Lugd. 1556. Antw. 1592. *Comment. in Boethii lib. de consolatione Philosophiæ*, Lovan. 1487. f. Lugd. 1514. 4. & alia alibi expressa. *Thomam Confessorem Veritatis Evangelicæ Aug. Confess. repetitæ*, juxta IV. Tomos Controvers. Bellarmini examinatum B. Dorschæus, Francof. 1656. 4. impressum, exhibuit. Agunt de Thoma Aquinate, post jam citatos autores, Baronius, Bellarminus, Natalis Alexander, Elias du Pin, & alii.

THOMAS de ARGENTINA.

A Patria & natali civitate sic dictus Ord. S. August. Prior Generalis Parisiis anno 1345. electus, Viennæ, 1357. defunctus, scripsit *in IV. Libros Sententiarum Commentarios*, Argent. 1490. Venet. 1564. Genuæ, 1585. Ticini & alibi editos. Diversus fuit ab hoc Thomas de Argentina, Ord. Præd. anno 1495. clarens, Scriptor *Sermonum, Meditationum, Epistolarum*, sicut post Trithemium & Simlerum monuerunt Labbeus, T. II. p. 437. & Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 27.

THOMAS BECKET.

Patre Gilberto, Mercatore, Londini in Anglia natus, Oxonium, Lutetias, Bononiam, studiorum causa adpulit. Postquam in Patriam esset reversus, Archidiaconatus Cantuariensis & aliis auctus est honoribus. Summus enim Angliæ Cancellarius atque demum Archi-Episcopus Cantuariensis, anno 1162. consecratus est. Cum autem Clericos omni potestate Regia liberos pronunciaret, atque alia perpetraret facinora, in Concilio Northamtunensi damnatus, atque sede sua expulsus est. Hanc infelici quidem omine, anno 1170. recuperavit, à quatuor quippe satellitibus regiis, eodem anno, Cantua-

riæ, interfectus, Vir ambitiosus, perjurus, atque ex sententia, Cl. Cavei, P. I. p. 473. procaciſſimus. Scripſit Thomas *Epiſtolarum* Lib. VI, quos cum *Vita ejus*, edidit Chriſtianus Lupus, Bruxellis, 1682. 4.

THOMAS BOGKINGHAM.

Natione Anglus, Theologus atque Oxonienſis Cancellarius, qui anno 1270. floruit, ſcripſit Comment. in *IV. Libr. Sententiarum*, qui Pariſiis, anno 1505. prodiit. *Comment. ſuper Deuteronomium, Eſaiam, Epiſtolas Pauli, & Apocalypſin S. Joh.* manuſcripta adſervantur in Bibliotheca Balliolenſi. Agunt de eo Poſſevinus, *in Appar. S.* p. 827. Luc. Waddingus, *in Bibl. Ord. minor.* p. 323. qui poſterior plura Thomæ Opera adducit. Adde Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 538. qui hunc cum Thoma de Dokingham, Eccleſiæ Oxonienſis Cancellario, cujus *Quæſtiones* LXXXVIII. Oxonii extant, unum eſſe probabiliter credit.

THOMAS BRADWARDINUS.

Hatfeldia in Diœceſi Ciceſtrienſi, juxta Baleum, oriundus, *Doctor profundus* appellatus, Collegii Mertonnenſis Procurator, Theologiæ Doctor, Canonicus Lincolnienſis, & Cancellarius Eccleſiæ Cathedralis Paulinæ Londinenſis, imò Archi-Epiſcopus Cantuarienſis deſignatus, anno 1348. ante conſecrationem obiit. Scripſit *de cauſa Dei & de Veritate cauſarum, contra Pelagium* Lib. III. qui Henr. Savilii cura, Londini, 1618 f. prodierunt. *Geometrica Speculativa*, Paris. 1530. *Arithmetica Speculativa*, Pariis, 1502. utraque, ibidem, 1512. *Tractatus Proportionum*, Venet. 1505. Alia ejus plura memorant Baleus, *Centur.* V, c. 87. Altamura, *Bibl. Præd.* p. 133. & in appendice, p. 489. qui eum ad Dominicanos falsò retulit. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 630. Adde, Anton. Poſſevinum, *in Appar.* S. & Henr. Whartonum. *Append. Cav.* p. 28. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 134. ſeq.

THOMAS CANTIPRATENSIS.

Natione Brabantus, Leuvis S. Petri celebri prope Bruxellam municipio, nobili proſapiâ ortus, regularem primò vitam in Cantiprato prope Cameracum egit, unde ei cognomen Cantipratenſis adhæſit, dein Ord. Præd. addictus, Alberti magni auditor, Thomæ Aquinatis æqualis, tandem Cameracenſis Epiſcopi ſuffraganeus factus, floruit ab anno 1252. ad 1263. Scripſit *Opus de Apibus Myſticis*, quod vocatur

catur *Bonum universale*, in eo namque omni hominum statui, tam Prælatis, quam subditis e mirifica apum republica rationem vitæ benè pieque instituendæ ostendere voluit. Prodiit Duaci, 1597. 1605. & cum notis Georgii Colvenerii, ibidem, 1627. 8. At non sine fucis & mendaciis, sicut docet Dorschæus. *Antikirch.* p. 275. *Vitam B. Christianæ*, dictæ *Mirabilis*, & *Vitam B. Mariæ Ogniacensis*, exhibet Surius, d. XXIII. Junii. *Vitam B. Lutgardis, Monialis de Aquiria*, idem, d. XVI. Junii. *Vitam* verò *B. Margaritæ Iprensis*, prodiit Duaci, 1618. Liber operosus, *de Naturis Rerum* interiit. Confer de eo Guil. Caveum, *Hist. Litter.* P. I. p. 506.

THOMAS CHAUNDLERUS.

Quem male *Johannem* scripsit Balæus, Anglus Somersetensis, prudentia pariter atque eruditione, circa annum 1457. conspicuus, post alia, quæ obiit, munera, Academiæ Cancellarius, Ecclesiæ Parochialis de Hardwyck Rector, Cathedralis Wellensis & Eboracensis metropoliticæ Cancellarius, Capellæ Regiæ & Herefordiensis Decanus factus, has dignitates omnes, senio fractus, abdicavit, placideque anno 1479. obiit. Ejus *Chronicam brevem de ortu, vita & gestis Wilhelmi de Wickam*, in publicum emisit Henr. Wharthon, *Angl. S.* T. II. p. 355. *Allocutionum opus de laudibus ejusdem*, formâ *Dialogi* conscripsit, cujus partem idem Whartonus, *loco citato*, p. 357. exhibuit. Alia ejus Manuscripta post Pitseum & Balæum, memorat Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. II. p. 312.

THOMAS CHESTERFIELD.

Sive *Chesterton*, Canonicus Lichfeldiensis, circa annum 1347. *Seriem Episcoporum Coventrensium & Lichfeldensium, & Historiam Ecclesiæ* a prima fundatione, ab ann. 656. ad sua tempora scripsit, quam cum *appendice* Guil. Whitlock & notis edidit Henr. Whartonus, *Angl. S.* T. I. p. 413. Conf. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. II. p. 279.

THOMAS.

Cistertiensis Monachus, eruditione, circa annum 1201. insignis, ad Pontium, Episcopum Claromontensem, *Expositionem Cantici Canticorum* scripsit, excusam, Paris. 1521. Lugduni, 1571. Hanc quidem Thomæ nostro abjudicant Jo. le Paige, Paulus Reatinus, Carolus

lus de Viſch & alii, de quibus fuſiſſime dixit Caſimirus Oudinus, *Supplem.* p. 443. ſeq. eosdemque, ex Codicum manuſcriptorum fide, ſolidè confutavit. Confer, quæ de Thoma exhibet Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 188.

THOMAS DORNIBERG.

Memmingenſis, Decretorum Artiumque liberalium Doctor & Conſulatus Spirenſis Advocatus, circa annum 1455. Autor *Compendii Theologicæ Veritatis* Lib. VII. anno 1473. & Argentinæ, 1489. fol. excuſi. *Aureola* ex floribus B. Hieronymi Confeſſoris contexta, Romæ, 1472. fol. prodiit. Loquitur de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 311. Ehingerus, *Bibl. Ang.* f. 96.

THOMAS HASELBACH.

Germanus, Theologiæ in academia Viennenſi Profeſſor, anno 1420. floruit, atque ſcripſit *Sermones Dominicales ſuper Epiſtolas Pauli*, anno 1478. excuſos. *Sermones de Confeſſione & de SS. Chronicon & enarrationes in Eſaiam* & alia recitat Gesnerus, *Bibl.* p. 795. Mentis acumen ipſi de negat Æneas Silvius, qui eum in primum Eſaiæ caput XXII. annos prælegiſſe, *Epiſtol.* 165. ſcribit. Diſſeruit de Thoma Haſelbach Guil. Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 302. quem amplexi ſumus.

THOMAS JORSIUS.

Sive *Joyce*, Alberto M. Præceptore uſus, Ord. Præd. Theologiæ Doctor, Pariſiis, atque Londini Scholas aperuit. Dominicanorum deinde in Anglia Provincialis, Edwardo Regi à Confeſſionibus & ſecretis Conſiliis, imò Cardinalis & Sabinenſis Epiſcopus renuntiatus eſt. Floruit Thomas anno 1305. juxta Henr. Whartonum, non verò 1400. juxta Trithemium & Caſimirum Oudinum. Obiit Lugduni in itinere, ad Henricum VII. Imperatorem à Clemente Legatus, anno 1311. Ejus ſunt *Commentarii in Libros Auguſtini de civitate Dei*, Toloſæ, 1488. excuſi. *Opus aureum in* XXVII. *Pſalmos*, Venet. 1611. fol. *Interpretatio Metamorphoſeos Ovidianæ ſecundum ſenſum moralem*, Paris 1509. *Comment. in Octateuchum: Comment. ſuper duos nocturnos Pſalmorum: de quatuor Prædicabilibus ad omne genus humanum: de Theoria prædicandi: de inſtantibus & momentis & de videndo faciem Dei poſt reſurrectionem*, & alia Manuſcripta, quæ recitat Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 8.

p. 8. Sixtus Senensis, *Bibl. S.* Labbeus, T. II. *de Scriptor. Eccles.* p. 435. 451. Casimirus Oudinus, *Supplem. de Scriptor.* p. 674. seq. Anton. Possevinus, *Appar.* S. T. II. p. 476. Aub. Miræus, *in Auctar.* c. 456. p. 266. Ambrosius de Altamura, *in Bibl. Prædic.* ad ann. 1311. p. 88. & *in append.* ejusdem anni, p. 467. qui tamen frustra Thomam nostrum in quatuor Scriptores dissecuit. Adde Balæum, Pitseum & alios. Multa tamen ex his Tho. Jorgii opusculis debentur Thomæ Walleis, de quo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 20. fuse disseruit.

THOMAS à KEMPIS.

Patriâ Kempensis, sive a Campis, modico in Diœcesi Coloniensi ad Rhenum oppido, aliàs *Hammerlein*, sive *Malleolus* cognominatus, Ord. Canon. Regular. S. August. Congregationis Windesimensis Religiosus, post Procurator & Superior, in monte Divæ Agnetis prope Zwollas in diœcesi Ultrajectensi, obiit ætatis anno 91. annô Salutis 1471. Vir pius & devotus, cujus quoque corpus, anno 1682. repertum, religiosè aliquando colendum, sperat Papebrochius, *Conat. Chronol. ad Catal. Pontif.* P. II. p. 83. *Vitam* Kempisii scripsit Jodocus Badius. Scripta verò variis in locis impressa videas, Noribergæ, 1494. fol. Paris. 1520, 1570. f. Venet. 1565. 1569. Antwerp. 1574. 1480. 8. Antwerp. 1607, 4. 1615. 8. Duaci, 1635. 8. Recenset illa Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 90. Seorsim verò prodiit *Alphabetum Religiosorum*, sub Bonaventuræ nomine, Argentinæ, 1495. Litigant Scriptores de autore hujus opusculi. Waddingus idem Bonaventuræ tribuit. Kempensi verò Trithemius, Possevinus, Sweertius, Rosweydus & alii. *Meditationes de Vita Christi ac de beneficiis ejus*, Colon. 1626. 8. *Chronicon Monasterii S. Agnetis*, Antwerpiæ, 1615. 1622. 8. Rosweydus edidit. *De Imitatione Christi* liber in omnes fere linguas translatus est. Extat enim Anglicè, Germanice, Gallicè, Italicè, Hispanicè, Bohemicè, Hungaricè, Arabicè, Turcicè, græcè & nescio, quo non idiomate, expressus. Græcè prodiit Aug. Vindel. 1615. Lat. —— 1485. 8. Venet. 1501. Antwerp. 1569. 12. Antwerp. 1621. 8. 1664. 24. Paris. 1640. fol. Amstelod. 1679. 12. & alibi. Parvus quidem iste liber, quoad molem, sed pretio magni habendus, adeò, ut Bellarminus post alios, Tho. Blountio, *Censura Celebr. Autor.* memoratos, de eodem scripserit: *Ego certe ab adolescentia & usque senectam hoc opusculum sæpe volvi & revolvi, & semper mihi*

mihi novum apparuit, & nunc etiam mirificè cordi meo sapit. De autore acriter olim fuit pugnatum, quam litem, cum nostram haud facimus, intactam relinquimus, rerumque cupidos ad Henr. Whartonum, qui ejus Historiam retulit, remittimus. Nec enim Joh. de Gersen, nec Thomæ nostro firmiter illum adscribimus, rationes pro utraque sententia reddentes. Neque pluribus eum autoribus adjudicandum esse, existimamus. Videant, quibus hæc scrutari placeat, quid in re tam intricata atque incerta adserere liceat. Phrases Enthusiasticas in illo quærunt Dannhauerus, Hunnius, Himmelius, aliique ex recentioribus Theologis. Hinc expurgatum illum & antidotis munitum, vernacula nostra edi fecit B. Patruus noster, D. Joh. Olearius, Lipsiæ, 1671. Agunt de Thoma à Kempis, Trithemius, Bellarminus, Valerius Andreas, *Bibl. Belg.* f. 837. Labbeus, T. II. p. 441. Lud. Jacob à S. Carolo, *Tract. de Bibl.* P. I. p. 55. Jacob Thomasius, *Schediasm. Histor.* p. 70. Heribertus Rosweydus, *in Vindiciis.* Naudæana. p. 93. 216. Patiniana, p. 99. Elias du Pin, & alii.

THOMAS de LEONTINO.

Sive Leutino, gente Siculus, Ord. Prædicat. Neapoli Prior, post Lombardiæ Provincialis, Episcopus Bethlehemiticus, Cusentinus Archi Episcopus. & Patriarcha Hierosolymitanus, Hierosolymæ anno 1277. juxta Labbeum, obiit. Scripsit *Vitam S. Petri Martyris Ordinis sui*, quæ habetur apud Bollandistas, ad d. XXIX. Aprilis. Dicunt de eo Bollandistæ *in Præludiis.* Altamura, *in Bibl. Domin.* ad ann. 1276. p. 45. Casim. Oudin, *Supplem.* p. 548.

THOMAS.

Maurigniacensis Abbas, circa annum 1144. claruit, cujus *Epistola ad S. Bernhardum* habetur apud Baluz. *Miscellan.* T. IV. p. 459. Hæc pauca de eo Guil. Cave, P. I. *Hist. Litter.* p. 465.

THOMAS PALMERANVS.

Doctor Sorbonnicus, circa annum 1290. Alphabetico ordine *Flores Doctorum* ex Patribus excerpsit, editos Parisiis, 1556. & alibi. *Flores* item *Bibliorum*, cum præcedenti opusculo, Parisiis, 1662. 12. Lugduni, 1678. & 1679. 12. T. II. Minoritis eum accenset Lucas Waddingus, *in Bibl. Ord. minor.* p. 326. eumque ad annum 1330. reponit.

Va-

Varias operum Thomæ Palmerani editiones recitat Antonius Possevinus, *in Appar. S.* Manuscripta verò Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 557.

THOMAS RADINUS.

Todischus quoque appellatus, Italus Placentinus, Ord. Domin. Theologiæ, Poeseos, Philosophiæ & Oratoriæ peritissimus, quæ omnia absque ullo Præceptore, addidicit, circa annum 1510. claruit. Extat ejus *Callipsychia, sive de pulchritudine animæ* Liber, Mediolani, anno 1511. excusus. *Abyssus Siderali*, Paris. 1514. 4. *Oratio contra Lutherum*, Lipsiæ, 1520. 4. alia *contra Melanchtonem*, Romæ, 1522. 4. Agit de eo Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 136.

THOMAS.

Dalmata Spalatensis, factus, anno 1200. in Patria Canonicus, & anno 1230. Archidiaconus, Pietate conspicuus, anno 1268. obiit. Ejus *Historiam Salonitanam* sive *Pontificum Salonitanorum atque Spalatensium*, cap. LI. ad calcem operis *de Regno Dalmatiæ & Croatiæ* excudi fecit Joh. Lucius, Amstelod. 1666. fol. p. 310. Conf. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. II. p. 248.

THOMAS STVBBS.

Sive *Stobæus*, Anglus Eboracensis, Ord. Domin. Theologiæ Doctor, ab anno 1360. ad 1373. & ultra floruit. Extat ejus *Chronicon Archi Episcoporum Eboracensium*, apud Twisdenum, inter X. *Scriptores Angliæ*, Londini, 1652. f. excusos, p. 1685. Vid. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 34. Plura ejus Manuscripta Theologica recitant Balæus, *Centur.* VI. c. 36. Pitseus, p. 512. Altamura, *Bibl. Domin.* p. 125. Antonius Senensis Lusitanus, *Bibl. Predic.* f. 247. Casimirus Oudin, Supplem. p. 632.

THOMAS WALDENSIS.

Netterus cognomento, VValdensis a natali loco, in agro Essexiensi sito, dictus, Ordin. Carmelit. in Anglia Prior, Concilio Pisano, anno 1409. & Constantiensi, anno 1415. interfuit, Henrico V. & VI. Angliæ Regibus, a Confessionibus & Secretis, obiit Rothomagi in Normannia, anno 1430. Vid. Pitseus, *de Scriptor. Angl.* f. 620. qui & Catalo-

talogum Scriptorum ejus exhibet, e quibus tamen vix unicum lucem adspexit, *Doctrinale antiquitatum fidei Ecclesiæ Catholicæ*, in tres Tomos digestum, quorum primus, *de Deo, Christo, Petro, Ecclesia, Religiosis.* Secundus, *de Sacramentis.* Tertius, *de Sacramentalibus*, agit, & Parisiis, anno 1532. fol. Salmanticæ, 1556. fol. Venet. 1571. f. & alibi excusum. Conf. Balæus, *Cent. VII.* c. 84. Labbeus, T. II. p. 449. & Henr. VVharton, *Append. Cav.* p. 60.

THOMAS.

VValsinghamus, ab oppido cognomine appellatus, Anglus Nortfolcienſis, Ord. Bened. Monachus & Præcentor in Cœnobio S. Albani, circa annum 1440. Extant ejus *de rebus Anglicis Historiæ II.* apud Cambdenum, inter *Scriptores Angl. Normann.* Londini, 1574. fol. Francof. 1602. fol. Alia ejus repræsentat Baleus, *Cent. VII.* c. 88. & ex eo Henr. VVharton, *loco citato*, p. 82. Conf. Antonius Possevinus, *in Appar. S. T. II.* p. 473. Aub. Miræus, in *Auct. de Scriptor.* c. 515. p. 279. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 713. seq.

THOMAS WICCIVS, vide WICCIVS.

TICHONIVS.

Afer, Donatistarum Patronus, anno 390. vixit, Vir divinæ & humanæ Sapientiæ peritissimus, scripsit *Comment. in Apocalypsin S. Joh. XIIX. Homil.* comprehensum, nec satis sanum, quem inter Augustini, cui falsò adscriptus, *Opera*, T. IX. reperias. *Regula VII. ad Investigandam & inveniendam intelligentiam SS.* ibid. cum examine Augustini extant. Habentur quoque in *Bibl. Patrum* passim, correctissima verò & novissima *editione Lugdun.* T. VI. p. 49. Evolvas quoque Cl. Caveum, P. I. p. 165. qui *Libros III. de Bello intestino*: item *Expositiones diversarum causarum*, memorat. De eo Augustinus, Lib. III. *de Doctr. Christ.* c. 30. & Lib. II. *retract.* c. 18. Cassiodorus, *Præf. in Psalmos & Lib. Divin. Instit.* c. 9. Isidorus L. I. *de Somno bono.* Molanus, in *Bibl. Manuscript. S.* du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 3.

TIMOTHEVS.

Episcopus Alexandrinus, anno 379. factus, Gregorii Nazianzeni hostis infensissimus, obiit, anno 385. Scripsit *Responsa Canonica*, quæ

quæ cum *Balsamonis Comment.* gr. lat. Paris. 1618. & Oxonii, in *Pandect. Canon. T. II.* anno 1672. prodierunt. *Narratio de Miraculis S. Menæ* habetur Lat. apud Surium, ad d. X. *Nov. Epistolam ejus ad Diodorum Tarsensem* citat Facundus, L. 4. c. 2. *Librum de Vitis Monachorum*, Sozomenus L. 6. c. 29. p. 680. Tract. *de Hæresi Manichæorum* penes Cl. Galeum, manuscriptum extare, fidem facit Cave, P. II. p. 50. qui alia, quæ huc faciunt, nec minus erudita, commonet. Adde Eliam du Pinium *Bibl. Nouv.* T. II. p. 128.

TIMOTHEVS.

Magnæ Ecclesiæ Constantinopolit. Presbyter, Vasorum Templi S. Dei paræ in Chalcopratis custos, circa ann. 511. clarus, quo Patriarcha Constantinopolit. constitutus est. Plura de eo memorat ex antiquis, Theodorus Lector, Lib. II. p. 563. & ex recentioribus Cave, P. I. p. 315. P. II. p. 106. Scripsit ad *Joh. Presbyterum Constantinopolit. Epistolam de variis hæreticis ac diversis eorundem in Ecclesiam recipiendi formulis*, quæ lat. extat in *Bibl. Patr.* prioribus editionibus. Græcè apud Joh. Meursium, in *Variis divinis*, Lugd. Batav. 1619. 4. editis. gr. lat. apud Combefis. *Auctar. Nov.* T. II. cum notis apud Cotelerium, gr. lat. *Monument. Eccles. gr.* T. III. p. 377. Manuscriptus in Bibl. Vindobonensi, editis multo auctior habetur.

TIMOTHEVS.

Presbyter aliquis Hierosolymitanus, a Coccio ad annum 570. collocatus, sed sine ratione, sic ut ait *Chronologicus Index Bibl. Patr. Colon.* Ejus *Homilia de Prophetâ Simeone Christum Ulnis suscipiente, Bibliotheca citata*, T. IV. extat.

FRANCISCVS TITELMANNVS.

Belga, territorii Leodicensis oppido, Hasselt, ortum duxit, Ord. Min. Lovanii prius, dein Capuccin. Romæ addictus, anno 1537. non vero 1553. uti Miræus *Elog. belg.* f. 63. tradit, obiit. vid. Willotus, *Athen. Francisc.* p. 144. seq. Labbeus, T. II. p. 324. Scripsit *Elucidationem in Psalterium*, editam Lugd. 1556. in *Math. & Joh.* ibidem. item in *Jobum, Ecclesiast. Canticum, in Epist. Apost. &c.* Tract. *de Superbenedicta Trinitate*, excusum, Antw. 1530. annexa *orationi, de præmaturâ mortepiorum.* Extant

quoque post alia multa, ejus *Lib. XII. de Considerazione rerum naturalium, earumque ad Creatorem devota & hymnidica reductione*, Paris 1543. & alibi.

ALPHONSVS TOSTATVS.

Hispanus, in Vaccæis Madrigale natus, ex Doctore & Presbytero Salmanticensi, Abulensis in eadem Hispaniâ Episcopus, Consiliarius Regius, Majorque referendarius, obiit 40. tantum annorum, anno 1454. Concilio Basileensi interfuisse creditur, Vir ultra Seculi captum eruditus, de quo Hispani dixerunt, *Hic stupor est mundi qui scibile discutit omne.* Joh. Marianæ, Lib. XXI. c. 18. f. 286. *Alfonsus Tostanus* dicitur & Scriptorum, librorumque, manu propriâ exaratorum, mole, antiquitatis cognitione, pietate, eruditioneque multiplici ad miraculum clarus audit. Tot atque tanta conscripsit Tostatus, ut si vel à primo natalis die numerando terna cuique folia attribuas, plura scripsisse comperias. Plus enim ac quadringenti illius libri ex Hispania in Italiam advehendi, ad prelumque parati, naufragio immersi sunt, ut ejus jam impressa taceamus. Nævos in eo varios animadvertas. Præterquam enim, ut Mariana *loco citato*, testatur, in Papalem autoritatem, ipsum studio defendendi sua ante proposita, ab Eugenio, P. R. notata, & Cardin. Turrecremata impugnata, placita, invectum, rudem ejus in Hebraicis ignorantiam notat Havemannus, *Theognos.* p. 81. & Aug. Torniellus, *Annal.* f. 263. b. In eodem majorem quoque erga Patres reverentiam desiderat Lorinus, *Commentar. ad Psalmos*, f. 83. Huc refer, quod Dorscheus, *Consil. Sirmiens.* p. 185. ait, eum contra Lyranum etiam calore juvenili disputasse, & testimonia V. T. pro SS. Trinitatis Mysterio, judaicis exceptiunculis aggressum esse. Ejus Scripta Venetiis, 1530. 1596. & Coloniæ, 1612. T. XXVII. fol. prodierunt. Sunt autem *Commentarii in Deuteronomium, Josuam Judices, Ruth, in Libros Regum, Paralipomenon, in Evangelium S. Mathæi, defensorium trium Conclusionum*, Lib. *de V. figuratis Paradoxis*, seorsim quoque Duaci excusus, anno 1621. 8. *Libellus de SS. Trinitate*, & Tractatus varii. *Censura Colloquii Ratisponensis* seorsim prodiit alicubi, 1608. 4. *Comment. in Libros Chronicorum Eusebii*, Hispanicè, Salamanticæ, 1506. *Quæstiones XIV.* Antwerpiæ, 1551. Aliorum ejus deperditorum titulos recitat Anton. Possevinus, in *Appar.* S. T. I. p. 47. Agunt de Tostato, Aub. Miræus, *Auctar. de Script. Eccles.* f. 29. Heur. Wharton, *Append. Cav.* p. 75. Andr. Schottus & Nicolaus Antonius, in *Bibl. Hispan.* quos consulas.

TITVS.

TITVS.

Boſtrorum Epiſcopus, anno 362. clarus, obiit circa an. 371. Scripſit *Lib. III. adverſus Manichæos*, quos Henr. Caniſius, *Lection. antiq.* T. V. inſeruit, exinde in *Bibl. Patr.* T. IV. translatos. *Homil. in Ramos Palmarum*, apud Combefis. *Auct. Nov.* T. I. p. 635. quam tamen noſtro Tito Boſtrenſi abjudicat Cave, P. I. p. 128. *Expoſitio in Evangel.* S. Lucæ, quæ itidem noſtro non adſcribenda, prout egregie Cl. Richard. Simonius, *Hiſt. Crit.* N. T. c. 30. edocuit. Citat. enim ibidem Chryſoſtomum, Gregor. Naz. Cyrillum Alex. & alios, ſeipſo recentiores. Plura Titi Boſtrenſis fragmenta exhibet Corderius, in *Catena Patrum in Lucam.* Prodiit primum *Expoſitio illa* in Lucam, interprete Theodor. Peltano, cum Victoris Antiocheni *in Marcum Commentariis*, latinè Ingolſt. 1579. & gr. lat. in *Bibl. Patr.* Conf. Labbeus, T. II. p. 452. Vide quid de diverſis Titis Boſtrenſibus annotaverint Dorſcheus, P. I. *Theol. Zachar.* p. 301. & Tho. Ittigius, *Præf. Catena Patrum*, *p. 63.* Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 128.

TRIFOLIVS.

Presbyter, anno 520. clarus ſcripſit *Epiſtolam ad Fauſtum, Senatorem Romanum, de doctrina Scytharum Monachorum*, quam ex Schedis Sirmondianis mutilam produxit Labbeus. Vid. illam *Concil.* T. IV. p. 1590. Pauca de eo Cave P. I. p. 281. & Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 36.

TVRCIVS RVFVS ASTERIVS.

Patricius, Vir conſularis, vixit anno 494. & ſcripſiſſe fertur *Collationem V. & N. T.* carminicè, quæ à quibusdam Claud. Mamerto, ab aliis, Sedulio tribuitur. Extat ſub Turcii nomine in *append. Bign.* p. 701. & *Bibl. Patr.* T. IX. p. 464. & alibi. Rectius tamen Sedulii dicitur hoc Poema, quod e Scriniis ejus protraxit Turcius. Evolvas Cl. Caveum P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 266.

TVRGOTVS.

Anglus, Prior & Guilielmi Epiſcopi, Archidiaconus, Decanus, Vice Dominus & tandem S. Andreæ in Scotia Epiſcopus, floruit anno 1108. Obiit Dunelmi, ann. 1115. Scripſit *Hiſtoriam Eccleſiæ & Epiſcoporum*

rum Dunelmensium, à primis temporibus ad annum 1097. Capit. 116. Extat illa manuscripta in Angliæ Bibliothecis. Audax nimium facinus Simeonis Dunelmensis, qui Scriptoris adeo sibi nuperi opus sibi ipsi quasi novum atque proprium, arrogavit, suoque sub nomine, paucis demtis, vulgavit. *Vitam Malcomi Regis Scotorum* Turgoto adscribit Vossius, *de Hist. Lat.* Lib. II. p. 397. Conf. de eo Guil. Cave, P. II. p. 220. & quem allegat, Jo. Seldenus, *Præf. ad Hist. Angl. Script. X.* p. 4. seqq. Baleus, *Cent. II. Lib. LX.* p. 169. Pitseus, *de Script. Angl.* p. 194.

TVRIBIVS.

Hispanus, Asturicensis, anno 447. Episcopus, scripsit *Epistolam* ad Idacium & Ceponium, Hispanos Episcopos, de non recipiendis Libris apocryphis & de damnatione Priscillianistarum, quam extulerunt Ambrosius de Morales, *Hist. Hisp.* Lib. II. c. 26. Baronius, ann. 447. p. 43. & Josephus d' Aguirre, *Concil. Hispan.* T. II. p. 218. qui postremus genuinam ejus autoritatem adversus Baluzium egregie vindicavit. Plura, quæ perierunt, Turibii Scripta, adduçit Cave, P. II. p. 86.

TVRPINVS.

Vel *Tilpinus*, ortu Gallus, ex Monacho S. Dionysii Parisiensis, Carolique M. Secretario, Archiepiscopus Rhemensis factus, anno 773. claruit, obiit, anno 811. Circumfertur sub ejus nomine *Historia de Vita Caroli M. & Rolandi*, apud Reuberum, *Script. German.* p. 67. Verum non immerito hunc laborem Turpino abjudicant, Hottomannus, Papirius Massonius, Dunza, Vossius, Cave, aliique, quos consule. Nec enim congruunt tempora & alia antiquitatis monumenta. *Vitam* Turpini prolixius describunt Sanmarthani, *in Gall. Christ. in Archiepiscopis Rhemensibus.*

V.

VALENTINVS.

PHilipopoleos Archi Episcopus anno 457. clarus, dedit *Epistolam* de Synodo Chalcedonensi, ad Leonem, Imperatorem, quam lat. *Concil.* T. IV. p. 909. exhibet. Pauça de eo Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 254.

PRISCVS

PRISCUS VALERIANUS.

Cemelienſis, ſive Cemelenſis aut Cimellienſis Vediantiorum in extrema Alpium maritimarum provincia Epiſcopus, qui Regenſi anno 439. & Arelatenſi 455. Synodis interfuit, ſcripſit *Homilias* XX. Pariſiis, 1612. 8. Sirmondi curâ cum *Epiſtola ad Monachos Paranetica* vulgatas, & cum *Leonis* atque *Chryſologi Operibus*, Theophili Raynaudi operâ, Lugduni, 1633. f. & *in Bibl. Patr.* T. VIII. Priſci Valeriani, Cimelenſis Epiſcopi, *Sermo de Bono diſciplinæ*, juxta cum VII. aliis *Scriptoribus Paraneticis Veter.* excuſus eſt, cum notis Melch. Goldaſti, Inſulæ, 1604. 4. Semipelagianiſmi quidem Valerianum accuſavit ſcriptor quidam Anonymus, ſed minus recte, arbitrante Raynaudo, qui peculiari iſtum *Apologia* defendit, cum Valeriani opuſculis impreſsâ. Vide, ſi placet, Guil. Caveum, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 240. & Labbeum, T. II. *Diſſert.* p. 454. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 179. qui omnes Valeriani *Homilias* ordine enumerat.

VALERIUS.

Hiſpanus Aſturicenſis, Monachus & Cœnobii S. Petri de montibus in Galæcia, Abbas, ab anno 680. ad 695. claruit. *Vitam S. Fructuoſi, Epiſcopi Bracarenſis*, ab ipſo ſcriptam, exhibet Mabillonius, *Sec. Bened.* II. p. 582. *Tractatus de inſtitutione novæ vitæ*, apud Joh. Tamajum, in *Martyrologio*, d. XXV. febr. habetur. *Vita S. Eucheriæ, Hiſtoria Revelationis & Miracula SS. Maximi & Bonelli, Liber de vana Seculi Sapientia*, & alia in membranis delitescunt. Conf. de eo Nicolaus Antonius, *Bibl. Hiſpan. Veter.* L. V. c. VII. p. 302. & poſt hunc Guilielmus Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 133. qui alium quoque Valerium, Archipresbyterum Aſturicenſem, P. I. p. 404. memorat, eundemque circa annum 404. floruiſſe, atque multas *Patrum Orientalium vitas* exaraſſe, ſcribit. Meminit hujus Aub. Miræus, *in Auctar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 279.

LAURENTIUS VALLA.

Patricius Romanus, anno 1415. natus, SS. Theologiæ Doctor & Eccleſiæ S. Joh. Lateranenſis Canonicus, ab anno 1440. ad 1465. floruit. Laudamus in eo latinæ eloquentiæ vim atque elegantiam, reprehendimus verò cum aliis mordaciſſimum ejus ingenium, acutumque in alios calamum, præſertim in Jo. Franc. Poggium. Hinc

variâ quoque cum fortuna conflictatus fuit, adeò, ut Româ excederet, atque Neapoli, flammas, quibus addictus, singulari Alphonsi V. Regis, intercessione, vix evaderet, scopisque in foro publico cæderetur. De stylo ejus egregiè judicat Erasmus, Lib. VII. Epistol. 3. *Et quis tam exigui, inquit, animi est, cujus pectus tantis invidiæ angustiis concluditur, ut Vallam non & magnificè laudet & amet quam maximè, qui tanta industria, tanto studio, tantis sudoribus barbarorum ineptias refellit, litteras penè sepultas ab interitu vindicavit, prisco eloquentiæ splendori reddidit Italiam: doctis etiam id præstitit, ut posthac circumspectius loqui cogantur.* Plura ejus encomia congessit Tho. Pope-Blount, *Censur. celebr. Autor.* p. 462. seq. Scripta ejus prodierunt Basileæ, 1540. fol. Ex iis huc faciunt *de Libero Arbitrio ad Garsiam, Episcopum Ilerdensem, Liber*, seorsim quoque Venetiis, 1516. excusus. *De Mysterio Eucharistiæ Sermo*, qui Argentinæ, 1490. 4. prodiit, *Annotationes in N. T.* Parisiis, 1505. Basileæ, 1541. 1545. Amstelodami, 1631. 8. *De ementita Constantini donatione declamatio*, in *fasciculo Rerum expetend.* Colon. 1535. fol. & apud Schardium, inter *Scriptores de Potestate Imperiali*, &c. Basil. 1566. f. Argentor. 1618. & seorsim, Lugduni, Batav. 1620. 4. Alia, quæ scripsit, exhibet Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 83. Conf. de eo Paulum Jovium, *in Elog. Doctor. Viror.* c. 13. Boissardum, *in Iconib.* Jo Trithemium, *de Scriptor. Eccles.* c. 748. Hanckium, P. II. de *Scriptor. Rom.* p. 110. Vossium, de *Histor. Lat.* L. III. c. 7. Baylium & Buddeum, *in Lexicis.*

ALPHONSUS VARGAS.

Hispanus, patriâ Toletanus, Ord. August. Philosophus atque Theologus Parisiensis, Usamensis, post Pacensis Episcopus & Hispalensis Archi Episcopus, ab anno 1358. ad 1366. floruit, quo juxta Phil. Elssium, Hispali defunctus. Scripsit *Comment. in Librum I. Magistri Sententiarum*, Venetiis, 1490. impressum, & *Quæstiones in Aristotelis Libros III. de anima*, qui Vincentiæ, 1608. Venet. 1566. prodierunt. Loquuntur de eo Andr. Schottus, *Bibl. Hispan.* p. 263. Labbeus, T. I. p. 40. Philippus Elsius, *Encom. Augustin.* Jos. Pamphil. *Chron. Ord. Augustin.* Nicol. Antonius, *Bibl. Hispan. Vet.* Henr. Wharton, *Append. Cav.* pag. 33.

FRANCISCUS VATABLUS.

Gamachianus, cui linguâ patriâ nomen fuit Gastablæi, Quatablé,

teblé, quasi diceres, triticiperdam, patefacta in Francico Regno Evangelii Luce, sub Francisco I. Hebr. Linguæ Professor, anno 1530. constitutus, sicuti de hoc Mæcenate, quem vocat, cognatoque materno suo scribit Mathæus Beroaldus, *Chron.* Lib. IV. c. 8. p. 339. Confer Th. Bezæ *Icon. illustr.* f. 139. Genebrardus Papicolam eum facit, *præf.* in Origenem, vide & Possevinum, *Bibl.* L. II. c. 11. f. 177. & Serarium, *prolegom. bibl.* c. 18. qu. 1. Conf. Gerhardus Meier, *Bibl. Theolog.* p. 193. ubi de *Versione & notis biblicis* Vatabli nomine celebratis, & ab Henrico Stephano, Parisiis 1545. excusis, ait, quod per errorem Vatablo tributæ, cum Tigurinorum quorundam Theologorum operâ confectæ fuerint, id quod ante Meierum, Possevinum etiam, Genebrardum & Serarium tradidisse legimus. Vide tamen Richardum Simonium, *Histor. Crit.* V. T. L. III. c. 1. Quod autem de Hispanica editione addit Meierus, utique Salmanticæ, anno 1584. Biblia Vatabli, sed innumeris castrata locis, edita, constat ex Possevino, *loco citato*, f. 178. Anno 1540. Lutetiæ obiisse Vatablum, at æterna fama victurum, referunt Sanmarthani, T. I. *Galliæ Christianæ* f. 461. b. anno verò 1547. Theodorus Ebertus, *Chronolog. Doctorum Lingu. S.* p. 38. & alii. Confer de Vatablo, post autores citatos, Thuanum, Melchiorem Adami, Natalem Alexandrum, *Histor. Eccles. Sec. XVI.* Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. XIV. Teisserium, *Eloges des Scavans*, aliosque plures.

UBERTINUS vide HUBERTINUS.

UDALRICUS de ARGENTINA.

Sive Argentoratensis, cui inclyta patria, ceu aliis, cognomen dedit, Ord. Præd. Alberti M. discipulus, circa annum 1280. florens, teste Trithemio, scripsit *Compendium Theologiæ*, quod inter *Thomæ Aquinatis Opera* habetur. *de foro Conscientiæ, & de casibus Juris: Comment. in IV. Libros Sententiarum; Summam Theologiæ & de Anima*, & alia, de quibus Altamura, Miræus, Simlerus, Guilielmus Caveus, loquuntur.

UDALRICUS.

Augustanus Episcopus, Comes cæteroquin Dillingensis, circa annum Domini 930. vigens, relatu Grynæi, *præf.* ad *Orthodoxogr. Veter. Patr.* Extat ibidem, T. I. *Lat. Patr.* f. 481. & apud Calixtum, *Tract. de Conjugio Clericorum, Append.* f. 1. ejus *Epistola de Conjugio Sacerdo,*

dotum, ad Nicolaum I. P. R. scripta, qua contendit, conjugium ex æquo omnibus adeoque & Sacerdotibus concessum, nec illis vel jure vel prætextu posse prohiberi. *Epitomen illius Epistolæ* vide apud Schopffium, *Academ. Jesu Christi, Class. 9.* f. 143. Conf. Heilbrunneri *Papatum acatholicum*, f. 656. & Calixtum, de *Conjugio Cleric.* p. 502. & Lydium, *notis ad Clemang.* f. 25. a. Bellarminus, aliique complices, ejus non meminerunt, forte, quia non ad Rhombum.

UDALRICUS.

Monachus primum S. Blasii in Hercinia Silva, post Episcopus Constantiensis electus, scripsit *vitam S. Gebhardi, Augustani Episcopi*, Lib. II. quam vide apud Canisium & Surium, d. 27. Aug. *Vitam S. Conradi, Episcopi Augustani*, apud eundem Surium, d. 26. Novembr. rediit demum Udalricus liberè ad Monasterium S. Blasii, circa annum 1138. ibidemque anno 1140. juxta Casimirum Oudinum, *Supplem.* p. 396. obiit.

JOH. VECCUS.

Sive *Beccus*, gente Græcus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylax, post Patriarcha, anno 1274. constitutus. Unionem quidem ab initio cum Latinis aversatus, posteà verò partes illorum strenuè tutatus. Obiit, relictâ Sede, in exilio, post annum 1284. De eo vere judicavit Gregoras, *Hist. Lib. V. Vir erat excellenti ingenio & doctrinæ studiis ab ineunte versatus ætate, præterea tantis naturæ donis ornatus, quantus quisquam alius illius ætatis. Nam acumine ingenii & eloquentia & Ecclesiasticorum dogmatum usu omnes cum illo collati pueri videbantur.* Scripsit Veccus, *de unione Ecclesiarum veteris & novæ Romæ Lib. de Processione SS. capita XII. Epistol. ad Alexium Agallianum, de eadem materia: Sententiam Synodalem: Testamentum*, quæ omnia vulgavit Leo Allatius, *Græc. Orthod.* T. I. p. 61. seq. *De omnibus suis Libris & SS. Patrum consensione animadversio* habetur, ibidem, T. II. p. 1. *De injustitia, quam passus est thronoproprio ejectus*, ibidem, p. 11. *Oratio Apologetica de injustitia*, p. 36. *Apologia nullo modo nostras consuetudines destrui, si Ecclesia acceptamus unionem*, p. 84. *ad Theodorum, Sugdeæ Episcopum*, Lib. III. *de Processione SS.* latinè, cum aliis, edidit Nihusius, Moguntiæ, 1655. 8. *Tertium* verò ex illis Leo Allatius, ad *calcem Libri de Purgatorio*, Romæ, 1652. 8. *Ad Constantinum Lib. IV. de eadem re*, gr. apud Leonem Allatium, *Græc. Orthod.*

T. II. p. 149. extant. *in Tomum Cyprii & novas ejusdem hæreses Orationes extemporaneæ II.* ibidem, p. 215. *Refutationes Andronici Camateri animadversionum de Processione SS.* p. 287. *Epigraphæ sive Præscriptiones XIII. in Dicta & Sententias SS. Patrum a se collecta de Processione SS.* T. II. p. 522. Plura ejus Manuscripta memorat Allatius, de *Consensu*, L. II. §. 15. c. 8. Conf. Guilielmus Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 510. & Maimbourg, *Hist. du Schisme des Grecs*, & alii.

VENANTIUS.

Honorius Clementianus Fortunatus, natione Italus, in vico Duplabili, non longè ab urbe Tarvisina, natus, Ravennæ autem Litteris cultus, oculis laborans oleo lampadis ad S. Martini Turonensis imaginem ardentis, sanatus, ut quidem ipse putavit & versibus decantavit. Hinc Turones in Gallia ad S. Martini sepulchrum, grati animi causâ, venit, atque deinde ad Pictavos transiit, ubi Presbyter constitutus. An fuerit Episcopus Pictaviensis Ecclesiæ, ambigunt multi. Christophorus Browerus, S. J. eum, brevi licet tempore, Episcopatum istum administrasse testatur, *vitamque* ejus, item *Epistolas*, aliaque Opera, ex fide veterum exemplarium, notis illustrata edidit, Moguntiæ, 1603. & 1616. 4. Obiisse dicitur anno 590. apud Sanmarthanos, T. III. *Galliæ Christianæ*, f. 873. qui tamen dubio procul aberrant, eò, quod anno adhuc 600. superstes fuit Venantius. Labbeus emortualem annum ignorari ait. T. II. p. 457. *Magni ingenii vates & si in alia tempora incidisset, maximus*, Barthio dicitur, *not. ad Claudian.* f. 3. a. Confer. *Adversar.* L. 5. c. 12. & L. 46. c. 3. Extant quoque ejus *Homilia & de Oratione Dominica & Symbolo Apostolico*, T. II. *Bibl. Patr.* edit. 2. Paris. f. 1144. & *Orthodoxogr. Patr. Lat.* I. f. 1221. *Carmina de vita S. Martini*, T. VIII. *Bibl. citat.* f. 779. & seorsim, Parisiis, 1511. 4. *Poemata Venantii* extant in *Corpore omnium Poetarum Veterum*, Lugduni, 1603. 4. T. II. Genevæ, 1611. 4. Lugduni, 1616. 4. & in *Appendice Bigneana*, Parisiis, 1624. p. 752. & in *Bibliotheca Patrum*, T. X. p. 520. *Pean* ei tributus *de modo Redemptionis*, qui incipit: *Pange Lingua gloriosi*, cum aliis consimilibus, illustratus extat per Georgium Fabricium, Lipsiæ, 1568. *Alium de Resurrectione Jesu Christi*, è quo Ecclesia suum *Salve festa dies*, lat. & german. apud nos canit, animadversionibus eruditissimis illustravit, ac Wittebergæ, edi. anno 1627. 8. fecit Aug. Buchnerus. *Vita S. Hilarii Pictavensis*, apud Surium d. XIII. Januar. *S. Albini, Andegavensis Episcopi*, ibidem, d. 1. Martii. *S. Germani Parisiensis Episcopi*, d.

XXVIII. Maj. *S. Radegundis, Regina*, d. XIII. Aug. *S. Marcelli, Parisiensis Episcopi*, d. I. Novembr. *S. Amantii, Rutheneusis Episcopi*, d. IV. Nov. *S. Remigii, Rhemensis Archi-Episcopi*, d. I. Octobr. *S. Paterni, Episcopi Abrincatensis*, apud Mabillonium, *Sec. Bened.* II. p. 1100. Spurias judicat Guil. Cave, *Vitam Mauritii, Andegavensis Episcopi*, ibid. d. XIII. Septembr. *& S. Medardi, Noviomensis Episcopi*, quæ ibidem, d. VIII. Junii, & prosâ scripta, apud Dacherium, *Spicileg.* T. VIII. habetur. *Phoenicem Lactantii* Venantio tribuerunt quidem Caspar Barthius, Samuel Bochartus & alii. Vide Jo. Alb. Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 679. De Venantio, Aimoinus, Lib. III. *Histor. Franc.* c. 131. Sigebertus, *de Scriptor.* Eccles. c. 44. Trithemius, Bellarminus, Labbeus, Guil. Cave, P. I. p. 295. P. II. p. 111.

VERECUNDUS.

Seu *Vergundus*, Juncensis in Cyzacena Africæ Provincia Episcopus, anno 546. clarus, ob trium Capitulorum defensionem in exilium missus. Chalcedone, anno 552. mortalitatis exuvias deposuit. Huic tribuit Petrus Allixius, in *dissert. de vita & Scriptis Tertulliani, Carmen de judicio*, Tertulliano alias adscriptum. Plura dabit Guil. Cave, P. I. p. 291.

VERVS.

Rutinensis in Gallia Episcopus, anno 625. Concilio Rhemensi interfuit, atque *Epistolas* II. conscripsit, quas vide apud Canisium, *Antiqu. Lect.* T. V. Pauca de eo Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 317.

VICTOR.

Antiochenus Presbyter, vixit Chrysostomi tempore, circa annum 401. Ejus *Commentarium in Marcum*, unacum *Titi Bostrensis in Lucam*, primus Latinitate donavit ediditque Ingolstadii, 1580. Theod. Peltanus. Inde quoque extat T. I. *Bibl. Patrum Paris.* 2. f. 978. & *edit. noviss.* T. IV. p. 370. *Scholia in Epistolam, S. Jacobi: in S. Petri primam & secundam: in S. Joh. I. II. III. in S. Judæ Epistolam*, manuscripta penes se habuit Sebastianus Feschius, J. V. Professor Basileensis, prout ex ejus ad Galeum Epistola Caveus P. II. *Hist. Litter.* p. 81. probat. Conf. de eo Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 74.

VICTOR

VICTOR CAPVANVS.

Capuæ Episcopus, circa annum 545. vir græce & latinè eruditus, scripsit *de Cyclo Paschali*, cujus fragmenta apud Bedam, *Lib. de Tempor. capit. 49. & de Æquinoct. vernal.* T. II. habentur. *Ammonii Harmoniam Evangelicam* Latinè vertit, quæ in *Bibliothecis Patrum* & *Orthodoxogr. Lat.* T. I p. 780. *Catenam in IV. Evangelia* manuscriptam adservavit Feuardentius, ut testatur Guil. Cave, P. I. p. 291. Conf. Labbeus, T. II. p. 461. Elias du Pin, *loco citato*, T. V. p. 80.

VICTOR.

Natione Afer, Cartennensis Episcopus, circa annum 460. cujus *ad Gensericum, Vandalorum Regem, Liber adversus Arianos* prolixus interiit. *Liber* verò *de Pœnitentia Publicani*, inter *Ambrosii Opera* extat. *Liber* denique *ad Basilium super morte filii consolatorius*, inter *Opera Basilii*, *Homiliæ* ejus Gennadio, *de Scriptor.* c. 77. memoratæ, desiderantur. Loquuntur de eo Guil. Cave, P. I. p. 255. & Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 180.

VICTOR CARTHAGINENSIS.

Gente Afer, Episcopus, anno 646. Carthaginensis, dedit ad Theodorum Papam *Epistolam*, quâ eum de creatione sua certiorem reddidit & orthodoxam de duabus in Christo Voluntatibus fidem declaravit. Habetur illa gr. lat. *Concil.* T. VI. p. 151. Conf. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 324.

VICTOR II. P. R.

Gebehardus aliàs dictus, natione Noricus, Henrico, Imperatori à Consiliis, & Episcopus Eistetensis, anno 1055. Papa consecratus, anno 1057. Florentiæ obiit. Ejus *Epistola* ad Humbertum, Sylvæ Candidæ Episcopum, *Concil.* T. IX. p. 1077. Vide, si placet, post alios, Guil. Caveum, P. I. *Hist. Litter.* p. 426.

VICTOR III. P. R.

Patriâ Beneventanus, Beneventani Principis filius, circa annum 1027. natus, anteà dictus *Dauferius*, post *Desiderius*, Abbas Cassinensis, anno 1056. post Cardinalis, anno 1059. atque demum Pontifex, anno 1087. vel invitus ordinatus, veneno calici infuso extinctus est.

Ejus

Ejus *Dialogi*, satis fabulosi, Parisiis, 1666. 8. cum notis Jo. Bapt. Mari, qui eosdem Romæ quoque superioribus annis cum notis ediderat, prodierunt, inde apud Mabillonium, *Sec. Bened.* IV. P. II. p. 425. apud Henschenium, d. XXI. Martii, & in *Bibl. Patr.* T. XIIX. p. 837. *Oratio ad Episcopos in Synodo Beneventana habita*, apud Leonem Ostiensem, *Chron. Cassin.* L. III. c. 71. & Baronium, ad ann. 1087. habetur. Musices, ut & Medicæ artis peritissimus hic Papa extitit, & inter alios *Cantum de S. Mauro* composuit, in quo Magadium quoddam indicat, quod fuit ea Lyræ pars, in qua plectrum illidebatur, & percussio chordarum manu dextrâ fiebat, annotante post Budæum, Jo. Bapt. Maro, *loco citato*. Conf. Ludov. Jacob. à S. Carolo *Bibl. Pontif.* p. 219. Guil. Cave, *Histor. Litter.* P. I. p. 435. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII.

VICTOR PORCHETVS vide PORCHETUS.

VICTOR TUNNUNENSIS.

Sive Tononensis aut Tunonensis, ut alii scribunt, in Africa Ecclesiæ Episcopus, quem Ttithemius Cumunensem, Honorius Cemmensem, Otto Frisingensis alicubi Turonensem, Siffridus & Possevinus, Tmuensem, & Commenensem, omnes per errorem eò abducti, vocant, arguente Labbeo, T. II. p. 462. Floruit Victor ab anno 514. usque ad 566. quò decessit, postquam varia ob trium Capitulorum defensionem incommoda perpessus fuerat. Ejus *Chronicon* ab anno 444. ad 566. Henricus Canisius, cum aliis quibusdam, Ingolstadii, 1600. 4. & Scaliger, cum *Chronico Eusebiano* edididerunt. Conf. Vossius, *de Histor. Lat.* Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 293.

VICTOR UTICENSIS.

Aut rectius, secundum B. Rhenanum, Holstenium, Chiffletium, virosque doctos alios, Vitensis sive Vitanus in Africa Episcopus, sub Zenone, Imperatore, anno circiter 487. floruit, scripsitque *Libros III. de Persecutione Vandalica sub Genserico & Hunnerico, Regibus*, seorsim excusos, Colon. 1535. Basil. 1539. Paris. & 1541. 1569. 8. Divione, 1664. 4. cum aliis. Eosdem habes T. I. *Orthodoxogr. Lat.* f. 799. & *Bibl. Patr. Paris.* 2. f. 1890. *edit. recentiss.* T. VIII. p. 675. Hujus omnino esse *Rationem fidei exigenti Hunnerico* datam, Victori Africano communiter adscriptam, Labbeus ait, T. II. p. 466. ubi & Vossium carpit, eò, quod

quod persecutionem Vandalicam Divi Augustini tempore in Africa eveniſſe ſcripſerit, cum certum ſit, anno 430. eum obiiſſe, Genſerico in Africa vix dum conſiſtente. Vide de Victore Vitenſi Guil. Caveum, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 263. Caſimirum Oudinum, *Supplem. de Scriptor.* p. 104. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IV.

FABIUS MARIUS VICTORINUS.

Natione Afer, Rhetor primum Romanus & Conſularis, poſt in Senectute ad fidem Chriſtianam converſus, diſputator ſubtiliſſimus. Inſignem ejus Converſionem S. Auguſtinus, L. VIII. Confeſſ. c. 2. 5. deſcribit. Floruit, ut ipſe teſtatus, tempore Conſtantii, obiitque, ante annum 378 Ejus Scripta in unum volumen non dum collecta ſunt. *Lib. IV. adverſus Arium*, cum aliis quibusdam, extant T. IV. *Bibl. Patr. Pariſ.* f. 291. *Ad Juſtinum Manichæum contra principia duo & de Principio dici, cœperit ne à veſpera, an à matutino*, edidit Jacobus Sirmondus, inter *Opuscula dogmatica Veterum*, Pariſiis, 1630. 8. *Carmen de fratribus Maccabæis*, T. VIII. f. 427. & apud Georgium Fabricium, *Poet. Sacr.* f. 443. Idem *Carmen* cum aliis *opusculis Victorini hujus* & Victorini Petavienſis, Lipſiæ, 1652. Andreas Rivinus in Reipublicæ litterariæ commodum, adjectis etiam notis & præfatione, edidit, quanquam illud maluerit Pictavienſi aſſerere. Reliqua verò Afri, quæ iſte edidit, ſunt *Hymni III. de SS. Trinitate*, *Candidi Ariani ad Marium Victorinum de generatione divini verbi liber & hujus ad eundem reſponſio ſive confutatorium*. Conf. Labbeus, T. II. p. 467. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 128. De Victorino judicat Hieronymus, *Proœmio in Epiſtol. ad Galatas*, T. IX. p. 158. *Occupatus ille eruditione ſeculariũ Litterarum Scripturas omnino ſanctas ignoravit: & nemo poſſit quamvis eloquens de eo bene diſputare quod neſciat.* Stylum Victorini in dogmaticis perplexum, & ingratum, in Commentariis verò in aliquot Epiſtolas, quæ manuſcripta in Bibliotheca Monaſterii Herevallenſis in Gallia adſervantur, planior & aptior, teſte, qui legit, Sirmondo, & Guil. Caveo.

CLAUDIUS MARINUS VICTORINUS.

Sive *Victor*, Rhetor Maſſilienſis & Poeta, anno 434. clarus, ante annum 450. è vivis deceſſit. Vir, juxta Sidonium, *Epiſtol.* Lib. V. *Epiſtolâ ultimâ*, ut egregius, tum undecunque doctiſſimus. Ejus *Lib.*

III. *Carminum* sive *Commentariorum in Genesin*, à principio Libri usque ad Abrahami obitum & *Epistola ad Solomonem*, *Abbatem*, *de perversis suæ ætatis moribus*, heroico Carmine scriptas, in *Collectione Poetarum Fabriciana*, f. 307. in *Appendice Bignæana*, p. 580. & *Bibl. Patrum*, T. VIII. p. 417. Seorsim quoque edita Lugduni, per Joh. Gagnejum. sed corruptissime: correctius verò Parisiis, 1560. 8. De Victorino nostro Labbeus, T. II. p. 462. Guil. Cave, Hist. *Litter.* P. I. p. 238.

VICTORINUS PETAVIENSIS

Ex Oratore Episcopus, neutiquam verò Pictaviensis in Aquitania Præsul, Martyrium sub Diocletiano, anno 303. passus. Græce magis atque latine doctus fuit, atque ejus opera, Hieronymo judice, *grandia sensibus, viliora videntur compositione verborum.* Ejus in prosa & ligata oratione scripta Opuscula, *Commentarium in Apocalypsin Joh.* & *tria elegantissima de Jesu Christo Deo & homine, ejusque Paschate & cruce*, nec non de *VII. Maccab. fratribus Martyribus Carmina*, quorum Ultimum rectius Victorino Afro tribuitur, cum aliis Lipsiæ, 1653. publicavit, notisque illustravit Andreas, Rivinus. *Commentarium in Apocalypsin habes* quoque T. I. *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. f. 1143. *Carmen* verò *de Jesu Christo Deo & homine*, inter *Poetas Sacr.* Georgii Fabricii, f. 761. Hæc tamen omnia aut pro spuriis, aut saltem interpolatis, non absque rationibus habet Guil. Cave, atque genuinum ejus *de fabrica mundi Tractatum*, P. I. *Historia Literariæ* p. 73. inseruit. Plura ejus, quæ scripsit, interierunt. Conf. Hieronymus, *de Scriptor.* Joh. Launojus, *dissertatione de Victorinis*, p. 56. Le Bon, *de Vie de S. Victor.* Passionem S. Victoris ex recensione & emendatione Pauli Colomesii edidit, atque Carthaphylaci suo annexit Guil. Caveus, quæ etiam inter *Colomesii Opera* habetur. Adde Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 194.

VICTORIUS AQUITANUS.

Sive Victorinus, domò Lemovicensis, anno 457. ad Hilarium, Rom. Ecclesiæ Archidiaconum, *Canonem Paschalem* scripsit, editum ab Ægidio Bucherio, Antwerpiæ, 1634. fol. Confer Gennadium, *de Scriptor. Eccles.* cap. 88. Vossium & Casimirum Oudinum, *Supplem.* p. 98. Guil. Caveum *Histor. Litter.* P. I. p. 254. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 233.

VIGI-

VIGILIUS AFER.

Diaconus primum, dein, ut quidam volunt, Tapsensis seu Tapsitanus in Byzacena Provincia Episcopus, circa annum 484. florens, multa sub Athanasii & aliorum nomine, ut Arianorum invidiam fugeret, contra Arianos aliosque Hæreticos scripsit, quæ operosè collegit atque edidit Petrus Franciscus Chiffletius, Divione, 1664. 4. ex inde translata *in Bibl. Patr.* T. VIII. p. 722. *Libri V. adversus Nestorium & Eutychem*, sub Vigilii Tridentini nomine prodierunt, Tiguri, 1539. Coloniæ, 1575. 8. & inter *Opera Cassandri*, p. 514. & auctiores, curâ Josiæ Simleri, Basileæ, 1571. Lipsiæ, & alibi. *Altercatio adversus Arium* : Dialogi *III. adversus eundem* : *de Trinitate, adversus Marivadum Arianum*, lib. XII. *Liber de Unitate Trinitatis ad Optatum. Liber contra Palladium, Arianum Episcopum. Solutiones Objectionum Arianorum* &c. Eidem quoque Vigilio *Symbolum Athanasianum* tribuit cum aliis Caveus, P. I. p. 263. & alia, de quibus ibidem disseruit. Vide Labbeum, T. II. p. 476. Casimirum Oudinum, *Supplem.* p. 122. Eliam du Pinium, *Bib. Nouv.* T. IV. p. 255.

VIGILIUS DIACONUS.

Autor *Regulæ Monachorum*, quam Lucas Holstenius in *Codice Regularum*, Parisiis, 1663. 4. p. 89. edidit, circa annum 420. claruit. De eo Gennadius, Cap. 51. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 72. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 221. Elias du Pin, Bibl. Nouv. T. IV. p. 210.

VIGILIUS P. R.

Romanus, patriæque Ecclesiæ Archidiaconus, Pontificatum nefariâ ambitione, à Theodora Aug. mercatus, ut ipsi Facundus Hermianensis, *Lib. contra Mutian.* p. 573. objicit. Sedit Vigilius, ab anno 540. ad 555. quô Syracusis in Sicilia obiit. Tria Capitula quidem ab initio acriter defendit, post verò divexatus variè, eadem execratus. Habentur ejus *Epistolæ XVIII. Concil.* T. V. p. 311. *Constitutum adversus Tria Capitula*, ibidem p. 337. *Epistola Decretalis ad Eutychium Constantinop. pro Confirmatione Quintæ Synodi*, gr. lat. ibidem, p. 596. *Constitutum adversus Tria Capitula* adhuc prolixius, in *nova Collection Concil.* T. I. p. 1551. *Epistolæ II. ad Justinianum & Theodorum* &c. ibidem. Fusè de eo post Lud. Jacobum, *Bibl. Pontif.* p. 220. & alios, disseruit. Guil.

Cave, *loco citato*, P. I. p. 289. seq. Jo. la Placette, *Observatione Ecclesiastica* 10. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 69.

VIGILIUS TRIDENTINUS.

Episcopus circa annum 390. Martyr vero factus, anno 405. lapidibus obrutus, cujus *Epistola de Martyrio Sisinnii & Sociorum*, apud Surium, d. XXIX. Maj. habetur. De eo Gennadius, *de Scriptor.* c. 37. Guil Cave, P. I. p. 164. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 4.

VINCENTIUS BANDELLUS.

Patria Lombardus, Ord. Domin. & Bononiensis Professor Theologus, post Prior Mediolanensis, ab anno 1496. ad 1506. floruit, quo in Conventu montis Alti in Calabria, è vivis decessit. Prodierunt ejus Opuscula, Lugduni 1515. utpote, *Declaratio super Constitutiones Ordinis sui*, seorsim quoque Mediolani, 1505, 4. excusa. *Expositio in Constitutiones Sanctimonialium Ordinis Dominicani. Regula & Privilegia Fratrum & Sororum : de Poenitentia Ordinis S. Dominici Instructio : Officialium Fratrum Ordinis sui : Formularium Electionum & Confirmationum Priorum : Modus celebrandi Generalia & Provincialia capitula.* Præter hæc modo enumerata Vincentii opuscula, *de Conceptione B. Virginis in Peccato Originali, Lib. III.* Bononiæ 1481. Mediolani 1575. impressi sunt. Loquitur de Vincentio Bandello, post alios, Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 126.

VINCENTIUS BELLOVACENSIS.

Patriâ, ut plerique volunt, Burgundus, Ord. Prædic. Bellovacensis dictus, non quidem ab illius urbis Episcope, prout falsò putarunt Alfonsus Fernandes, Miræus, & alii, sed à frequenti saltem in istâ commoratione. Obiisse notatur anno 1264. aut juxta alios, anno 1256. Scripsit *quatuor Specula. Historicum*, seorsim, Norimbergæ, 1473. Moguntiæ, 1474. prodiit. *Naturale* Lib. XXII. Colon. 1494. *Morale* Lib. III. Norimbergæ, 1485. Venet. 1493. excusum. *Doctrinale*, Lib. XVII. Norimbergæ, 1486. Singula prodierunt Basileæ, 1481. Venetiis 1484. 1491. 1494. fol. Duaci, 1624. fol. insolenti titulo : *Bibliotheca Mundi* præmunita, accurantibus Ord. Bened. Collegii Vedastini apud Duacenses Theologis evulgata. Vide de his & aliis, quæ scripsit,

sit. Labbeum, T. II. Ambros. de Altamura, *Bibl. Prædic.* Vossium, *de Histor. Lat.* p. 480. & Guil. Caveum, P. I. p. 499. A Plagiariis eum eximit Jacob. Thomasius, *de Plagio*, Sect. 562. 575.

VINCENTIUS FERRERIUS.

Sive *Ferrarius*, natione Hispanus, patriâ Valentinus, Ord. Præd. conventus Valentiæ, Sacræque Theologiæ Professor, doctrina, sanctitate & miraculis maximè celebratus, Concilio Constantiensi, anno 1418. interfuit, annoque sequenti obiit. Labbeus eum velut alterum Paulum ad Judæos Maurosque ad Christi fidem convertendos à Deo missum, ait. Opera ejus plurima Vincentius Justinianus Antistius collegit, Scholiisque explicata edidit, Valentiæ 1591. *Conciones Vincentii de Tempore & de Sanctis*, T. III. Ulmæ 1475. Colon. 1485. Argent. 1493. 1494. 1503. Lugduni, 1527. 8. Venet. 1606. 8. *Sermones per tempus æstivale*, Colon. 1487. fol. prodierunt. *Commentarius in Orationem Dominicam*, Antwerpiæ, 1573. Lugduni, 1523. 4. cum *Sermonibus*, *Liber de fine mundi*, Neapoli, in 4. & Germanicè alicubi, 1582. 4. excusus, quo agit de casu seu ruina vitæ Spiritualis, de ruina Ecclesiasticæ dignitatis, de ruina fidei Catholicæ & multarum calamitatum prædictione, deque duplici Anti-Christi adventu, puro scilicet & mixto. *Tractatus de interiori homine informativus*, ut titulus habet. Magdeburgi, 1493. impressus, qui & inscribitur, *Compilatio S. Vincentii Doctoris eximii, Ord. Prædi. noviter anno 1415. SS. catalogo adscripti, de vita & institutione pie in Christo vivere volentium.* Venetiis quoque 1500. & alibi prodiit. Plura de Vincentio Ferrerio, Andr. Schottus, *Bibl. Hispan.* T. II. f. 187. & 224. Labbeus, T. II. p. 483. & post alios multos, Henr. Wharton. *Append. Cav.* p. 62.

VINCENTIUS LIRINENSIS.

Natione Gallus, Tulli Leucorum natus, Lupi, Episcopi Trecassini, frater, militiam à teneris secutus, post verò apud Lerinensis Insulæ Monasterium Presbyter ac Monachus, anno 434. florebat, atque scribebat *Libellum adversus hæreses sive contra profanas omnium hæreseon novitates Commonitorium.* Editum istud passim, Basileæ, 1528. Colon. 1569. Parisiis, 1569. 8. 1586. Colon. 1613. 12. Paris 1619. 4. & cum libris D. *Augustini de doctrina Christi*, cura Georg. Calixti, Helmæstadii, 1629. & ad Calcem *Salviani*, cum notis Baluzii, 1669. 8. & *in Bibl. Patr.* T. VII.

p. 249. & Cantabrigiæ, 1687. 12. Hunc Librum in odium Auguſtini, ſub ficto nomine *Peregrini*, ſcriptum eſſe in gratiam Semipelagianorum notat Voſſius *Lib. I. Hiſtor. Pelag.* c. 10. & agnoſcit C. Janſenius, Epiſcopus Iprenſis, *de hæreſi Pelagiana*, c. 17. Adde Andr. Rivetum, *Crit. S.* L. IV. c. 24. quorum argumenta repetiit Guil. Cave, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 319. *Objectiones Vincentii Lerinenſis adverſus Auguſtini Scripta & doctrinam de præceſtinatione & Libero Arbitrio*, capitulis XVI. ſummatim comprehenſas, Proſper in Libro, quo eas confutat, exhibuit. Obiit Vincentius, ante annum 450. De eo Gennadius, *de ſcriptor.* c. 64. Vincentius Barralis, Chron. Lerin. P. I. p. 138. Noriſius, *Hiſtor. Pelag.* Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 170. Tho. Pope-Blount, *Cenſur. celebr.* Autor. p. 298.

VITALIANUS P. R.

Patria Signienſis, Pontifex anno 657. conſecratus, anno 671. deceſſit. Ejus *Epiſtolæ* VII. habentur *Concil.* T. VI. p. 445. Ultimam, quæ dirigitur ad Benedictinos Siculos, ſuſpectam habet Baronius, T. VII. *Annal.* Conf. Lud. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 221. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 29.

VITALIS è FURNO.

Aquitanus Vaſatenſis, S. Theologiæ Profeſſor, Ord. Minor. & Provinciæ Aquitaniæ Præfectus, Cardinalis, titulo SS. Sylveſtri & Martini, ab anno 1312. ad 1327. floruit, eodemque anno Avenione obiit. Scripſit *Speculum Morale totius Sacræ Scripturæ*, Lugduni 1513. 4. Venetiis, 1594. 1600. excuſum. *Commentaria in Proverbia Salomonis*: *Expoſitionem in IV. Evangelia*: *Commentaria in Apocalypſin*, edidit Venetiis, Cartinalis Sarnanus. *de tuenda Sanitate & remediis morborum digreſſio* prodiit Moguntiæ. *Comment. in IV. Lib. Sententiarum* & alia manuſcripta memorat Lucas Waddingus, *de Scriptor. Ord. Minor.* p. 331. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 10. quem ſequimur.

JOH. LUDOVICVS VIVALDVS.

Pedemontanus, Ord. Præd. & Epiſcopus Arborenſis in Sclavonia, anno 1501. clarus, *Opus Regale* condidit, cujus Opuſcula recenſet Henr. Wharton, *loco citato*, p. 130. Scripta ejus Theologica prodierunt Papiæ, 1507. Lugduni, 1548. Seorſim verò *de cauſa contritionis Liber*,

Liber, Lugduni, 1512. *de veritate contritionis Liber alter*, Parisiis, 1519. 1530. 1564.

JOH. LUDOVIS VIVES.

Hispanus Valentinus, Lovanii Literis græcis & latinis eruditus, ibidemque alios edocuit. Oxonii deinde in Juris utriusque Doctorem creatus, & Henrici VIII. Angliæ Regis, filiæ, Mariæ, Præceptor datus. Cum autem Regis divortium improbaret, per menses VI. in captivitate fuit detentus. Ex qua liberatus, Brugas se contulit, atque uxorem duxit, ibidemque, anno 1537. aut juxta alios. 1541. ad plures transiit. Vir, ut variæ doctrinæ, ita Sapientiæ prope incomparabilis fuit. Opera ejus omnia prodierunt Brugis, 1553. Basileæ, 1560. T. II. fol. Repræsentat illa ex editione Basileensi, 1555. T. II. fol. excusa, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 129. Ex illis autem, quæ huc faciunt, seorsim editæ *Exercitationes animi in Deum*, Basileæ, 1543. 16. *Commentarius in Orationem Dominicam*, itemque *Precationes & Meditationes quotidianæ & generales*, ibidem. *De Veritate fidei Christianæ* Lib. V. Basil. 1544. 8. Colon. 1564. *Commentarius in S. Augustini Libros de civitate Dei*, Basileæ, 1522. Paris 1555. & alibi. De eo Erasmus, in Ciceronianis, p. 158. *Equidem nec ingenium, nec eruditionem, in eo desidero: adest illi parata sententiarum ac verborum copia, cumque fuerit initio duriusculus, indies magis ac magis in illo maturescit eloquentia, quem si nec vita nec studium destituerit, bona spes est, fore, ut inter Ciceronianos numeretur. Sunt enim, quibus scribendi conatus juxta Mandrobuli morem, ut habet proverbium, succedat. Hic quotidie vincit se ipsum & habet ingenium ad quidvis versatile, eoque ad declamandi facultatem unice compositus. Aliquot tamen M. Tullii Virtutes nondum absolvit, præcipuè jucunditatem dictionis & mollitudinem.* Plura ejus elogia vide apud Blount. *Censur. celebr. Autor.* p. 519. seq. De ipso autem Jo. Lud. Vive, Paulus Jovius, *in Elogiis doctor. Viror* Alphonsus Garsias, in *Comment. de doctis Hispaniæ Viris.* Quenstadius, *de Patriis illustr. Viror.* p. 29. Boissardus, *in Icon.* Nicolaus Antonius, *Bibl. Hispan.* T. I. p. 555. Valerius Andreas, *Bibl. Belg.* Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 129.

VLGERIUS.

Andegavensis Episcopus, anno 1136 floruit, cujus *relatio ad Innocentium II. P. R. pro Monasterio Rotensi*, habetur apud Baluzium, *Miscellan.*

cellan. T. II. p. 100. Confer Guil. Caveum, *Histor. Litter.* P. I. p. 462. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 183.

VLPHILAS.

Sive *Vrphilas*, natione Gothus, suæque Gentis Episcopus, primò quidem catholicus, postea verò Ariana labe infectus, claruit circa annum 365. Multos è Gothis ad Christianos convertit, eamque ob causam totum Scripturæ corpus, in gothicum transtulit. Pars ejus, *Gothica nimirum IV. Evangeliorum versio*, cum *Glossario* & notis, Junius & Mareschallus, Gothicè & Anglo-Saxonicè vulgarunt, Dordrac. 1665. 4. De eo Socrates, *Lib. V.* c. 33. Philostorgius, *Histor. Eccles.* Lib. II. cap. 5. Richard Simon, *Hist. Crit. Vers. V. T.* Kortholdus, *de Variis S. Scripturæ editionibus*, cap. 29. Kirchmaierus, *in diserc. de Vlphila.* Guil. *Cave, Hist. Litter.* P. I. p. 129.

VLRICVS ab HVTTEN.

Non est cur prætereamus inclytum hunc ingenio militiâque Heroem, Eqvitem Francum Germanum, è nobili Huttenorum stirpe, anno 1488. d. 21. April. natum. Francofurti ad Oderam studiorum fundamenta jecit, ibidemqve Philosophiæ Lauream anno 1506. reportavit. Multa audacter & libere in Romanenses dixit, atqve scripsit, & cum operam suam fortiter in bellis Venetis Maximiliano Imperatori præstitisset, ab Augusto illo Cæsare & Poeta, Lauro & Eques, auro donatus ac coronatus, propugnator Libertatis communis, Musarumqve Hierophantes incomparabilis perstitit. Claruit maximè, anno 1520. atqve ætate florida, anno 1523. obiit. Scripta ejus *Poetica & declamatoria* Simlerus, *Epitom. Gesner.* fol. 307. seq. & Boissardus, P. II. *Icon. illustr.* f. 34. seq. prolixè recensent. Insignem ejus *ad Lutherum Epistolam* T. IX. *Witteberg. German.* f. 132. videas. *Aliam ad Georgium Spalatinum* ex Autographo primus communicavit Sagittarius, fine T. I. *Operum Luther. Altenb.* f. 930. Nervosam ejus maximeque seriam *actionem*, qva B. Lutheri defensionem contra Pontificis & Curiæ Romanæ Tyrannidem masculè scripsit, & Pontifices, Cardinales, Abbates, Episcopos, & universum Clerum Romanum vivis suis coloribus graphicè depinxit, edidit Leonhardus Hutterus, sub finem *Actionis sua contra Jacobum Gretserum, de Munificentia Principum in Sedem Romanam,*

nam, Witteberg æ, 1613. 4. a. p. 71. ad 90. Idem, loco citato, addidit judicium, quomodo uno quoque tempore Pontifices Romani erga Germanicos Imperatores sese gesserint, per Ulricum ab Hutten ex Historiis & Chronicis excerptum, Cæsareæ Majestati exhibendum, à p. 90. ad 107. & finem. Ad manus est *Libellus Hutteni, continens conquestiones ejus ad Carolum V. Imperatorem, & Germaniæ Principes, adversus intentatam sibi à Romanistis vim & injuriam, & Epistolas varias ad Albertum Brandebargicum & Fridericum, Saxoniæ Ducem, Principes Electores, aliosque Proceres*, item *Bullam Leonis X. contra Lutherum*, ab Hutteno glossatam: Sed sine loci, annique, quo impressa ista prodierint, additione. Alia alibi extant. De eo, Erasmus, in *Ciceroniano*, p. 181. *Vlricus Huttenus sat splendoris & copiæ, præstat in oratione soluta: in Carmine felicior erat.* Epitaphium ejus refert Kœnigius, *Biblioth.* p. 419.

Hic Eques auratus jacet Oratorque disertus,
Huttenus Vates, Carmine & Ense potens.

Conf. post autores jam adductos, Melchior Adami, *in Vit. JCtorum.* Bayle & Buddeus, *in Lexicis.* Cyriac. Spangenberg, *Adelspiegel.* Lib. VI. c. 10. *Observationes Halenses Germanicæ*, T. III. *observat.* 5.

ULRICUS VELENUS.

Minhonienſis, Seculo XVI. edidit *Disputationem* sive *Libellum*, quo rationibus XVIII. gravissimis demonstrare annixus, *S. Petrum Romam nunquam venisse.* Impressus anno 1520. & recognitus iterum prodiit anno 1660. & Germanicè quoque translatus, anno 1518. Huic se opposuit Joh. Roffensis, de quo P. I, *Bibliothecæ nostræ* p. 406. diximus.

UMBERTUS vide HUMBERTUS.

URANIUS.

Presbyter, Paulini Nolani discipulus, circa annum 431. scripsit *narrationem de Obitu S. Paulini*, quam exhibent Surius, d. XXII. Junii, & Fr. Chiffletius, *in Paulino illustrato*, Divione, anno 1662. edito, & Joh. Baptista le Brun, in *novissima Paulini Nolani editione* Parisiensi, 1685. f. De eo Isidorus, in *Catalog.* c. 4. Casimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccles.* p. 75. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 236.

ASTERIUS URBANUS.

Presbyter, circa annum 188. Cataphrygum, Hæreticorum, malleus, *argumenta sua contra Cataphrygas*, Lib. III. complexus est. Aurea quædam ex iis *fragmenta*, de Montano ejusque Secta, exhibet Eusebius, L. V. c. 16. seq. Vide tamen, quæ de Urbano ejusque libris commoneat Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 37.

URBANUS II. P. R.

Otto antea dictus, ex oppido Castellionis in Archi-Episcopatu Rhemensi, oriundus, Cardinalis & Episcopus, Pontifex deinde Romanus, anno 1088. consecratus, anno 1099. obiit. Ejus *Epistolæ* LIX. *Concil.* T. X. p. 422. *aliæ* IV. ibidem, p. 1839. *Sermones* II. *ad Synodum Claromontanam*, ibid. p. 511. *Epistolæ* II. apud Baluzium, *Mucellan.* T. II. p. 177. habentur. Conf. Platina, Baronius, Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 222. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 436. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 70. seq.

URBANUS III. P. R.

Antè Lambertus, Mediolanensis, in Patria Archi Episcopus, & Papa, anno 1185. ordinatus, decessit Ferrariæ, anno 1187. Extant ejus *Epistolæ* V. *Concil.* T. X. p. 1742. Vid. Papirius Massonius, *Vit. Pontif.* Guil. Cave, *loco citato*, P. I. p. 479. Lud. Jacob. a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 224. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 129.

VRBANUS IV. P. R.

Jacobus Pantaleon aliàs appellatus, natione Gallus, Canonicus Tricassinus, Laudonensis Archidiaconus, Verdunensis Episcopus, Alexandri IV. P. R. Legatus, Patriarcha Hierosolymitanus, annoque 1261. Pontifex Romanus, anno 1264. Perusii obiit. De eo hæc scribit Stella: *Hic etsi humili loco natus, præstanti tamen & eleganti Lingua fuit, qui aliquando lacessitus, quod vili patre, sutore veramentario, ortus esset, respondit*: NOBILEM VIRVM NON NASCI, SED FIERI VIRTVTIS EST ATQVE NOBILITATIS. Scripsit *Epistolas* II. *Concil.* T. XII. p. 817. exhibitas, *alias* XI. apud Waddingum, *Annal. minor.* ad ann. 1261. &c. *alias* XIII. ibidem, T. II. *in Regesto Pontif.* p. 86. *Metaphrasis ejus in Psalmum* L. extat in *Bibl. Patrum Colon.* T. XV. item *Paris.* 2. T.

I. f. 509. & *edit. noviſſ.* T. XXV. p. 335. De Urbano IV. Platina, Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 224. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 508.

VRBANVS V. P. R.

Antè *Guilielmus Griſant*, patriâ Lemovicenſis, Juris Canonici Doctor, Ord. Bened. Monachus, Cœnobii S. Victoris apud Maſſiliam Abbas, Apoſtolicus in Regno Siciliæ & Neapolis Legatus, Pontifex demum, anno 1362. creatus, anno 1367. obiit. *Epiſtolæ* III. quas ſcripſit, *Concil.* T. XI. p. 1957. 2033. *Conſtitutio contra pluralitatem beneficiorum*, ibid. p. 1936. *Epiſtolæ aliæ* VIII. *de unione Eccleſiarum*, Græcæ & Romanæ, apud Bzovium, ad annum 1365. *Aliæ* LX. apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. IV. *Aliæ* LVII. ibidem, *in Regeſto Pontif.* p. 71. *Verſus de Agno Dei*, apud Victorellum, *addition. ad Ciacconium de Vitis Pontif.* Romæ 1630. & alia, de quibus Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 39. Conf. Baluzius, *de Papis Avenionenſ.* Lud. Jacob, *loco citato* p. 225.

VRBANVS VI. P. R.

Bartholomæus prius dictus, Neapolitanus, ex Archi-Epiſcopo Barenſi, ann 1378. Papa factus, Clementem Antipapam habuit, Romæque anno 1389. è vita migravit. Extant ejus *Epiſtolæ* IV. *Concil.* T. XI. p. 2045. *Conſtitutio in Violatores Libertatis Eccleſiaſticæ*, apud Bzovium, ad ann. 1383. *Epiſtolæ* aliæ III. apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. IV. *in Regeſto Pontif.* p. 165. 171. 176. *Formulæ precum*, una cum *indulgentiis ab eo conceſſis*, Dilingæ, 1567. excuſæ ſunt. *Conſtitutiones quædam Eccleſiaſticæ*, in *Collectione*, Romæ, 1579. *Litteræ* ſeu *Bullæ* plures, in Laertii Cherubini *Bullario Magno*, Romæ, 1617. 1638. Loquuntur de eo Antonius Poſſevinus, in *Appar. S.* Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 227. Henr. Wharton, *loco citato*, p. 43.

VRSINVS.

Gente Gallus, Presbyter aut Monachus, anno 690. clarus, ſcripſit *Vitam S. Leodegarii, Auguſtodunenſis Epiſcopi*, quæ interpolata apud Surium & Andream du Chesnium, *Hiſtor. Franc.* T. I. habetur. Integra verò atque ad Codicum Manuſcript. fidem recognita apud Mabillonium, *Sec. Bened.* II. p. 698. De eo plura dabunt Caſimirus

Oudin, *Supplem.* pag. 186. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. II. pag. 134. & alii.

VRSIO.

Abbas Altimontis Ord. Bened. juxta Malbodium in Hannonia, condidit circa annum 1080. *Historiam S. Marcelli*, P. R. Lib. II. quam vide apud Bollandum, d. XVI. Jan. Pauca de eo modò citatus Casimirus Oudinus, *Supplem.* p. 343. & Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 109.

VSVARDVS.

Sive *Husuardus*, natione ut creditur, Gallus, Ord. Bened. Monachus, Albini Alcuini discipulus & juxta nonnullos, Monasterii S. Salvatoris â Vice Comite vulgò dicti dioeceseos Constantiensis in inferiore Normannia Abbas. Esse, qui Fuldensem Monachum fuisse contendant, Labbeus T. II. p. 490. tradit. Vixit circa annum 876. & scripsit *Martyrologium*, ex Flori, aliorumque, id genus scriptis decerptum, quod Lovanii, 1568. 8. & Antwerpiæ, cum additionibus & annotationibus Jo. Molani, 1583. 8. prodiit. Plura de Usuardo Sigebertus, *Catalog.* cap. 85. Aub. Miræus, *in Scholio* ad idem caput. Antonius Possevinus, *in Appar. S.* Vossius *de Histor. Lat.* L. II. c. 31. Labbeus, *loco citato.* Natalis Alexander, *Hist. Eccles.* Sec. IX. P. I. c. 3. art. 17. p. 238. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 274. Usserius, *in Bibl. Theolog. Manuscript.* p. 499. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 394. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 200.

VULFADUS vide WULFADUS.

VULFINUS BOETIUS.

Sarmata, Pictavensis in Gallia Episcopus circa annum 830. claruit. *Vita S. Juniani, Abbatis Mariacensis* in Provincia Aquitanica Secunda, ab ipso scripta, extat apud Mabillonium, *Sec. I.* p. 308. *Historia translationis Reliquiarum S. Juniani Mariacensis in Nobiliacense Monasterium*, apud eundem Mabillonium, *Sec.* IV. P. I. p. 430. Confer, si placet, Casimirum Oudinum, *Supplem.* p. 229. Guil. Caveum, *Hist. Litter.* P. II. p. 159. Eliam du Pinium, *loco citato*, T. VII. p. 197.

W. WALAFRI-

W.

WALAFRIDUS STRABO.

NAtione Germanus, à vitio oculorum, ut ajunt, *Strabus* sive *Strabo* dictus, Ord. Bened. in Fuldensi Monasterio Monachus, post ad S. Gallum Decanus, ac deinde ab anno 842. in Dioecesi Constantiensi, usque ad annum 849. Abbas, quô fatis cessisse perhibetur. Multi ab eo distinguunt Strabum, Fuldensem Monachum, Glossæ Ordinariæ primum autorem, Rabani Mauri discipulum, atque breviatorem. Nolumus, dum ad portum properamus, hanc litem nostram facere. Videant, qui S. Philologiæ avidi, quid Labbeus, T. II. p. 372. 495. seq. congesserit. Trithemius sanè, Possevinus, Bellarminus, Sixtus Senensis, aliique, diversos faciunt. Alii combinare audent. Conf. Vossius, L. II. *de Hist. Lat.* c. 32. Sanmarthani, *Gall. Christ.* T. IV. f. 106. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 374. qui sequentia eidem Scripta attribuit: *De Officiis divinis* sive *de Exordiis & Incrementis rerum Ecclesiasticarum Librum*, cum aliis, Moguntiæ 1549. Paris. 1610. & in *Bibl. Patr.* T. XV. excusum. *Vitam & Miracula S. Galli Abbatis*, Lib. II. apud Surium, d. XVI. Octobr. *de Vita S. Othmari, Abbatis*, Lib. apud Surium, ibidem, & Mabillonium, *Sec. Bened.* III. P. II. p. 153. *Vitam S. Blaitmaci*, apud Canisium, T. VI. & Mabillonium, *loco citato*, p. 439. *Extrema S. Mammæ* & *Vitam S. Leudegarii*, apud Canisium, ibid. *Visionem S. Wettini*, metro scriptam, ibidem & apud Mabillonium *Sec.* IV. T. I. p. 272. *Poemata varia* apud Canisium, *Antiqv. Lect.* T. VI. p. 542. & *in Bibl. Patr.* T. XV. p. 181. *Sermonem* seu *Tractatum de eversione Hierosolymæ, ad caput* XIX. *S. Lucæ*, apud Canisium, ibidem, p. 331. *Poemata* quædam anteà inedita, apud Baluzium, *Miscellan.* T. IV. De eo post autores citatos, Sigebertus *in Catalog.* c. 71. Christophorus Browerus, *in Chronico Fuldensi.* Eberhardus Fabricius, *Glor. Fuldens.* p. 39. Trithemius, *Chron. Hirsaug.* ad ann. 847. qui *Chronicon Fuldense* à Walafrido inchoatum memorat, eodemque se multum adjutum fuisse, scribit. Casimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccles.* p. 249. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 4. & 167.

WALDRAMNVS.

Episcopus Argentinensis, anno 895. Concilio Triburiensi in-

terfuit, annoque 905. expiravit. Extant ejus *Poemata ad Solomonem, Episcopum Constantiensem*, apud Canisium, *Antiqu. Lect.* T. I. in *Append.* p. 31. & *in Bibl. Patr.* T. XVI. p. 1304. Dicunt de Waldramno, Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 297, Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 399. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 56.

JOH. WALLINGFORD.

Anglus, Magister Joh. de Cella aliàs dictus, Prior Wallingfordiensis, & anno 1195. Abbas S. Albani, anno 1214. obiit. *Chronicon*, ejus ex Codice Cottoniano edidit, atque *Rerum Anglic. Scriptor.* T. III. p. 525. inseruit Tho. Galeus. Plura de eo dabunt Mathæus Paris, *in Vitis Abbatum S. Albani*, p. 103. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 232.

WALTERIUS.

Aurelianensis Episcopus, anno 871. Concilio Duziacensi subscripsit atque *Capitula quædam suæ Dioeceseos Presbyteris* condidit, quæ vide *Concil.* T. VIII. De Walterio nostro Sanmarthani, *Gall. Christ.* T. II. p. 239. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 266.

WALTERIUS.

Senonensis Archi-Episcopus, præcedentis nepos, circa annum 887. quo Odonem, Roberti, Andegavensis Comitis, filium, Regem Franciæ coronavit. Habentur ejus *Constitutiones Synodicæ* in *Bibl. Patr.* T. III. & alibi. Obiit Walterius, anno 923. Conf. Sanmarthanos, *Gall. Christ.* T. I. p. 624. Casimirum Oudinum, *Supplem.* p. 302.

WANDELBERTUS.

Prumiensis in Archi-Episcopatu Treverensi Monachus & Diaconus, circa annum 850. scripsit *Vitam S. Goardi & Miracula ejus* Lib. II. quos vide apud Surium, d. VI. Julii & Mabillonium, *Sec. Bened.* II. p. 275. *Martyrologium ejus* carmine heroico exaratum, cum *Usuardi Martyrologio* vulgavit Jo. Molanus, Lovanii, 1568. Extat illud quoque inter *Opera Bedæ*, T. I. & apud Dacherium, *Spicileg.* T. V. p. 305. Plura de Wandelberto Sigebertus, *in Catalog.* c. 128. Antonius Possevinus, *in Appar. S.* Aubertus Miræus, *in Auctuar.* c. 319. p. 239. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 343. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 383. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 200.

PAU.

PAVLVS WANN.

Canonicus & Concionator Patavienſis, Theologiæ Doctor atque Profeſſor, uti in diverſis Opusculis dicitur. *Quadrageſimale*, ſive *Tract. de præſervatione hominis a Peccato*, anno 1468. conſcripſit, impreſſum Hagenoæ, 1508. Extant quoque ejus *Sermones de VII. Vitiis criminalibus*, ibidem, 1514. & *Sermones alii, Dominicales atque feſtivales*, cum Michaëlis Lochmajeri, Juris Pontificii Doctoris & Canonici Patav. *Sermonibus* excuſi, ibidem, 1497. & 1512. item, Coloniæ, 1613. & Moguntiæ, 1616.

WARINVS.

Ex Monacho Gorzienſi & Clerico Leodienſi, Abbas Metenſis factus, circa annum 1028. claruit. Habetur ejus *Epiſtola* prolixa, ad Joh. Fiſcamnenſem, *de repetendo Benedicto Monacho Fiscamnenſi*, qui ex Cœnobio Fiscamnenſi ad Metenſe transfugerat, apud Mabillonium, *Analect.* T. I. p. 225. Loquuntur de VVarino, Guilielmus Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 419. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 105.

WARMANNVS.

Natione Germanus, Comes à Dilingen, Monachus Augienſis & Epiſcopus Conſtantienſis, annoo 115. clarus, anno 1034. e vita migravit. Extat *Vita Pirminii, Abbatis & Coepiscopi*, ab ipſo ſcripta, apud Chriſtoph. Browerum, *in Vitis Sanctorum Germaniæ* & Surium, d. III. Novembr. ſub *Othloni* nomine. Verum genuino illam Autori reſtituit Eiſingrenius, in *Catalogo teſtium*, & Mabillonius, *Sec.* III. P. II. p. 136. Vide, ſi placet, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 197.

PAVLVS WARNEFRIED.

Patriâ Longobardus, Eccleſiæ Aquilegienſis Diaconus, Regisque Longobardorum ultimi, Deſiderii, Cancellarius, cum Principe ſuo aliisque nobilibus, expugnatâ urbe Papiâ ſive Ticino, anno 774. in Caroli M. poteſtatem venit, ſed adverſo poſtea fato exilium paſſus, tandem Cœnobii Caſinenſis Monachus factus, ſicut prolixe refert Leo Oſtienſis, Lib. I. *Coron. Caſinenſ.* c. 15. cujus verba vide apud Lindenbrogium & Joh. Bapt. Marum, *in notis ad Petrum Diaconum, de Illuſtr. Caſin.* c. 6. Scripſit VI. *Libros de Geſtis Longobardorum*, editos, Aug. Vindel. 1515. Baſil. 1532. Lugd. Batav. 1595. 8. 1597. & 1618. 8. Hamburg-

burgi, 1611. & inter *Historicos Francicos Freheri*, Hanoviæ, 1613. fol. & ad calcem *Historiæ Gothorum Grotii*, Amstelodami, 1655. 8. *in Bibl. Patr.* T. XIII. p. 160. *Historiæ Miscellæ* Lib. XXIV. Basileæ, 1569. Ingolstadii, 1603. 8. Hanoviæ, 1611. Hamburgi, 1611. prodierunt. Vide, quid de iis judicet Vossius, *de Histor. Lat.* Lib. II. c. 30. *Homiliarium*, Spiræ, 1482. fol. Colon. 1517. 1539. Parisiis, 1535. 1569. fol. *De Vita S. Gregorii, Papæ*, Lib. IV. Mabillon, *Sec.* I. p. 385. *Vitæ SS. Benedicti, Mauri, ac Scholasticæ Virginis*, Romæ, 1590. *Versus de eadem S. Scholastica*, apud Arnoldum Wion, *Ligno vitæ*, d. X. Febr. *Vita S. Arnulphi, Metensis Episcopi*, inter *Opera Bedæ*, & apud Surium d. XXIV. Aug. *Hymnus in Natalem S. Joh. Baptistæ*: Ut queant laxis resonare &c. explicavit Jo. VVeitzius, ediditque Jenæ, 1639. Excerpta quædam *de Metensibus Episcopis*, apud Marqu. Freherum, T. I. *Corporis Historiæ Francicæ*, p. 171. & Andream DuChesnium, inter *Histor. coætan.* T. II. & *in Bibl. Patr.* T. XIII. p. 319. *Epistolarum* fragmenta, apud Baluzium, *Miscellan.* T. I. p. 362. *Vita* seu *Passio S. Cypriani*, ejus operibus præfigi solita. Opera VVarnefridi deperdita, ut sunt *Expositio Regulæ S. Benedicti*: *Versus de Miraculis S. Benedicti*: *Gesta Episcoporum Papiensium*, refert Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 348. De eo Sigebertus, *in Catalogo*, c. 80. & Miræus, *in Scholio*, p. 184. Possevinus, *in Appar.* S. Bellarminus, Labbeus, T. II. p. 170. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 208. Vossius, *loco citato*.

WASELINUS MOMALIVS.

S. Laurentii apud Leodienses Abbas, ab anno 1130. ad 1147. claruit, atque *Epistolam de continentia Conjugatorum ante Communionem* scripsit, quam exhibet Mabillonius, *Analect.* T. I. p. 339. Waselini hujus mentionem habent, Guil. Cave, P. I. *Hist. Litter.* p. 461. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 184.

WERNERUS.

Monasterii S. Blasii, in Nigra Sylva, Ord. Bened. Abbas, circa annum 1210. collegit *ex diversis Patribus deflorationem, quæ continet Sermones postillares*, Basileæ, 1494. fol. & 1549. excusam. Loquitur de eo Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 486.

JOH. de WESALIA.

In inferiori Germania circa annum 1470. Theologus insi-

insignis, acerrimusque Pontificis adversarius, Aristotelis atque Thomæ irrisor, Platonis verò defensor perpetuus. Extant ejus *Paradoxa*, ut olim videbantur, aliquot in *Fasciculo Expetendarum rerum*, quibus Papæ infallibilitatem, jenuniorum necessitatem, & nescio quæ plura Pontificiorum dogmata impugnavit. Hæc & alia mascule quidem initiò defendit, ignis tamen metuens pœnam, abrenunciavit. Vide de eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 104. Baylium & Buddeum, *in Lexiis*.

JOH. WESSELVS.

Circa annum 1419. Groeningæ natus, ibidemque anno 1489. denatus. Idem aliàs dictus *Basilius Hermanni*, cognomento *Gansfordius*. Rhetor fuit, Poeta, Philosophus atque Theologus, ob Lingvarum, Græcæ, Hebraicæ & Latinæ peritiam *Lux mundi* appellatus. Hinc Parisiis, Coloniæ, Heidelbergæ, Romæ & Basileæ potissimùm Reuchlinum aliosque easdem edocuit. Ejus *Vitam* & quæ circa eam digna occurrunt, Suffridus Petri, *Decad. Scriptor. Fris.* num. 4. p. 46. Melch. Adami, *Vit. Litter.* p. 38. Theoph. Spizelius, *Arcan. Bibl. prælim.* & Valer. Andreæ, *Bibl. Belg.* p. 849. Bayle & Buddeus, *in Lexicis*, pluribus indigitant. Opera ejus aliquoties prodierunt, invitis licet Censoribus Romanis, quibus obelo siniſtro maximam partem fuerunt notata. Excusa autem sunt illa sub titulo *Farraginis rerum Theologicarum*, Basil. 1523. f. & 1525. 4. Groeningæ, 1614. & Marpurgi, 1617. studio Theodori Strackii, hoc quidem ordine : *de divina Providentia* : *de causis & effectibus Dominicæ incarnationis & Passionis* : *de Potestate Ecclesiastica* : *de Sacramento Pœnitentiæ & Ecclesiæ Clavibus* : *de communione Sanctorum* : *de Purgatorio & aliquot Epistolæ &c.* Seorsim prodiit *de moribus veterum Hæreticorum Liber*, Lipsiæ 1537. Plura de ejus Scriptis Henr. Wharton, *loco citato*, p. 104.

THOMAS WICCIVS.

Anglus, Ordinis S. Augustini in Coenobio Osnejensi Canonicus Regularis, anno 1299. clarus, scripsit *Chronicon Angliæ* ab anno 1066. ad 1304. quod inter *Historiæ Anglicanæ Scriptores* Twisdeni prodiit Oxonii, 1687. fol. T. II. *Librum de Abbatibus Osnejensibus* & alia ejus aut manuscripta aut deperdita memorat Guil. Cave, *Histor. Litter.* P. I. p. 523.

JOH. WICLEF.

Circa annum 1360. clarus, natione Anglus, Collegii Cantua-

rienſis ac Baliocenſis Præfectus & Rector Eccleſiæ de Lutterworth, Dioeceſis Lincolnienſis, prout ex Tho. Walſinghamo refert, Wiclefo aliàs, ejusque Encomiaſtæ, Balæo, parùm æquus Pitſeus, *Angl. Scriptor.* f. 544. Philoſophus atque Theologus fuit nulli ſecundus, qui omnes in ſui admirationem rapuit. Craſſiſſimis Papatus erroribus & moribus magno cum Zelo contradixit, hinc non modò in variis Conciliis damnatus, ſed ejus quoque Oſſa, demum, poſt mortem ſcilicet, an. 1428. effoſſa atque combuſta ſunt. Obiit Wiclefus, anno 1487. Luterworthæ, neutiquam verò in Bohemia. Varios quidem in eo nævos animadvertimus, utpote in doctrina de Purgatorio, de SS. invocatione, de VII. Sacramentis & alios, quos tamen ante mortem, cognita magis Evangelii luce, eum abjuraſſe patet. Scripta ejus ſummo quidem ſtudio collegit atque recenſuit Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 36. E quibus ea ſaltem, quæ typis prodierunt, repetimus. *Dialogorum* Lib. IV. 1525. 4. excuſa. *Oſtiolum* ſive *Tractatus Anglicus de Sacramento Altaris*, Norimbergæ, 1146. 8. Oxon. 1612. 4. *Tractatus* II. *adverſus Fratres Mendicantes*, Anglicè cura Sameſii, Oxonii, 1608. 4. *Aphorismi* ſeu *Articuli Wiclefiani*, Argent. 1554. 8. *Concluſiones & articuli*, in *Faſciculo Rerum Expetend.* Colon 1535. fol. 95. 133. *Confeſſio fidei*, apud Foxium, in *Comment. Rerum Eccleſ.* Baſileæ, 1563. f. P. I. p. 8. *Epiſtola ad Urbanum* VI. P. R. ibidem, p. 16. Alia ejus quam plurima ſuppeditabit, modo laudatus Whartonus, quæ maximam partem ipſe vidit. Confer quoque Baleum, *Centur.* VI. c. 1. Plura de Wiclefo dicunt Henr. Knygton, *in Chron. de Eventibus Angliæ*, Lib. V. Æneas Sylvius, *Hiſt. Bohem.* cap. 35. Hermannus von der Hard, *Act. Concil. Conſtant.* Kortholt. *Hiſt. Eccleſ.* Sec. XIV.

WILHELMVS vide GVILIELMVS.

WILLELMUS.

Abbas Metenſis anno 1073. ſcripſit *Epiſtolas* VII. & *Orationes in Feſto S. Auguſtini* recitandam, quas vide apud Mabillonium, *Analect.* T. I. p. 247. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 432.

WILLERAMVS.

Franconiâ oriundus, Eccleſiæ Bambergenſis Scholaſticus, deinde Monachus Fuldenſis Ord. Bened. denique Mersburgenſis Abbas,

Abbas, anno 1070. clarus, scripsit *Expositionem super Canticum Canticorum geminam*, latinam metro-Rhythmicam & Germanicam, curâ Pauli Merulæ, Lugduni Batav. 1598. editam. Ad illam notæ & supplementa Marquardi Freheri, Wormatiæ, 1631. prodiisse referuntur. Longè auctior Codex manuscriptus in Bibl. Vindobonensi adservatus, memoratur Lambecio, *Comment.* Lib. II. c. 8. num. 25. p. 765. De Willeramo, Isaacus Pontanus, *in Origin. Franc.* Lib. VI. c. 24. p. 582. & alibi. Possevinus, *in Appar.* S. T. II. p. 548. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 343. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. II. p. 201. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 109.

WILLIBALDUS.

Episcopus Eistatensis, natione Scotus, Devonius, S. Walpurgis, Abbatissæ Heidenheimensis frater, S. Bonifacii discipulus, Ord. Bened. juxta Trithemium, floruit ab anno 742. ad 781. Ejus *de Vitæ Bonifacii Liber*, extat apud Canisium, T. IV. *Antiqv. Lect.* P. II. p. 341. & cum *Bonifacii Epistolis*, Moguntiæ 1605. & apud Surium, d. V. Julii & Mabillonium, *Sec. Bened.* III. P. II. p. 7. Plura, quæ scripsit, forsan interierunt. *Vitam Willibaldi*, à diversis descriptam, vide apud Canisium, *loco citato*, p. 475. 693. Conf. Vossius, *de Histor. Lat.* Lib. II. c. 29. Pantaleon, *de viris illustr.* P. II. p. 263. Antonius Possevinus, *in Appar. S.* Aub. Miræus, *in Auctuar.* c. 216. p. 222. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 199. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 344. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 107.

WILLIBRANDUS ab OLDENBURG.

Gente Germanus, Canonicus Hildesheimensis, circa annum 1211. Iter in Palæstinam suscepit, atque redux factus *Itinerarium Terræ S.* consignavit, quod vide apud Leonem Allatium, *Symmict.* P. I. p. 104. Colon. 1653. 8. Conf. Guil. Caveum, *Hist. Litter.* P. I. p. 491.

JACOB WIMPHELINGIUS.

Sletstadiensis, anno 1449. natus, S. Theologiæ & Juris Pontificii Licentiatus, Ecclesiæ Spirensis, anno 1494. Presbyter, & Heidelbergensis Gymnasii Professor, anno 1528. Selestadii, quo se contulerat, obiit. Simlerus, *Epitome Gesner.* f. 316. penè multa ejus Scripta recenset. Ex his ea repetimus, quæ ad institutum nostrum faci-

unt, ut sunt *Liber de vita & moribus Episcoporum Argentinensium, aliorumque Principum & Prælatorum*, Argentinæ, 1512. 1661. excusus. *Oratio* sive *Consilium de bello movendo contra Turcas*, Islebii 1603. *De Germanicæ nationis gravaminibus contra Sedem & Curiam Romanam*, apud Freherum, *Germ. Script.* T. II. *Replica super eodem argumento contra Æneæ Sylvii Tractatum*, ibidem. de *Nuntio Angelico Carmen Heroicum* &c. *Oratio de Annuntiatione Angelica* & alia, de quibus post Simlerum, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 114. Conf. de Jacobo Wimphelingio, Melchior Adami, *Vitis Theolog.* Lilius Gyraldus, *de Poetis sui temporis.* Vossius, de *Histor. Lat.* Bernardus Hertzog, *Chron. Alsat.* L. VII. c. 21.

WINIFRIDVS.

Bonifacius mutato nomine dictus, quia semper bona faciens, natione Anglus Cridionii in agro Devoniensi an. 670. natus, vel ut quibusdam videtur, Scotus, Frisiorum, Hassorum, nunquam verò Thuringorum juxta Sagittarium, *de Antiqu. Rerum Thur.* p. 208. Bojarorum aliorumque Germaniæ populorum Apostolus, quos Christianismo imbuit, sedisque Pontificiæ in ea Regione Legatus, anno 704. clarus, Willibrodo Episcopo in Ecclesia Trajectensi fideliter adhærens. Anno 717. Romam profectus, a Gregorio II. gentibus Evangelisandi potestatem adeptus, à Gregorio posteà III. pallio Archi-Episcopali ornatus, anno 732. & laudatus, quod Deus per eum Centum millia animarum Ecclesiæ gremio aggregârit, testibus Sanmarthanis, T. I. *Gall. Christ.* f. 347. Tres potissimùm in Germania Episcopatus, anno 742. instituit, Wurtzburgensem Buraburgensem, & Erphesfurtensem, teste Zacharia Papa, in *Epistol.* & Aystetensem atque Frisingensem, si Bruschio fides, T. I. *de Episcop. German* p. 4. celeberrimum etiam Fuldæ Monasterium, an. 750. ædificavit, cujus Bibliotheca inter alios Libros pretiosos & raros Evangelium S. Bonifacii manu conscriptum olim continuit, idque ab Imperatore Arnulpho, Hugoni, Abbati Fuldensi IX. donatum, qui liber præstans Regum Cimelium dictus Gualthero, in *Chron. Catal. Abbat. Fuld.* p. 1119 Conf. Fabricium, *Glor. Fuldens.* p. 39. 84. Moguntinus præterea primus Archi-Episcopus, tandemque anno 754. non verò 755. ut plerique minus recte ponunt, in Frisia Martyr obiit, in Abbatia Fuldensi sepultus. De eo plura Nicolaus Serrarius, qui ejus *Epistolas* ex Augustissimi Imperatoris Bibliotheca Vindobonensi luce donavit & 1605. iterumque 1629. Moguntiæ edidit,

didit, quæ una cum Epistolis aliorum ad Bonifacium scriptis extant T. VIII. *Bibl. Magnæ Colon.* f. 67. & in *Historia S. Bonifacii*, quam edidere Joh. Leznerus Hardesianus, Erfurt. 1603. & Jacobus Weberus XIV. *Homiliis*, excusis Jenæ, 1606. *Vitam* verò à Willibaldo scriptam, apud Serrarium, *loco citato*, & Surium, d. 5. Junii. Henr. Canisium, T. IV. *antiqv. Lect.* T. IV. P. II. p. 338. & ab Othlone autore consignatam Surius & Canisius, p. 392. sistent. Epistolæ quædam habentur quoque *Concil.* T. VI. omnes verò *Bibl. Patr.* T. XIII. p. 70. *Vita S. Livini*, apud Mabillonium, *Sec. Bened.* II. p. 449. *Statuta* quædam, apud Dacherium, *Spicileg.* T. IX. p. 63. Conferquoque, si placet, Vossium, *Histor. Lat.* Lib. II. c. 29. p. 281. seq. Baleum, *Centur.* II. cap. 13. Arnoldum Wion, *Lign. Vitæ* L. 5. p. 688. Pitseum, *de Scriptor. Angl.* f. 148. Valerium Andream, *Bibl. Belg.* p. 117. Labbeum, *de Scriptor.* T. I. p. 208. Guil. Caveum, P. I. *Hist. Litter.* p. 339.

WIPERTVS.

Guibertus sive *Wibertus*, Tullensis Archi-Episcopus, anno 1056. clarus, scripsit *Vitam Leonis IX. P. R.* Libris II. à Jacobo Sirmondo, Parisiis, 1615. cum notis editam. Extat quoque apud Bollandianos, d. XIX. April. Notas in hanc vitam exaravit Barthius, *Adversar.* Lib. XLV. c. 19. De eo Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 333. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. II. p. 200.

WITTIKINDUS.

Qui & Windichindus & Widuchindus, Monachus Corbejensis in Saxonia Coenobii, Ord. Bened. ab anno 940. ad 973. & ultra, floruit, & scripsit *de Gestis Saxonum Libros III.* Basileæ, *1532.* Francof. 1577. & inter *Scriptores Rerum German.* ibidem, 1580. emendatos & notis Henrici Meibomii illustratos, Francofurti, 1621. cum *Versibus* aliquot ab ipso exaratis. *Passio Theclæ Virginis*, metricè ex *Vita Pauli Eremitæ*, tàm prosa, quam metro, Sigeberto *de Scriptor.* cap. 129. memorata, interierunt. Agunt de eo Vossius, *de Hist. Lat.* Lib. II. c. 41. Labbeus, T. II. p. 497. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 407. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 56.

WOLBERO.

Ord. Bened. S. Pantaleonis intra Coloniam Cœnobii XII.

Abbas, anno 1147. electus, anno verò 1167. defunctus, sicut constat ex antiquissima tabula, quam exhibet Henr. Gravius, ejusdem Ord. Bened. editor *Commentariorum Wolberonis in Cantica Canticorum*, excusorum Coloniæ Agrippinæ, 1630. & 1650. 4. De eo Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 422. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 185.

WOLFHARDUS.

Sive *Wolphhardus*, Monachus Monasterii Hasenrietani, Ord. Bened. anno 886. floruit, atque *Libros IV. de Vita S. Walpurgis, Virginis*, scripsit, quorum II. vide apud Henr. Canisium, *Antiqu. Lect.* T. IV. Omnes autem IV. apud Surium & Bollandum, d. XXV. Febr. Mabillonium, *Sec. Bened.* III. P. II. p. 287. Vide, quæ de eo, exhibeant Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 293. Guil. Cave, P. I. p. 397. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 199.

WOLSTANVS.

Natione Anglus, Wintonienſis Cantor & Monachus, claruit circa annum 1001. Scripsit *Vitam Ethelwoldi Præceptoris sui, Wintonienſis Episcopi*, quam edidit Jo. Mabillon, *Sec. Bened.* V. p. 606. *Vita S. Swithuni, Episcopi Wintonienſis*, habetur ibidem, p. 628. Plura de eo dabunt Baleus, Pitseus, de *Scriptor. Angl.* p. 181. Guil. Cave *Histor. Litter.* P. I. p. 196. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 62.

HENRICVS WOLTHERUS.

Ecclesiæ Cathedralis S. Anscharii Bremensis Canonicus, anno 1463. conspicuus, cujus *Chronicon Archi-Episcopatus Bremensis* Henricus Meibomius, *Rerum German. Scriptor.* T. II. Helmstadii 1688. fol. inseruit.

WVLFHADUS.

Ex Ecclesiæ Rhemensis Oeconomo, Archi-Episcopus Bituricensis, anno 866. factus, anno 875. obiit. Extat ejus *Epistola Pastoralis ad Parochos & Parochianos Diœceseos suæ*, apud Mabillonium, *Analect.* T. IV. p. 602. Dicunt de eo Sanmarthani, *Gallia Christiana*, T. I. p. 153. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 267. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 390. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 152.

X. FRAN-

X.

FRANCISCUS XIMENIUS.

Hispanus Catalaunus, Episcopus Elnensis & Pseudo Patriarcha Hierosolymitanus, anno 1400. floruit atque insignem *de Natura Angelica Librum* composuit. Prodiit iste Compluti, 1527. *Tractatus de Scala Dei*, Barcinone, 1501. *Pastorale pro institutione Episcoporum & Superiorum*, ibidem 1495. fol. *de Vita Christiana* Lib. IV. Valentiæ, 1484. Granatæ, 1496. De aliis ejus vide Waddingum, *de Scriptor. Ord. Minor.* p. 140. Andream Schottum & Nicolaum Antonium, *Bibl. Hispan.* Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 49. Casimirum Oudinum, *Supplem.* p. 671. seq. Alius a nostro est Fr. Ximenius, Cardinalis & Archi-Episcopus Toletanus, Archi-Cancellarius &c. qui *Bibliorum Complutensium* impressionem, anno 1515. T. VI. fol. feliciter absolvit, cujusque *Vitam* Alvarus Gomecius, Marsollierius & Fleckierius ex instituto narrarunt.

RODERICUS XIMENIUS.

Navarrus Toletanus ab anno 1208. Archi-Episcopus, anno 1215. Concilio Lateranensi interfuit, atque anno 1245. obiit. Ejus *Historiæ Hispanicæ* Lib. IX. habentur in *Hispania illustrata*, ab Andrea Schotto edita, T. II. p. 26. *Historia Ostro Gothorum*, ibidem, p. 148. *Historia Hunnorum, Vandalorum*, &c. ibidem, p. 151. *Historia Arabum*, p. 162. *Historia Romanorum*, ibidem, p. 194. Dicunt de eo Aub. Miræus, *in Auctuar. de Script. Eccles.* c. 392. p. 259. Vasæus, *in Chron. Hispan.* c. 2. & 4. Vossius, *de Histor. Lat.* L. II. c. 57. Andreas Schottus & Nicolaus Antonius, *locis citatis.* Joh. Mariana, L. II. *de reb. Hispan.* c. 21. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 514. qui hoc ejus Epitaphium Cippo insculptum exhibuit. *Mater Navarra, Nutrix Castella, Schola Parisius, Sedes Toletum, Hortus Mausoleum, Requies Cœlum.* Confer quoque Guil. Caveum, *Hist. Litter.* P. I. p. 514. Tho. Pope-Blount, *Censur. Celebr. Author.* p. 405.

GEORGIUS XIPHILINUS.

Magnus Scevophylax, post Patriarcha Constantinopolitanus, anno 1193. constitutus, anno 1199. mortalitati debitum persolvit.

Extat

Extat ejus *Decretum de Juribus Territoriorum*, gr. lat. apud Jo. Leunclavium, *in Jur. Græc. Rom.* L. I. p. 283. De aliis ejus vide Leonem Allatium, *de Georgiis eorumque Scriptis*, p. 342. Guil. Caveum, P. I. *Hist. Litter.* p. 480.

JOH. XIPHILINVS.

Trapezunte oriundus, ex Senatore Patriarcha Constantinopolitanus, ab anno 1066. ad 1078. vel 1080. claruit. Ejus *Oratio in Crucem seu in tertiam Jejuniorum Hebdomadem*, extat apud Gretserum, *de Cruce*, T. II. p. 1449. & *Bibl. Magn. Colon.* T. XI. f. 472. *Decreta II. de Sponsalibus, in Jure Græco Romano* Lib. III. p. 211. *Decretum de Nuptiis prohibitis*, ibidem, Lib. IV. p. 266. *Homiliæ in Evangelia Dominicalia totius anni* manuscriptæ adservantur in Bibl. Bavarica & Vaticana. Malè hunc nostrum Jo. Xiphilinum cum alio cognomine, *Dionis Cassii Historiæ* Epitomatore, confundunt Andreas Schottus, Baronius, Spondanus, Bzovius, Ludovicus de la Cerda, Philippus Brietius, Christophorus Besoldus, Jo. Gerhardus Vossius atque Henricus Stephanus, quos ex ipso Jo. Xiphilino, Epitomatore, refellit Guilielmus Caveus, P. I. *Hist. Litter.* p. 430. qui se ipsum Xiphilini nostri nepotem, appellat. Agunt de Jo. Xiphilino, Patriarcha, Antonius Possevinus, *in Appar.* S. T. I. p. 955. Casimirus Oudin, *Supplem.* p. 334. Koenigius, *in Bibliotheca.* Vossius *de Histor. Græcis*, Lib. II. c. 26. *Journal des Seavans*, T. VI. p. 258. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 113. Blount, *Censur. Celebr. Autor*, p. 365.

XYSTUS vide SIXTUS.

Y.

YVO.

SEu *Ivo*, Gallus, in agro Bellovacensi natus, Lanfranci discipulus, ex Abbate S. Quintini, factus anno 1092. Episcopus, *Lucerna Occidentalis Orbis, fulgor Ecclesiæ Gallicanæ, Juris divini humanique Scientia celeberrimus*, elogio Baronii, obiit, anno 1115. aut sequenti, postquam dura passus fuerat, inter alia, cum Philippo Regi, in legitimum Berthæ, Vxoris, thalamum, Bertradam superinducenti, contradiceret, & flagiti-

gitium exprobraret, fœdissimè conniventibus Regi nonnullis aliis Galliæ Præsulibus, de quibus Sanmarthani, *Gall. Christ.* T. II. f. 487. Confer Yvonis *Epistolam* 22. De aliis ejusdem fatis dicunt passim autores. Duo Yvonis Epitaphia exhibet Labbeus, *in Thesauro*, p. 107. seq. Middendorpius, Lib. VI. *de Academiis*, p 383. scribit, illum à Clemente VI. P. R. in Divorum numerum fuisse relatum. Plurima Ivonis Opera uno simul grandi volumine, Parisiis, 1647. fol. studio & operâ Jo. Baptistæ Souchetti, in duas Partes tributa, prodierunt. Recensent ea Labbeus, T. II. *dissert. de Script.* p. 501. seq. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 437. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. a. p. 1. ad 25. Seorsim vero *Decretorum Liber*, Basileæ, 1499. 4. Lovanii, 1557. 8. & cum *Epistolis*, 1561. fol. *Panormiam* sive *Decretorum Ecclesiasticorum Summam* Hugoni quidem Catalaunensi, post alios, tribuit Gerhardus Mastrichtius, *Histor. Jur. Eccles.* num. 267. seq. Baluzius vero in *præfatione ad Anton. Augustinum, de emendatione Gratiani* num. 21. & ex Codicis Parisiensis manuscripti autoritate & aliis litterarum monumentis nostro Ivoni restituit. Ipsa Baluzii verba transscripsit Casimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 359. seq. *Epistola* 287. Parisiis, 1585. 4. & 1610. 8. *Sermones XXII. de Ecclesiasticis Sacramentis ac officiis, præcipuisque per annum Festis*, inter *Scriptores de divinis officiis*, Coloniæ, 1568. Parisiis, 1610. excusos, habentur. *Epistola ad Bernerium, Abbatem Bonævallis, & alia*, ad calcem *Guilberti Operum*, à Dacherio editorum, p. 664. 668. Plura quidem Ivonis Manuscripta adducit Antonius Sanderus, *in Bibl. Belg. Manuscript.* P. I. p. 33. 51. P. II. p. 28. & ex eo Guilielmus Cave, *loco citato*. His adde Codicem manuscriptum *in Psalmos*, qui in Bibl. Colbertina, *Cod.* 1478. adservatur. In Paulina Lipsiensi extat aliud Manuscriptum rarissimum *Compilationis Veteris & primæ Decretorum Ivonis* in XVI. partes divisæ, Juris canonici velut Archetypon, sicut annotavit Andreas Rivinus, anno 1639. illud Academiæ sumptibus eò reponens, additô simul hoc districho;

Vltima non laus est Pandectas fiquis Hetruscas
Viderit, haud minor est fiquis Ivonis Opus.

Z.

FRANCISCVS ZABARELLA.

Sive de Zabarellis, patria Patavinus, J. V. D. Florentiam vocatus, Jus

Canonicum docuit, ibidemque factus Episcopus, dein Cardinalis, imò Concilio Constantiensi convocato, Pontificis ibi vices gessit, Constantiæque fatis cessit, anno 1417. Vide Jac. Phil. Thomasinum, *Elog. Illustr. Viror.* P. I. p. 5. Scripta ejus refert Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 50. *Commentarius in V. Libros Decretalium & Clementinas*, Venetiis. an. 1602. prodiit. *Comment. verò in Clementinas*, seorsim, Venet. 1481. T. IV. *Consilia Juris*, Venet. 1581. *Variæ legum repetitiones*, ibid. 1587. *De Schismatibus authoritate Imperatoris tollendis Liber.* cum aliis, Basileæ, 1587. Argentinæ, 1609, 1618. Plura, quæ scripsit, typis non dum expressa, ibidem comparent, & apud Thomasinum, *loco citato*, quæ nunc quidem memorare non attinet. Conf. Pancirollum, *de clar. Leg interpret.* Lib. III. c. 38. Baylium & Buddeum, *in Lexicis*.

ZACHARIAS.

Chrysopolitanus Episcopus, vel juxta Albericum, *Chron.* ad annum 1157. Monachus Præmonstratensis apud S. Martinum, Laudunensem, vixit circa annum 1157. secundum Helinandum à Labbeo, T. II. p. 505. citatum, scripsitque *Libros IV. Commentariorum, in Concordiam Evangelicam*, editos Coloniæ, 1535. & T. XII. *Bibl. Colon.* & *edit. noviss.* T. XIX. p. 732. Confer Guilielmum Caveum, *Hist. Litter.* P. I. p. 470. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 189.

ZACHARIAS P. R.

Gente Syrus, ex Monacho Pontifex, anno 741. constitutus, anno 752. obiit. Ejus *Epistolæ* XVIII. habentur *Concil.* T. VI. p. 1498. *Epistola ad Theodorum, Episcopum Ticinensem*, apud Dacherium, *in Spicilegio*, T. VIII. p. 120. & Baluzium, *in Append. ad Reginonem.* p. 601. *Dialogi Gregorii* græcè ab ipso versi, extant inter *Opera Gregorii*, editionis Parisiensis, 1640. & alibi. Plura de eo suppeditabunt, Platina, Anastasius Bibl. Ludovicus Jacob, *Bibl. Pontif.* p. 230. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 343. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 96.

ZACHARIAS SCHOLASTICVS.

Seu Sophista, Mitylenes in Lesbo Insula Metropolitanus, Concilio Constantinopol. anno 536. interfuit, atque *contra ea, quæ de duobus principiis à Manichæo quodam scripta, inque viam projecta inveneral, disputationem* scripsit, quæ ex latina Turriani Versione, apud Canisium

um, *Antiqu. Lect.* T. V. p. 143. habetur. *Dialogus contra Philosophos, qui mundi æternitatem adserunt*, gr. lat. cum Turriani & Barthii notis, Lipsiæ, anno 1653. 4. & in *Auctuario Ducæano*, T. I. p. 331. & cum Origenis *Philocalia*, Parisiis 1619. 4. prodiit. Habes utrumque Latinè in *Bibl. Patr.* T. IX. De eo Aub. Miræus, *in Auctuar. de Scriptor. Eccles.* c. 152. p. 209. Possevinus, in *Appar. S.* Conradus Gesnerus, *in Bibliotheca.* Casimirus Oudinus, *Supplem.* p. 127. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 288. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 74.

ZENO.

Veronæ Episcopus, anno circiter 360. Martyrium passus vulgò perhibetur. Sunt tamen qui refragantur & siccâ morte obiisse, aut diversum certe ab illo Zenone tradunt, qui S. Ambrosii ætate, Veronæ Episcopus, Syagrii decessor, vixit. Vide de hoc dubio & vulgò venditatis *Sermonibus de plurimis S. Scripturæ locis & rerum divinarum argumentis*, numero 90. Labbeum, T. II. *dissert. de Scriptor. Eccles.* p. 509. & alios, quos exscribere nolumus. Prodierunt isti *Sermones*, Venetiis, 1508. Veronæ, 1586. 4. *Biblioth. Patr.* T. III. & alibi. Conf. quoque de Zenone Veronensi, Vghellus, *Ital. Sacr.* T. V. Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. I. p. 124. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 202.

IACOBVS ZENVS.

Venetus Patricius, Episcopus Patavinus, ab anno 1465. ad 1476. claruit, atque *Vitam Nicolai Albergati, Episcopi Bononiensis*, scripsit, quæ cum aliis prodiit Coloniæ, 1618. 4. *De gestis P. R.* & *Orationes de humana miseria & de Christi Corpore* memorant Trithemius atque Simlerus, & ex eo Guil. Cave, *Hist. Litter.* P. II. p. 314.

EVTHYMIVS ZIGABENVS.

Monachus Græcus Ordinis S. Basilii, circa annum 1116. quicquid alii hic oberrent, claruit. Ejus *Orthodoxæ fidei dogmatica Panoplia adversus omnes Hæreses*, Latine tantum, Petro Fr. Zino, Veronensi Canonico, interprete, Lugduni, 1536. 8. Parisiis, 1556. 8. Venetiis, 1575. vulgata. *Titulum* ejus ultimum, gr. lat. cum notis edidit Fridericus Sylburgius, in *Saracenicis*, à p. 1. ad 54. exinde Fronto Ducæus, in *Auctuar.* suo T. II. p. 292. *Commentarii in Psalmos & X. Scripturæ Cantica*, gr. Veronæ, anno 1530. Lat. Parisiis, an. 1543. 8. 1547. 8. Venetiis, 1568.

Præfatio in Psalmos prolixa habetur gr. lat. apud Stephanum Moynium, *Var. Sacr.* T. I. p. 150. *Comment. in IV. Evangelia*, gr. Veronæ, 1530. lat. ex versione Jo. Hentenii, Lovanii, 1544. 8. Parisiis 1544. 1560. 8. 1602. Extant hæc omnia Euthymii Zigabeni Opuscula, Lat. in *Bibl. Patr.* T. XIX. p. I. 235. 475. *Commentarios in Epistolas Pauli* ex Chrysostomo & aliis Patribus collectos, Johan. Hentenio interprete, editos tradit Simlerus, *Epitom. Gesner.* f. 193. Conf. de Euthymio Zigabeno, Bellarminum, *de Scriptor.* p. 299. Labbeum, *dissert. de Scriptor.* T. I. p. 311. Guil. Caveum, *Hist. Litter.* P. I. p. 451. P. II. p. 222. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 197.

IOH. ZONARAS.

Constantinopolitanus, ex Magno Drungario Biglæ, & Protoasecretis, Monachus Ordinis Basilii, circa annum 1118. celebris, condidit *Annales*, quos tribus Tomis vulgavit gr. lat. Hieronymus Wolffius, Basileæ, 1557. f. Rectius verò Tomis duobus eos fecit recudi, gr. lat. Carolus du Fresne, Parisiis, 1686. f. *Commentarii in Canones* SS. *Apostolorum*, Lat. Parisiis, 1558. *Commentarii in Canonicas aliquot Græcorum Patrum Epistolas*, gr. lat. ad calcem *Gregorii Neocæsarienſis*, Parisiis, 1621. f. *Comment. in Canones* SS. *Conciliorum*. Lat. Mediolani, 1613. Hi omnes *Commentarii* gr. lat. prodierunt Parisiis 1618. & in *Pandectis Canonum*, cum Beveregii notis. Oxon. 1672. fol. *Proœmium in Tetrasticha Gregorii Naz.* gr. Venetiis, 1563. Alia ejus Opuscula, partim edita, partim in membranis adhuc delitescentia, referunt Labbeus, T. I. p. 617. Guil. Cave, *Histor. Litter.* P. I. p. 452. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 203. De Stylo, quô usus potissimum fuit in *Annalibus* Zonaras, ipse non dubitat scribere, *Annal.* T. I. p. 3. *Dictionem esse variam, nec per omnia sui similem, nemo miretur, aut culpet orationem, aut me autorem illius. Cum enim historiam ex variis autoribus veluti stipem colligere necessum habeam, in multis illorum & dictione & compositione utendum erit. Sicubi tamen ipse de meo aliquid interjecero ac inseruero, stylus ad illius, quem sequor, autoris formam accommodabitur, ne Scriptura à sese dissidere videatur.* Plura de Joh. Zonara suppeditabunt, Vossius, *de Hist. Græc.* Lib. II. c. 26. *Journal des Scavans*, T. XV. p. 281. seq. & 294. seq. *Acta Eruditor. Lipsi.* anno 1687. mense Septembri, p. 663. Elogia Zonaræ exhibet Tho. Pope-Blount, *Censur. celebr. autor.* p. 376.

ZOSI-

ZOSIMVS P. R.

Gente Græcus, ab anno 417. ad sequentem, Pontifex Romanus, Pelagium quidem ac Cælestium, Hæreticos, initio orthodoxos pronunciavit, postea verò meliora ab aliis edoctus, illos condemnavit. Pluribus de eo, ejusque cum Africanis Episcopis, controversia, dixit Guil. Cave, *Histor. Litter.* P. I. p. 217. & Clerc. *Bibl. Vniversl.* T. VIII. p. 205. seq. Extant *Epistolæ* XIII. *Concil.* T. II. p. 1556. quas Zosimo prolixè vendicat Garnerius, in *Append. ad* P. I. *Operum Mar. Mercatoris*, *Dissertat. 2.* c. 9. Alia, quam eruditi desiderant, Zosimi adversus Pelagianos *Epistola*, memoratur Caveo, *loco citato*. Fragmenta ejusdem exhibet Augustinus, *Epistol.* 157. ad Optatum, & alii. Conf. præter autores jam citatos, Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. III. à p. 257. ad 260. atque uberrimum exinde fructum percipies. Adde Lud. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 232.

ZOZIMAS.

Cœnobii cujusdam in Palæstina Abbas sive Archimandrita, de quo quidem multa notatu non indigna refert Possinus, quibus eum cum Zozima, anno 432. celebri, conjungere laborat. Verum tanti ejus argumenta non judicat Cave, *Dissert. I. de incertæ ætatis Scriptoribus* p. 17. quæ mereantur assensum. Extant Zozimæ *Alloquia Ascetica*, gr. lat. apud Possinum, in *Thesauro Ascetico*, Parisiis, 1684. 4. edito, p. 279. Laudat hoc Zozimæ Opusculum idem Possinus, propter efflorescentem in illo genuinam indolem verè Asceticorum sensuum, & quendam svavissimè fragrantem ex uberi, quâ penitus imbuitur, unctione Spiritus, heroicæ sanctimoniæ odorem. Multa ex Zozima desumpsit Jo. Moschus, quæ *Prato Spirituali* inseruit, eodem notante Possino, in præfat. *Thesauri Ascetici*, quem *Acta Eruditorum Lipsiens.* anno 1685. mense Novembr. p. 488. repræsentant.

ADDENDA ET CORRIGENDA IN ALTERA PARTE BIBLIOTHECÆ SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

Ad pag. 34.

NORBERTVS.

Numum in Norberti memoriam cusum illustravit frater carissimus, Jo. Christophorus Olearius, in peculiari ad Cl. Christophorum Krausium, Hallensem Medicum, *Epistola*, ut jam suprà diximus. Sed falsò illam de *Numis* Norberti *bracteatis* inscripsimus, cum potius *numum solidum* edisserat.

Ad pag. 47.

ORIENTIVS.

Commonitorium fidelium Orientii denuò collatis duobus manuscriptis Codicibus, Aquicinctino & Turonensi, integro libro secundo addito, vulgavit, notasque variorum adjecit Henr. Leonardus Schurtzfleischius, Vitembergæ, 1706. 4. Accessit doctissima ejusdem V. C. præfatio.

Ad p. 77.

PETRVS de HONESTIS.

Sive Damiani, a fratre, quem Parentis loco habuit, cognominatus, Civis Ravennas, Ord. Bened. Monachus, & Abbas, inde, circa annum 1059. Episcopus Ostiensis & Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, corpore juxta nonnullos solutus, an. 1072. Si autem Epitaphio

phio fides, anno demum 1119. obiit. Exhibet illud Silvest. Marulus, *Mare Oceano della historia Sacra di tutte le Religioni*, Lib. I. f. 20.

Hic situs est Petrus Peccans cognomine dictus,
Cui dedit hanc aulam meritorum condere Christus,
Anno Milleno Centeno debita solvit
In decimoque nono defunctus corpore dormit.

Confer. de pœnitentia centum annorum Petro Damiano ob abdicatum Episcopatum à Pontifice injuncta, & quomodo illam uno anno redemerit, Cornelium à Lapide, *Comment. ad Jerem.* p. 788. b. Evolve, si vacat, autores circa eum à Labbeo, T. II. p. 201. productos penè multos & adde Elogia, quæ congesit Daumius, sæpius laudata *Præfatione Homiliarum S. S. Patr. Natalit.* Opera Petri in unum collecta cum animadversionibus Constantini Cajetani, tribus Tomis prodierunt. Primus quidem, Romæ 1606. Secundus, 1608. Tertius, A. 1615. recusi Lugduni, A. 1623. f. Quarto autem Tomo adjecto, Parisiis, an. 1642. 1663. Seorsim excusa sunt Liber de correctione Papæ & Episcopi, Argentorati, 1562. & cum aliis, Francof. 1614. 1621. & alibi. *Epistolarum* Libri VIII. Parisiis, 1619. 4. Opera Damiani omnia repræsentant Labbeus, & Guil. Cave, P. I. *Histor. Litter.* p. 427. De eo Vossius, de *Histor. Lat.* Lib. II. c. 45. Casimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 377. Dattichius, *Histor. Cardin.* T. I. p. 16. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 84. seqq.

Ad p. 154.

PETRVS SCHOTTVS.

Argentorati, an. 1459. natus, Lutetiæ, atque Bononiæ studiis incubuit, magnamque nominis celebritatem, sibi comparavit. Poeseos quippe, Rhetoricæ, ac Græcarum Litterarum callentissimus, juri utrique se dedit, hincque Lauream & Doctoratus insignia cepit. Claruit Schottus maximè circa annum 1488. quo patriæ Ecclesiæ Canonicus constitutus fuit. Ingenii ejus, quæ reliquit, monumenta, Argentinæ, 1498. prodierunt. Sunt autem *Vitæ S. S. Joh. Baptistæ & Evangelistæ & Chrysostomi*, carmine elegiaco, *Laudes Joh. Gersonis*, *Epistolæ & Quæstiones variæ de rebus ad Conscientiam pertinentibus.* Plura dabunt de Petro Schotto, Trithemius, *de Scriptor.* p. 190. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 118.

Ad

Ad p. 113.

RADVLPHVS de COLVMNA.

Hujus de *Translatione Imperii* Tractatus seorsim quoque prodiit Basileæ, 1566. 8. De eo cæteroquin non immeritò dubitat Cave, P. II. *Hist. Litter.* p. 274. num sit ille, qui *Landolfus de Columna* alioqui scribitur.

Ad p. 160.

SVLPICIVS SEVERVS.

Sulpicii Severi *Historia Sacra* cum observationibus philologicis, ad modum Jo. Minellii excusa est Lipsiæ, an. 1711. 12.

Ad p. 215.

PETRVS TVDEBODVS.

Presbyter apud Pictones Sivracensis, quem male Italum credidit Aubertus Miræus, in Auctuar. *de Scriptor. Eccles.* c. 358. pag. 246. *de Itinere Hierosolymitano*, cui interfuit, scripsit, quod opusculum, cum aliis consimilibus Hanoviæ, A. 1611. prodiit. Illum ad ann. 1096. reposuit Casimirus Oudinus, *Supplem. de Scriptor.* p. 357. quem sequimur.

Errata.

Pag. 5. lin. 19. lege, Episcopo p. 6. l. 31. quem. p. 9. l. 29. Goar. p. 15. l. 8. Daciæ. p. 23. l. 5. pro sua dimicat sententia Michael. Henr. Reinhardus. p. 24. l. u. an. 1090. p. 29. l. 25. an. 961. p. 40. l. 25. quo. p. 43. l. 14. an. 940. l. 23. Catenæ. p. 44. l. 25. Oresii. l. 33. an. 1614. p. 49. l. ult. Liber iste. p. 55. l. 25. de Sanctis, pro, Scriptura Sacra. p. 101. l. 4. 268. pro 261. p. 123. l. 28. anno 855. p. 133. l. 5. Anglicè, Gallicè. p. 166. l. 5. an. 469. p. 179. l. 23. animadversionibus, p. 216. l. 8. Petavionensis, p. 231. l. 3. Ludovicus.

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS.

Sec. I.

Nicodemus	anno 34	Linus, Pontif. Rom.	a. 64
S. Barnabas	an. 34	Clemens, P. R.	a. 65
Philo Judæus	a. 40	Hermas, Pastor	a. 65
Dionysius Areopagita	a. 50	Martialis Lemovicensis	a. 70
Achaiæ Presbyteri	a. 59	Prochorus	a. 70
Abdias, Babylonius	a. 59	Cerinthus	a. 80.

Sec. II.

Ignatius, Martyr,	anno 101	Melito Asianus	a. 170
Philo, Diaconus Tarsensis	an. 107	Cl. Apollinaris	a. 170
Polycarpus, Smyrnensis	a. 108	Dionysius Corinthiacus	a. 170
Papias	a. 110	Hegesippus	a. 170
Basilides, Gnosticus	a. 112	Bardesanes	a. 172
Hermes Pseudo-Trismegistus	a. 120	Tatianus	a. 173
Epiphanes	a. 120	Theodotion	a. 175
Quadratus Athenienſis	a. 123	Athenagoras	a. 177
Pius, P. R.	a. 127	Hermias	a. 177
Aquila	a. 128	Asterius Urbanus	a. 188
Agrippa Castor	a. 132	Rhodon	a. 189
Hermes, Presbyter	a. 136	Serapion	a. 190
Aristo Pellæus	a. 136	Theophilus Cæsarienſis	a. 192
Justinus Martyr	a. 140	Clemens Alexandrinus	a. 192
Ptolomæus Hæreticus	a. 159	Tertullianus	a. 192
Abercius Hierapolitanus	a. 164	Apollonius	a. 192
Irenæus	a. 167	Athenogenes Martyr	a. 196
Theophilus Antiochenus	a. 168		

Sec. III.

Cajus, Presbyter	anno 210	Sixtvs II. P. R.	anno 256
Alexander Cæsarienſis	a. 212	Dionyſius P. R.	259
Hippolytus Portuenſis	220	Paulus Samoſatenſis	260
Antonius Alexandrinus	220	Aurelius	260
Julius Africanus	220	Anatolius Alexandrinus	270
Minucius Felix	230	Commodianus	270
Origenes	230	Theognoſtus	270
Firmilianus	233	Manes, Hæreticus	277
Cyprianus Martyr	248	Archelaus	278
Cornelius, P. R.	251	Diodorus, Presbyter	278
Novatianus	251	Victorinus Petavionenſis	290
Pontius, Diaconus,	251	Methodius Eubulius	290
Stephanus I. P. R.	253	Pamphilus	294
Gregorius Thaumaturgus	454	Lucianus	294
Novatus Monachus	254	Phileas	296
Dionyſius Alexandrinus	254		

Sec. IV.

Anaſtaſia Romana	anno 301	Athanaſius Alexandrinus	anno 326
Petrus Alexandrinus	301	Donatus	329
Arnobius Afer	303	Juvencus	329
Lactantius	303	Ammonius Ægyptiacus	330
Dorotheus Tyrius	303	Antonius Abbas	330
Alexander, Epiſcopus Alexandrin.	313	Aſterius Arianus	330
Arius, Hæreticus	315	Acacius Cæſarienſis	330
Euſebius Pamphilus	315	Theodorus Heracleenſis	334
Hoſius	316	Criſpinus	337
Conſtantinus M.	316	Pachomius	340
Joh. Nicomed.	316	Julius Firmicus Maternus	340
Euſebius Pamphilus	324	Euſebius Emiſſenus	341
Euſebius Nicomedienſis	324	Oreſieſis	344
Euſtathius	325	Serapion	347
Jacobus Sapiens	325	Cyrillus Hieroſolymitanus	350

Liberius, P.R.	anno 352	Hieronymus Stridonenſis	anno 378
Euſebius Vercellenſis	354	Auſonius	379
Hilarius Diaconus	354	Timotheus Alexandrinus	379
Lucifer Calaritanus	354	Philaſtrius	380
Potamius	357	Idacius Clarus	380
Phœbadius	359	Evagrius Ponticus	380
Aetius Hæreticus	359	Nectarius	381
Meletius Antiochenus	360	Diodorus Tarſenſis	381
Eunomius	360	Flavianus Antiochenus	381
Zeno Veronenſis	360	Helvidius	382
Titus Boſtrenſis	362	Fauſtinus Presbyter	384
Victorinus Afer	362	Arſenius	384
Apollinarius Senior	362	Polemon	385
Cæſarius, Naz. frater	362	Siricius P.R.	385
Candidus Arianus	364	Theophilus Alexandrin.	385
Ulphilas	365	Joh. Hieroſol.	386
Damaſus P.R.	367	Gaudentius Brixienſis	387
Optatus	368	Evagrius Antiochenus	388
Epiphanius Conſtantienſis	368	Flavius Dexter	388
Pacianus	370	Sophronius	390
Paphnutius	370	Secundinus	390
Petrus Sebaſtenus	370	Vigilius Tridentinus	390
Gregorius Nyſſenus	370	Tichonius	390
Gregorius Naz.	370	Aurelius Carthag.	390
Gregorius Bæticus	370	Hilarion	390
Didymus Alexandrinus	370	Ruffinus Aquilej.	390
Apollinarius Junior	370	Amphilochius Iconienſis	392
Baſilius M.	379	Aurelius Auguſtinus	396
Ephræm. Syrus	370	Hilarion	397
Eſaias Abbas	371	Anaſtaſius I. P.R.	398
Petrus Alexandr. Junior	371	Joh. Chryſoſtomus	398
Proba Falconia	371	Paulinus Nolanus	399
Macarius Ægyptius	373	Petilianus	399
Macarius Alexandrinus	373	Ammon Ægyptiacus	399
Ambroſius Mediolanenſis	374	Aſterius Amaſenus	400
Martinus Turonenſis	375	Fauſtus Milevitanus.	400

Sec. V.

Severus Sulpitius	anno 401	Leporius	anno 420
Victor Antiochenus	401	Severus Milevitanus	420
Severianus	401	Evodius Uzal.	420
Philo Carpathius	401	Faſtidius Priſcus	420
Palladius	401	Iſidorus Cordubenſis	420
Marcus Eremita	401	Julianus Hæreticus	420
Panædorus	401	Maximus Taurunenſis	422
Chromatius	401	Cæleſtinus I. P.R.	423
Anianus	401	Theodoritus	423
Antiochus Ptolemaitanus	401	Joh. Caſſianus	424
Marcus Gaz.	403	Sabinus	425
Polybius	403	Lupus Trecenſis	426
Evodius Africanus	404	Joh. Antiochenus	427
Prudentius	405	Meletius Mopsveſtenus	428
Philoſtorgius	405	Neſtorius	428
Pelagius Hæret.	405	Poſſidius	430
Atticus Conſtantinop.	406	Olympius	430
Cæleſtius Hæret.	407	Hilarius Arelat.	430
Nonnus	410	Alypius Prebyter	430
Polychronius	410	Acacius Berrhoënſis	430
Paulinus Biterrenſis	410	Uranius Presbyter	431
Syneſius	410	Theodoſius Ancyranus	431
Cyrillus Alexandrinus	412	Paulus Emeſenus	431
Iſidorus Peluſiota	412	Rabbulas	431
Lucianus Presbyter	415	Memnon	431
Paulus Oroſius	416	Eutherius	431
Zoſimus P.R.	417	Helladius Tarſenſis	431
Bonifacius I. P.R.	418	Juvenalis	431
Heſychius Salonitanus	418	Maximianus	431
Marius Mercator	418	Maximinus	431
Severus Balear.	418	Rheginus Conſtantienſis	431
Paulinus Presbyter	420	Acacius Melitenus	431
Niceas	420	Alexander Hierapolitanus	431
Vigilius Diaconus	420	Dorotheus Martianop.	431

Andreas

Andreas Samosatensis	anno 431	Anatolius Constantinop.	449
Capreolus	431	Honoratus Antonius	450
Charisius	431	Athanasius Presbyter	451
Sixtus III. P.R.	432	Ischyrion	451
Patricius	432	Photius Tyrius	451
Petrus Chrysologus	433	Theodorus Diaconus	451
Maximus Rhegiensis	433	Proterius	451
Adrianus	433	Salonius	453
Sedulius	434	Leo Bituricensis	453
Proclus	434	Rusticus Episcopus	454
Vincentius Lirin.	434	Chrysippus	455
Victorinus Massilienſis	434	Jacobus Diaconus	456
Eucherius	434	Agapetus Rhodiensis	457
Dracontius	435	Julianus Coensis	457
Paulus Persa	436	Lucianus Byzensis	457
Valerianus Cemelienſis	439	Valentinus Philipp.	457
Leo I. P.R.	440	Victorius Aquitanus	457
Petronius	440	Theotimus	457
Socrates Scholasticus	440	Gennadius Constantinop.	458
Philippus Presbyter	440	Victor Cartennensis	460
Salvianus	440	Antipater Bostrensis	460
Sozomenus	440	Antonius Monachus	460
Eustathius Basilii Interpres	440	Arnobius Junior	460
Constantius Lugdunensis	440	Bachiarius	460
Nilus Monachus	440	Diadochus	460
Bassianus	443	Hilarius, P.R.	461
Paschasinus	443	Leontius Arelat.	461
Cyrus Theodorus Prodromus	444	Paulinus Petricordius	461
Prosper Aquitanus	anno 444	Perpetuus	461
Idatius Lemicensis	445	Claudiauus Mamertus	462
Flavianus Constantinopolitanus	447	Simplicius P.R.	467
Turibius	447	Ruricius	470
Basilius Seleucienſis	448	Gregentius	470
Eusebius Dorilæensis	448	Acacius Constantinop.	471
Eutyches Presbyter	448	Remigius Rhemensis	471
Symeon Stylites Senior	448	Faustus Rejensis	472

Sidonius Apollinaris	anno 472	Æneas Gazæus	anno 487
Gelasius Cyzizenus	476	Victor Uticensis	487
Petrus Mongus	477	Honoratus Massilienſis	490
Eugenius Carthaginenſis	480	Avitus Viennenſis	490
Felix III. P.R.	483	Cerealis	490
Jo. Ægeates	483	Gelasius I. P.R.	492
Antheon	484	Turcius Rufus Asterius	494
Asclepiades Trallenſis	484	Gennadius Massil.	495
Fauſtus Apollonius	484	Anastasius II. P.R.	496
Juſtinus Siculus	484	Julianus Pomerius	496
Quintianus	484	Candidus Isaurus	497
Pamphilus Abyd.	484	Ruſticus Helpidius	498
Sabas	484	Symmachus P.R.	498
Vigilius Afer	484	Andreas Cæsarienſis	500

Sec. VI.

Paschasius Diaconus	anno 501	Fulgentius Ferrandus	anno 520
Cæsarius Arelat.	502	Poſſeſſor	520
Laurentius Mellifluus	507	Petrus Diaconus	520
Anianus Junior	507	Procopius Gazæus	520
Fulgentius Ruſpenſis	508	Trifolius	520
Epiphanius Scholaſticus	510	Joh. I. P.R.	523
Boethius	510	Felix IV. P.R.	526
Timotheus Conſtantinop.	511	Ephræmius Antioch.	526
Ennodius	511	Nicetius Trevirenſis	527
Eugyppius Lucullan.	511	Simeon Stylites, Junior	527
Severus Antiochenus	513	Dacius Mediolanenſis	527
Ægidius Abbas	514	Agapetus Conſtantinop.	527
M. Aurelius Caſſiodorus	514	Juſtus Orgellitanus	529
Hormisdas P.R.	514	Eugyppius Abbas	530
Orientius	516	Tetradius	530
Joh. Conſtantinop.	517	Bonifacius II. P.R.	530
Theodorus Lector	518	Benedictus Caſinenſis	530
Epiphanius Conſtantinop.	519	Cogitoſus	530
Joh. Maxentius	520	Montanus Toletanus	680

Joh. II. P. R.	anno 532	Bernardus Abbas fontis calidi	a. 557
Dionysius Exiguus	533	Venantius Fortunatus	560
Marcellinus Comes	534	Martinus Braccarensis	560
Liberatus Diaconus	535	Simplicius Monachus	560
Agapetus P. R.	535	Eustratius Constantinop.	560
Anthimus	535	Cresconius Corippus	560
Mennas	536	Anastasius Sinaita	561
Zacharias Scholasticus	536	Joh. Climacus	564
Sylverius	536	Theodorus Iconiensis	564
Eutychianus Adanensis	539	Joh. de Qvalea	568
Gordianus	539	Timotheus Hierosolym.	570
Facundus Hermian.	540	Cosmas Monachus	576
Aretas Cæsarienſis	540	Pelagius II. P. R.	579
Isaacus Syrus	540	Joh. Climacus	580
Vigilius P. R.	540	Evanthus	581
Arator	543	Eulogius Alexandr.	581
Victor Capuanus	545	Marius Aventicensis	581
Domitianus Ancyrænus	545	Gildas Sapiens	581
Verecundus	546	Leander	583
Aurelianus Arelatensis	546	Licinianus	584
Cyprianus Vitæ Cæsar. Scriptor	546	Joh. Gerundensis	585
Rusticus Diaconus	550	Joh. Jejunator	585
Primasius	550	Columbanus	589
Junilius	550	Leontius Cyprius	590
Mutianus Scholasticus	550	Leontius Byzantinus	590
Jornandes	552	Georg. Florent. Gregorius	590
Eutychius Constantinop.	553	Gregorius I. P. R.	590
Ferreolus	553	Dynamius	593
Agnellus	555	Evagrius Scholasticus	595
Cyrillus Scythopolitanus	555	Isidorus Hispalensis	595
Germanus Parisiensis	555	Augustinus Cantuar.	596
Paulus Cyrus Florus	555	Photinus	596
Pelagius I. P. R.	555	Anastasius Sinaita Junior	599
Victor Tununensis	555	Eutropius Valentinus	599
Procopius Cæsariensis	557		

Sec. VII.

Paterius	anno 601	Georgius Piſides	anno 640
Dorotheus Archimandr.	601	Anaſtaſius Nicenus	640
Euſebius Theſſalon.	601	Donatus Biſuntinus	640
Fauſtus Caſſinenſis	601	Audœnus	640
Heſychius Hieroſolym.	601	Cummianus	640
Joh. Philoponus	601	Eligius Lemovicenſis	640
Joh. Malala	601	Paulus Conſtantinop.	642
Themiſtius	601	Theodorus P.R.	642
Bonifacius V. P.R.	607	Tajo	644
Sergius Conſtantinop.	608	Maximus Confeſſor	645
Marcus Caſin.	610	Sergius Cyprius	645
Paulus Emeritenſis	610	Eugenius Toletanus	646
Theophylactus Simocatta	611	Severus Alexandrinus	646
Georgius Eleucius	614	Theodorus Rayth.	646
Antiochus, Monachus	614	Victor Carthaginenſis	646
Anaſtaſius Monachus	618	Maurus Ravennat.	649
Nennius	620	Martinus I. P.R.	649
Bonifacius V. P.R.	620	Florentinus Presbyter	650
Georgius Alexandr.	620	Fructuoſus	656
Sulpitius Bituric.	624	Vitalianus	657
Verus	625	Ildefonſus	657
Honorius I. P.R.	626	Syricius	657
Braulio	627	Marculphus	660
Sophronius Hieroſolym.	629	Cummeneus	660
Joh. Moſchus	630	Anaſtaſius Apocriſiarius	660
Gallus Abbas	630	Jonas Abbas	664
Cyrus Alexandrinus	630	Theodorus Cautuarienſis	668
Eubulus	631	Theodorus & Theodoſius	668
Andreas Cretenſis	635	Adeodatus Papa	672
Deſiderius Cadurcenſis	635	Agatho Papa	679
Theodorus Pharan.	640	Adamannus	679
Thalaſſius	640	Petrus Nicomedienſis	680
Paulus Neapolitanus	640	Theodorus Campedon.	680
Joh. IV. P. R.	640	Valerius Aſturicenſis	680

Mans-

Mansvetus	anno 680	Sergius I. P. R.	anno 688
Julianus Toletanus	-	Arculphus	690
Adelmus	-	Bobolenus	-
Agatho Constantinop.	-	Cresconius Afer	-
Aponius	-	Ursinus Gallus	-
Baudemundus	-	Felix Toletanus	693
Ceolfridus	-	Angradus	699
Macarius	-	Joh. Carpathius	700
Benedictus II. P. R.	anno 685		

Sec. VIII.

Beda Venerabilis	anno 701	Stephanus II. P. R.	anno 752
Acca, Hagulstadiensis	705	Isidorus Pacensis	754
Ailleranus	-	Marcellinus Eborac.	755
Joh. VII, P. R.	-	Paulus I. P. R.	757
Constantinus P. R.	708	Aribo	760
Siviardus	710	Ambrosius Authpertus	-
Ioh. Constantinop.	712	Florus Monachus	-
Gregorius II. P. R.	715	Carolus M.	768
Germanus Constantinop.	715	Gotteschaleus Leodiensis	770
Antenor	720	Hadrianus I. P. R.	772
Stephanus Eddius	720	Turpinus	773
Bonifacius Moguntinus	723	Paulus Warnefrid.	774
Jonas Fontanell.	729	Anso Abbas	776
Joh. Damascenus	730	Paulinus Aquilej.	-
Egbertus Eboracensis	730	Flaccus Alcuinus	780
Gregorius III. P. R.	731	Etherius	785
Cuthbertus	740	Tarasius	-
Cosmas Hierosolymitanus	740	Basilius Ancyranus	787
Anastasius Abbas	741	Elias Cretensis	-
Zacharias P. R.	-	Epiphanius Catanensis	-
Chrodogandus	742	Theodosius Ammon.	787
Willibaldus	-	Donatus Mediomatr.	790
Marcus Hydrunt.	750	Theophanes Confessor	792
Priminius	-	Georgius Syncellus	-

Theodulphus Aurelianenſis	anno 794	Jeſſe	anno 799
Leo III. P. R.	795	Arno Salisburg.	800
Leidradus	798		

Sec. IX.

Benedictus Abbas	anno 801	Claudius Scotus	anno 820
Nicephorus Chartophylax	-	Jonas Aurelian.	anno 821
Sergius Syrus	-	Bertoldus Micianenſis	-
Ludgerus	802	Dungalus	-
Odilbertus	804	Adalardus	822
Andreas Lucenſis	806	Eugenius II. P. R.	824
Nicephorus Patr. Conſtantinop.	-	Freculphus	-
Joſephus Confeſſor	809	Candidus Fuldenſis	826
Othelgrimus	-	Anſegiſus	827
Ignatius Diaconus Conſtantinop.	810	Gregorius VIII. P. R.	828
Smaragdus Verdunenſis	-	Theoſteriſcus	-
Amalarius Trevirenſis	-	Vulfinus Boetius	830
Hatto	811	Michael Syncellus	-
Amalarius Metenſis	812	Anſcharius	-
Agobardus	813	Lupus Servatus	-
Naucratius	-	Ernoldus Nigellus	834
Theodorus Studites	-	Chriſtophorus Patriarcha	836
Frotarius	-	Ardo Smaragdus	-
Hilduinus	814	Florus Magiſter	837
Hetto	-	Theganus	-
Halitgarius	816	Alfridus Monaſterienſis	839
Moduinus	-	Ratramnus	840
Ebbo	-	Gotteſchalcus	-
Eginhardus	817	Ermanricus	-
Paſchalis I. P. R.	-	Amulo Lugdunenſis	841
Sedulius Scotus	818	Haymo	-
Theodorus Graptus	-	Georgius Hamartolus	842
Ægil	-	Joh. Hieroſol.	-
Anaſtaſius Abbas	-	Walafridus Strabo	-
Ethelwolfus	820	Methodius Confeſſor	-

Nithardus	anno 843	Basilius Macedo	867
Paschasius Radbertus	844	Theodorus Abucara	-
Engelmodus	-	Hadrianus II. P. R.	-
Sergius II. P. R.	-	Josephus Alexandr.	869
Theophanus Graptus	845	Theodosius Hierosol.	-
Hincmarus Rhemensis	-	Michael Alexandr.	-
Prudentius Galindus	846	Odo Glannafoliensis	-
Eulogius Cordubensis	847	Epiphanius Cyprius	870
Ignatius Constantinop. Patr.	847	Anastasius Bibliothecarius	-
Leo IV. P. R.	-	Petrus Siculus	-
Rabanus Maurus	-	stylianus	-
Pardulus	-	Ælfredus	871
Ermenricus	850	Walterius Aurelian.	-
Hildegarius	-	Aimoinus Parisiensis	872
Rudolphus Fuldensis	-	Hartmutus	-
Wandelbertus	-	Joh. VIII. P. R.	873
Æneas Parisiensis	854	Joh. Diaconus Rom.	874
Benedictus III. P. R.	855	Usuardus	876
Herardus	-	Michael Monachus	878
Christianus Druthmarus	-	Nicetas Paphlago	880
Remigius Lugdun.	-	Herricus	-
Angelomus	856	Ratpertus	-
Hincmarus Laudunensis	-	Remigius Antissiodor.	-
Bertharius	857	Abbo Parisiensis	-
Nicolaus I. P. R.	858	Georgius Nicomediensis	-
Photius Constantinop.	-	Helias Hierosol.	881
Joh. Erigena	-	Martinus II. P. R.	882
Metrophanes	-	Stephanus V. P. R.	885
Ado Viennensis	859	Wolffhardus	886
Alvarus Cordubensis	-	Leo Sapiens	-
Isaacus Lingonensis	-	Herembertus	887
Iso	860	Walterius Senonensis	-
Ermentarius	863	Riculphus	889
Rembertus	865	Notkerus Balbulus	890
Milo	866	Joh. Diaconus Constantinop.	-
Wulfadus	-	Guil. Bibliothecarius	-

Adrevaldus Floriacensis	anno 890	Waldramnus	anno 895
Altmannus	-	Nicephorus Patr. Constantinop.	-
Asserius Menevensis	-	Stephanus VI. P. R.	896
Formosus P. R.	891	Joh. IX. P. R.	898
Salomon	-	Benedictus IV. P. R.	900
Nicolaus Mysticus	892	Cyprianus Cordubensis	-
Regino	-	Herveus, Rhemensis	-
Auxilius	894	Ottfridus	-
Gregorius Monachus	895		

Sec. X.

Simeon Metaphrastes	anno 901	Joh. XII. P. R.	ann 0956
Stephanus Leodicensis	903	Theodorus Daphnopates	-
Constantinus Porphyrogenneta	911	Fridegodus	960
Joh. X. P. R.	915	Adso Hermiricus	.
Hubaldus	916	Nicon	961
Odo Cluniacensis	926	Bernerus	964
Ratherius	928	Fulcuinus	965
Odilo Monachus	930	Joh. XIII. P. R.	-
Udalricus Augustanus	-	Reginaldus	-
Gerhardus Suession.	932	Simeon Logotheta	967
Hippolitus Thebanus	933	Peregrinus Laureac.	970
Eutychius Alexandr.	-	Rotgerus	-
Leo VII. P. R.	936	Abbo Floriacensis	-
Wittikindus	940	Notkerus Leodiensis	971
Flodoardus	-	Benedictus VI. P. R.	972
Adelagus Bremensis	-	Benedictus VII. P. R.	975
Gregorius Presbyter	-	Severus Ægyptius	978
Atto Vercellensis	945	Suidas	980
Agapetus II. P. R.	946	Roswitha	-
Joh. Italus	950	Gerhardus Presbyter	-
Luitprandus	-	Adso Dervensis	-
Bruno M.	954	Ælfricus	-
Dunstanus	955	Ethelwerdus	-

Ingelramnus	anno 981	Dudo	anno 990
Joh. XV. P. R.	986	Letaldus	-
Moſes Bar-Cepha	990	Odilo Abbas	994
Reimannus	-	Gebehardus	995
Olympiodorus	-	Siſinnius Conſtantinop.	-
Oecumenius	-	Burcardus Wormat.	996
Stephanus Germanus	-	Gregorius V. P. R.	-
Harigerus	-	Sylveſter II. P. R.	999

Sec. XI.

Wolſtanus	anno 1001	Drogo Morinenſis	anno 1031
Aimoinus Floriacenſis	-	Odorannus	1032
Godehardus	1002	Bruno Herbipolitanus	1033
Golzbertus	-	Berengarius	1035
Fulbertus	1007	Theophanes Cerameus	1040
Adelboldus	1008	Petrus Antiochenus	-
Meginfredus	1010	Hermannus Contractus	-
Sampirus	-	Hepidamnus	-
Arnoldus Halberſtat.	1011	Dominicus Gradenſis	-
Erchinfredus	1012	Eugeſippus	-
Benedictus VIII. P. R.	-	Nylus Doxopatra	1043
Berno Augienſis	1014	Michael Cerularius	-
Ditmarus	1017	Bovo	-
Hugo Turonenſis	1020	Leo Atinenſis	1044
Olbertus	1020	Glaber Rodulphus	1045
Tangmarus	1024	Ainardus	1046
Arnolphus Monachus S. Emmerani	-	Clemens II. P. R.	-
Warmannus	1025	Hugo Cluniacenſis	1048
Alexius Studita	1025	Eversheimus	-
Elias Niſibenſis	1026	Adelmannus	-
Joh. Fiſcamnenſis	1028	Deoduinus	-
Warinus	-	Gislebertus Monachus	-
Hugo de Britolio	1030	Leo IX. P. R.	1049
Ademarus	-	Anſelmus Leodienſis	-

Evervinus	anno 1050	Osbernus	anno 1070
Gerhardus Monachus	-	Petrus Gallus	-
Michael Pſellus	-	Willeramus	-
Helgaldus	-	Durandus Troarnenſis	-
Richardus Bellilocenſis	-	Conradus Monachus	-
Leo Achridrenus	1053	Anſelmus Lucenſis	1071
David Maronita	-	Theophylactus	-
Humbertus Cardinalis	1054	Samona	1072
Joh. Euchait.	-	Conſtantinus Afer	-
Victor II. P. R.	1055	Wilhelmus Metenſis	1073
Wipertus	1056	Gregorius VII. P. R.	-
Nicetas Pectoratus	1057	Conradus Ultraject.	1075
Georgius Cedrenus	-	Ingulphus	1076
Alphanus Salernitanus	-	Lambertus Schaffnaburg.	1077
Albericus Caſinenſis	-	Nicetas Serron	-
Stephanus IX. P. R.	-	Bruno Aſtenſis	1079
Conſtantinus Lichudes	1058	Urſio	1080
Drogo Belga	-	Adamus Bremenſis	-
Marianus Scotus	-	Hugo Dienſis	-
Osmundus	1059	Deſiderius Papa	1085
Nicolaus II. P. R.	-	Benno Cardinalis	-
Petrus Damiani	-	Micrologus	-
Metellus	1060	Ricemarchus	-
Gozechinus	-	Bruno Carthuſianus	1086
Gauferius	-	Paulus Benridienſis	-
Folcardus	-	Joh. Atinenſis	1087
Alexander II. P. R.	1061	Victor III. P. R.	-
Helmoldus	1065	Robertus de Tumbalenia	-
Guitmundus	1066	Urbanus P. R.	1088
Bertoldus Conſtantienſis	-	Nicolaus Grammaticus	1089
Joh. Xiphilinus	1068	Rabbi Samuel	1090
Manaſſes	-	Guil. Pictavienſis	-
Sigifridus	1069	Nicolaus Methonenſis	-
Lanfrancus Cantuar.	1070	Petrus Diaconus	1092
Gualdo Corbejenſis	-	Yvo	-

Anſelmus Cantuarienſis	anno 1093	Alulphus	anno 1096
Lambertus Atrebatenſis	1094	Baldricus Tornacenſis	1097
Heningus	1095	Gaufredus à Mala terra	-
Petrus de Agiles	-	Hildebertus de Lavardino	-
Gotſelinus	1096	Theodoricus Trudonis	1099
Marbodus	-	Paſchalis II. P. R.	-
Petrus Tudebodus	-		

Sec. XII.

Theodorus Monachus	anno 1101	Leo Oſtienſis	anno 1110
Sigebertus Gemblacenſis	-	Godefridus Vindocinenſis	-
Nalgodus	-	Stephanus Leodienſis	-
Nicephorus Monachus	-	Cyrus Theodorus Prodromus	-
Theofridus	-	Petrus Chryſolanus	-
Othlonus	-	Syrus	-
Robertus de Remigio	-	Nicetas Seidus	-
Hugo Flaviniacenſis	-	Berengoſus	-
Anſelmus Laudunenſis	-	Euſtratius	-
Guibertus	-	Gilebertus Lumnicenſis	-
Benno Misnenſis	-	Joh. Lugdunenſis	1112
Gilbertus Weſtmonaſter.	-	Franco	-
Rodericus Tortarius	1102	Anſelmus Gemblacenſis	-
Galterus	1103	Stephanus Auguſtodunenſis	1113
Rainaldus de Semur.	1104	Baldricus Dolenſis	1114
Ælnothus	1105	Bernardus Claræval.	1115
Gregorius Caſſinenſis	-	Laurentius Veronenſis	-
Hariulfus	-	Earnulphus	-
Philippus Solitarius	-	Hermannus ex Jud. Chriſtianus	1116
Odo Cameracenſis	-	Gelaſius P. R.	1118
Petrus Alphonſus	1106	Nicephorus Bryennius	-
Anscherus	1108	Florentinus Wigornienſis	-
Turgotus	-	Anna Comnema	-
Stephanus Hardingus	1109	Calliſtus II. P. R.	1119
Pelagius Ovetenſis	-	Petrus Abelardus	1120

Hugo

Hugo de S. Victore	anno 1120	Radulphus Ardens	anno 1130
Hugo Floriacensis	-	Simeon Dunelmensis	-
Hugo de Folieto	-	Reinerus Leodiensis	-
Nicolaus Svession.	-	Benedictus Anglus	-
Odo Astensis	-	Fulco Beneventanus	-
Osbertus	-	Gratianus	1131
Robertus Retenensis	-	Stephanus Parisiensis	1132
Rudolphus Trudon.	-	Malachias Hibernus	1134
Hesso	-	Oddo	1135
Nicolaus Leodiensis	-	Gaufridus Grossus	-
Nicetas Byzantinus	-	Theobaudus	1136
Michael Glycas	-	Ulgerius	-
Guido Carthusianus	-	Georgius Corcyrensis	-
Galfridus	-	Rinaldus	-
Gualterus Tarvanensis	-	Petrus Cassinensis	1137
Albertus Aquisgran.	-	Udalricus Monachus	1138
Arnulfus Rossensis	-	Adilredus	-
Domnizo	-	Philippus Tarentinus	1139
Eadmerus	1121	Guerricus Abbas	1140
Petrus Cluniacensis	1123	Lucas Leodiensis	-
Sugerius	-	Philippus Harvengius	-
Honorius, P. R.	1124	Bernardus Morlanensis	-
Fulcherius	-	Bartholomæus de Fusniaco	-
Gualterus Monachus	-	Archardus Claræval.	-
Rupertus Tuitiensis	-	Antonius Melissa	-
Cosmas Pragensis	1126	Guilielmus Rhemensis Abbas	-
Norbertus	1127	Hugo Farsitus	-
Hermannus Tornacensis	-	Ordericus Vitalis	-
Drogo Laudunensis	1128	Gilbertus Porretanus	1141
Innocentius II. P. R.	1130	Arnulphus Luxoviensis	-
Honorius Augustodunensis	-	Guilielmus Sommerset	1142
Hervæus Dolensis	-	Cælestinus II. P. R.	1143
Algerus	-	Lucius II. P. R.	1144
Waselinus Momalius	-	Thomas Maurign.	-
Hugo Rothomag.	-	Otto Frisingensis	-

Robertus Pullanus	anno 1144	Petrus Blæsensis	anno 1160
Eugenius III. P. R.	1145	Odo Cantuar.	-
Wolbero	1147	Odo Canon. Regul.	-
Serlo	1148	Laurentius Leodiensis	-
Lucas Chrysoberges	-	Michael Thessalon.	-
Gaufridus Antissodor.	-	Ecbertus Schœnaug.	-
Gilbertus	1149	Folmarus	-
Anselmus Havelberg.	-	Bertrandus Monachus	-
Constantinus Manasses	1150	Adamus Scotus	-
Constantinus Hermenopulus	-	Fastredus Clarævallensis	1161
Ogerius	-	Arnoldus Carnotensis	1162
Adalgisus	-	Godofredus Clarævall.	-
Theulfus	-	Joh. Beleth	-
Stephanus Hispanus	-	Thomas Becket	-
Richardus de *S.* Victore	-	Gerhardus Germanus	1163
Robertus Monachus	-	Bonacursus	-
Joh. Antiochenus	-	Hugo Salvanensis	1164
Isaacus Armenus	-	Aldebertus Hildesheim.	-
Simeon Theologus Junior	1151	Nierses Ghelajensis	1166
Alanus de Insulis	-	Alexius Aristenus	-
Galfredus Monumet	-	Michael Anchialus	1167
Nicolaus Clarævall.	1152	Gaufredus Lemovicensis	-
Potho	-	Hugo Pictavinus	-
Odo de Diogilo	-	Gilbertus de Sempringham	1170
Anastasius II. P. R.	1153	Gottofredus Viterb.	-
Hadrianus IV. P. R.	1154	Gilbertus de Hoylandia	-
Alexander Abbas	-	Hildegardis	-
Elisabetha Schœnaug.	-	Henric. Rhemensis	-
Basilius Achridenus	1155	Petrus de Riga	-
Radulphus Flaviac.	1157	Saxo	-
Zacharias Chrysopolitanus	-	Simeon Logotheta Junior	-
Alexander III. P.	1159	Theorianus	-
Petrus Lombardus	-	Eduardus Cantuar.	1171
Amadeus	-	Joh. Sarisburiensis	1172
Petrus Pictavensis	1160	Petrus Comestor	1173

Guil. Tyrius	anno 1174	Elias de Coxida	anno 1190
Nierses Armenus	1175	Alanus	-
Richardus Anglus	1177	Albertus Vercellenſis	-
Hugo Etherianus	-	Neophytus	-
Alanus Teukesburienſis	-	Otto de S. Blaſio	-
Benedictus Anglus	-	Cæleſtinus III. P. R.	1191
Robertus Paululus	1178	Stephanus Tornacenſis	1192
Elias III.	1180	Demetrius Tornicius	1193
Gerhohus	-	Joh. Lyddenſis	1194
Gvalterus de Caſtellione	-	Gvilielmus Neubrigenſis	1195
Richardus Hagulſtad.	-	Joh. Wallingford.	-
Philippus Clarævall.	-	Petrus Tornacenſis	1197
Robertus de Monte	-	Odo Soliacenſis	-
Theodericus Monachus	-	Radulphus de Diceto	-
Theodorus Balſamon.	-	Rogerius de Hoveden.	1198
Lucius III. P. R.	1181	Innocentius III. P. R.	-
Theodoſius Conſtantinop.	-	Joh. Brompton.	-
Petrus Cellenſis	1182	Joh. Chamaterus	1199
Andronicus Conſtantinop.	1183	Adamus de Perſennia	1200
Georgius Xiphilinus	-	Nigellus de Wirecker	-
Pandulphus	1184	Matthæus Vindocin.	-
Balduinus Cantuarienſis	1185	Sylveſter Gyraldus	-
Urbanus III. P. R.	-	Dodechinus	-
Clemens III. P. R.	1187	Theodericus	-
Gregorius VIII. P. R.	-	Andreas Sylvius	-
Gvilielmus Monſpelienſis	1190	Petrus Pictavienſis	-
Gonterus	-		

Sec. XIII.

Gervaſius Cantuar.	anno 1201	Nicetas Maronita	anno 1201
Nicolaus Hydruntinus	-	Demetrius Chomatenus	1203
Thomas Ciſtertienſis	-	Michael Acominatus	1204
Hervardus	-	Nicetas Choniates	-
Joachimus	-	Guil. Gallus	1206

Gervasius Sagiensis	anno 1206	Alexander de Hales	anno 1230
Stephanus Langton	-	Alexander de Villa Dei	-
Guil. de Seligniaco	-	Conradus de Marburch	-
Hugolinus	1207	Fabianus	-
Franciscus Assisias	1208	Guilielmus Andrensis	-
Rodericus Ximenius	-	Tho. Spalatensis	-
Arnoldus Lubecensis	1209	Philippus Grevius	-
Wernerus Abbas	1210	Petrus de Vineis	-
Gvaltherus Mapes	-	Richardus à S. Laurentio	-
Guntherus	-	Guil. de Podio-Laurentii	-
Absalon	-	Mauritius Rothomag.	1231
Willibrandus ab Oldenburg	1211	Edmundus Rich.	1234
Robertus	1212	Robertus Capito	1235
Petrus Monachus	-	Lucas Tudensis	1236
Helinandus	-	Godofredus Colon.	1237
Hermannus de Lerbeke	1214	Joh. de S. Geminiano	1240
Conradus à Lichtenau	1215	Conradus Moguntinus	-
Henricus III. P. R.	1216	Ægidius à Leodio	-
Eberardus Bethunienſis	1220	Matthæus Pariſ.	-
Jacobus de Vitriaco	-	Albericus Trium fontium	1241
Antonius de Padua	-	Gualtherus Cornutus	-
Benignus Florentinus	-	Innocentius IV. P. R.	1243
Germanus Constantinop. Junior	1222	Richardus de S. Germano	-
Jordanus de Saxonia	1223	Vincentius Bellovacensis	1244
Gregorius Heisterbac.	1225	Hugo de S. Charo	1245
Conradus Lauterbergius	-	Odo Rigaldus	1247
Rigordus	-	Petrus Cassiodorus	1250
Gerhardus de Fracheto	1226	Theobaldus Stampensis	-
Gregorius IX. P. R.	1227	Manuel Charitopulus	-
Joh. Algrinus	-	Bernardus de Compostella	-
Guil. Parisiensis	1228	David de Augusta	-
Radulphus de Coggeshal.	-	Gertrudis	1251
Raymundus de Pennaforti	-	Robertus de Sorbona	1252
Hugo Floreffiensis	1230	Guil. de S. Amore	1253
Conradus Everbacensis	-	Humbertus de Romanis	1254

Reinerus Sachonus	anno 1254	Martinus Polonus	anno 1277
Alexander V. P. R.	-	Rogerus Baconus	1278
Bonaventura Cardin.	1255	Joh. Peckam	-
Thomas Aquinas	-	Mechtildis	1280
Niceporus Blemmida	-	Georgius Pachymeres	-
Tho. Cantipratenſis	-	Henricus de Gandavo	-
Arſenius Conſtantinopol.	-	Petrus de Alvernia	-
Albertus Stadenſis	1256	Udalricus de Argentina	-
Richerius	1260	Theodoricus de Apoldia	-
Albertus M.	-	Martinus IV. P. R.	1281
Joh. Guallenſis	-	Andronicus Palæolog. Comn.	1282
Urbanus IV. P. R.	1261	Bonaventura Brocardus	1283
Ægidius Aſſiſias	1262	Georgius Cyprius	-
Henr. de Seguſia	1263	Guido Baiſius	-
Bernardus Ayglerius	-	Henricus IV. P. R.	1284
Bernardus Caſſinenſis	-	Arlotus e Prato	1285
Clemens IV. P. R.	1265	Guil. Durandus	1286
Annibal de Annibaldis	1266	Nicolaus IV. P. R.	1288
Guil. de Sanvico	1270	Jacobus de Voragine	1290
Gilbertus Tornacenſis	-	Guil. Major	-
Tho. de Leontino	-	Joh. Pariſ.	-
Tho. Bockingham	-	Radulphus de Columna	-
Radulphus Bockingus	-	Richardus de Mediavilla	-
Nicolaus Hanapus	-	Peregrinus Bononienſis	-
Nicolaus Gallus	1271	Tho. Palmeranus	-
Gregorius X. P. R.	1272	Engelhardus	-
Adamus de Dommersham	-	Conradus Monachus	-
Guil. Peraldus	-	Auguſtinus Anconitanus	-
Joh. Veccus	1274	Henr. Suſo	-
Georgius Metochita	1276	Bartholomæus de Cotton.	1292
Conſtantinus Meliteniota	-	Gregorius Siſenſis	1293
Joh. XXI. P. R.	-	Cæleſtinus V. P. R.	1294
Simon Cretenſis	-	Alanus Magnus de Inſulis	-
Innocentius V. P. R.	-	Bonifacius VIII. P. R.	1295

Ricoldus	anno 1296	Tho. Wiccius	anno 1299
Ægidius Romanus	-	Reinerus de Piſis	1300
Armandus de Belloviſu	-	Fredolius	-
Engelbertus	1297	Juſtus Abbas	-

Sec. XIV.

Jacobus Cajetanus	anno 1301	Vitalis e Furno	anno 1212
Jacobus de Benedictis	-	Alexander S. Elpidio	-
Andreas Novocastrenſis	-	Hervæus Natalis	-
Dantes Aligerius	-	Hugo Pratenſis	1313
Guil. de Mondagot.	-	Theodorus Metochita	1314
Guil. de Nangiaco	-	Hubertinus de Caſſalis	1315
Henr. Stero	-	Porchetus Salvaticus	-
Joh. Duns	-	Joh. de Neapoli	-
Raymundus Lullius	-	Franciſcus Mayronius	-
Joh. Friburg.	1302	Joh. XXII. P. R.	1316
Ptolomæus Lucenſis	1303	Joh. de Glycis	-
Clemens V. P. R.	1305	Michael Cæſenas	-
Tho. Jorſius	-	Albertus Patavinus	-
Eberhardus Altahenſis	-	Aſteſanus	1317
Philippus Euſtatenſis	1307	Jacobus de Lauſanna	-
Siffridus	-	Bertrandus de Turre	1319
Haito	-	Nicolaus de Lyra	1320
Edmundus Hadenham	-	Albertinus Muſſatus	-
Antonius Andreas	1308	Durandus à S. Portiano	-
Guil. Pariſ. Junior	-	Adamus Goddam	-
Guido Abbas	1309	Odoricus Forojul.	-
Theoleptus	1310	Andreas Horne	-
Malachias Hybernus Junior	-	Petrus Aureolus	1321
Nicolaus Trivethus	-	Joh. Baſſolus	1322
Theodulus Monachus	1311	Bernardus Guidonis	1323
Jacobus de Termis	-	Marſilius Patavinus	1324
Gulielmus Durandus Junior	-	Petrus Bertrandus	1325
Marinus Sanutus	1312	Petrus de Dusburg	1326

Jeh. Baconus	anno 1329	Maximus Planudes	anno 1340
Gerhardus Odonis	-	Clemens VI. P. R.	1342
Joh. Canon	-	Philippus Galterius	1344
Guil. Occam	1330	Paulus Perusinus	-
Ludolphus de Saxonia	-	Nicephorus Gregoras	1345
Petrus Paludanus	-	Thomas de Argentina	-
Guido Terreni	-	Richardus Armachanus	1347
Monachus Beneventanus	-	Theophanes Nicenus	-
Joh. Calecas	1331	Thomas Chesterfield	-
Bartholomæus à S. Concordia	-	Thomas Bradwardinus	1348
Guido de Monte Rocheri	1333	Joh. Honsemius	-
Guil. de Rubione	-	David Monachus	-
Nicephorus Callistus	-	Franciscus Petrarcha	1350
Richardus Buriensis	-	Rogerius Connovius	-
Robertus de Graystanes	-	Nicolaus Cabasilas	-
Benedictus XII. P.R.	1335	Joh. de Beka	-
Simeon Fidatus	-	Albericus Bergomensis	-
Rudolphus de Frameinberg	1336	Joh. Taulerus	-
Joh. Andreas	-	Innocentius VI. P. R.	1352
Gualterus Burlæus	1337	Matthæus Cantacuz.	1354
Arnaldus Cescomes	-	Callistus Constantinop.	-
Simon de Cremona	1338	Gregorius Palamas	-
Joh. de Janduno	-	Joh. Palæologus	1355
Arnaldus Verdala	1339	Nicolaus Eumericus	1356
Barlaamus	1340	Adamus Woddheam	1357
Nilus Cabasilas	-	Demetrius Cydonius	-
Richardus Hampolus	-	Ranulphus Hidgen.	-
Robertus Holkot	-	Georgius de Arimino	-
Philippus de Monte Carlerio	-	Alphonsus Vargas	1358
Lupoldus Bamberg.	-	Tho. Stübbs	1360
Bernardus Parentinus	-	Joh. Wiclef.	-
Pelagius Alvarus	-	Nilus Rhodius	-
Gregorius Acindynus	-	Manuel Calecas	-
Joh. de Rupescissa	-	Joh. Calderinus	-
Henricus de Urimaria	-	Joh. Sapiens	-

Bartholomæus de Glanvilla	anno 1360	Stephanus Byrchingtonus	anno 1380
Petrus Berchorius	-	Henr. de Huecta	-
Nicolaus Orem	1361	Baldus Ubaldus	-
Urbanus V. P. R.	1362	Guil. Thorn	-
Henricus Rebdorff.	-	Guil. de Wodford.	-
Bernardus Dapifer	-	Michael Ancyranus	1382
Amalricus Augerii	-	Raymundus Jordanus	-
Pilotheus Constantinop.	-	Joh. Tambaco	1384
Brigitta	1363	Emanuel Imper.	-
Joh. Sapiens Cyparissiota	1364	Marsilius ab Ingen	-
Philippus Ribotus	1368	Jacobus de Theramo	-
Philippus de Leydis	1369	Joh. de Burgo	1385
Petrus de Luxenburg	-	Bonifacius IX. P. R.	1389
Philotheus Achillinus	1370	Joh. Bromiardus	1390
Jordanus de Qvedlinborch.	-	Gerhardus Zutphanienſis	-
Joh. de Hildesheim	-	Petrus de Herenthal	-
Gallus Ciſtert.	-	Jacobus Guiſius	-
Gerhardus Magnus	-	Radulphus de Rivo	-
Gregorius XI. P. R.	1371	Benedictus XIII. P. R.	1394
Bartholomæus Albicius	1372	Henr. Knigthon	1395
Iſaacus Argyrus	1373	Petrus de Alliaco	1396
Catharina Senenſis	1374	Antonius de Butrio	1398
Matth. de Cracovio	1375	Demetrius Chryſoloras	-
Bonaventura Patavinus	1377	Simon Jacumæus	1400
Matthæus Weſtmonaſt.	1377	Jacobus Magni	-
Albertus Argentin.	1378	Fr. Ximenius	-
Nilus Patr. Conſtantinop.	-	Fr. Zabarella	-
Urbanus VI. P. R.	-	Nicolaus de Gorrham	-
Joh. Rusbrochius	1380	Nilus Damyla	-

Sec. XV.

Aymericus de Peyraco	anno 1401	Hermannus de Petra	anno 1405
Joh. Charlierius de Gerſon	1404	Gregorius XII. P. R.	1406
Paulus Anglicus	-	Joh. Latteburius	-

Theodorius

Theodoricus Niem	anno 1408	Joh. Gritſch	anno 1428
Alexander V. P. R.	1409	Alexander Carpentarius	1429
Petrus Dresdenſis	-	Nicolaus Auximanus	-
Tho. Waldenſis	-	Petrus Jeremiæ	-
Simeon Theſſalon.	1410	Raymundus de Sabunde	-
Petrus de Ancharano	-	Eſaias Cyprius	-
Henricus de Palma	-	Alanus Rupenſis	-
Joh. XXIII. P. R.	-	Laurentius Juſtinianus	1431
Joh. Vitalis à Furno	-	Eugenius II. P. R.	-
Joh. Huſſus	1411	Joh. Nider	-
Joh. Groſſus	-	Joh. Tarentinus	1432
Hieronymus de S. Fide	1412	Andreas de Petra	-
Vincentius Ferrerius	1414	Ægidius Charlerius	1433
Hermannus de Lerbeke	-	Gerhardus Landrianus	-
Ambroſius Camaldulenſis	-	Henr. de Kalteiſen	-
Joh. Capreolus	1415	Joh. Polemar	-
Paulus Burgenſis	-	Joh. de Ragufio	-
Nicolaus de Clemangis	1416	Alphonſus Toſtatus	1434
Joſephus Patr. Conſtantinop.	-	Joh. Antiochenus	-
Martinus V. P. R.	1417	Nicolaus Plonius	-
Henr. de Haſſia	1418	Beſſarion Cardin.	1436
Gobelinus Perſona	-	Marcus Eugenicus	-
Antonius Rampelogus	-	Iſidorus Ruthenus	1438
Auguſtinus de Roma	1419	Catharina Bononienſis	-
Nicolaus Dinckelſpiel	1420	Sylveſter Sguropulus	-
Theodoricus Engelhuſius	-	Nicolaus Euboicus	1439
Sanctius de Porta	-	Joh. Turrecremata	-
Tho. Haſelbach	-	Andreas Presbyter Ratispon.	-
Anton. Raudenſis	-	Joſephus Methonenſis	1440
Guilielmus Lindwood	1422	Joh. Segovienſis	-
Georgius Phranza	1424	Joh. Patriarch. Jac.	-
Joh. de Imola	1425	Albertus de Sarthiano	-
Bernardinus Senenſis	1426	Georgius Trapezuntius	-
Petrus de Roſenheim	1427	Joh. de Anania	-
Nicolaus Tudeſchus	1428		

Joh.

Joh. Capistranus	anno 1440	Tho. Chaundlerus	anno 1457
Nicodemus Abbas	-	Pius II. P.R.	1458
Gregorius Melissenus	-	Andreas Barbatius	1460
Jannotius Manettus	-	Georgius Hermon.	-
Laurentius Valla	-	Gregorius de Heimburg	-
Tho. Walsinghamus	-	Jacobus Piccolominæus	-
Joh. Lydgatus	-	Joh. Aquilanus	-
Franciscus de Platea	1442	Augustinus Dathus	-
Reginaldus Pavo	1443	Theodorus Lælius	-
Meffreth	-	Joh. Buschius	-
Petrus de Pilichdorff	1444	Jacobus Gruytrodius	-
Leonardus de Utino	1445	Henricus Gorcomius	-
Antonius Florentinus	1446	Henricus Woltherus	1463
Mathæus Vegius	1448	Ægydius de Roya	-
Nicolaus Cusanus	-	Joh. Antonius	-
Nicolaus V. P.R.	1449	Paulus IV. P.R.	1464
Joh. Plusiadenus	1450	Ericus Olai	-
Thomas à Kempis	-	Jacobus Zenus	1465
Joh. Canales	-	Dominicus de Dominicis	-
Hilario Monachus	-	Longinus	-
Petrus Candidus December	-	Rodericus de Arevalo	1466
Bartholomæus Facius	-	Alexander de Imola	1467
Antonius de Rosellis	-	Jacobus Peretzius	1468
Benedictus de Accoltis	-	Albertus Crummedickius	-
Dionysius Carthusianus	-	Joh. Beetzius	-
Guil. Vorilongus	-	Henricus Harphius	-
Ducas	1443	Joh. de Wesalia	1470
Georgius Scholarius	-	Petrus de Natalibus	-
Leonardus Justinianus	-	Gabriel Barletta	-
Callistus III. P. R.	1455	Ertwinus Erdmannus	-
Felix Malleolus	-	Joh. Heroldus	-
Nicolaus de Orbellis	-	Sixtus IV. P.R.	1471
Tho. Dorniberg	-	Bernardus Justinianus	-
Guil. Houpelandus	1457	Martinus Magister	1473
Jacobus de Paradiso	-	Rudolphus Agricola	1474

Bartholomæus Platina	anno 1474	Philip. Callimach. Experiens	an. 1486
Petrus Niger	1475	Carolus Fernandus	-
Ambrosius Coriolanus	-	Otto Arosiensis	1487
Joh. Wesselus	1476	Ælius Antonius Nebriss.	1488
Robertus Flemyngus	1477	Petrus Schottus	-
Joh. de Circyo	-	Aurelius Brandolinus	-
Petrus Ranzanus	1478	Joh. Nivicellensis	1489
Joh. Raulinus	1479	Gaufredus Boussardus	-
Hieronymus Savonarola	1480	Antonius Ghislandius	-
Marsilius Ficinus	-	Antonius Bostius	-
Pacificus	-	Donatus Bossius	-
Stephanus Brulifer	-	Joh. Annius	1490
Wernerus Rolfinck	-	Bonifacius Sinonetta	-
Robertus de Licio	-	Petrus Apollonius Collatius	-
Michael de Mediolano	-	Nicasius de Voërda	-
Gabriel Biel	-	Matthæus Bossus	-
Joh. Gerbrandus	-	Albertus de Bonstett	1491
Bernardinus de Bustis	-	Alexander VI. P. R.	1492
Bernardinus Aquilanus	-	Cherubinus de Spoletto	-
Baptista de Salis	-	Hartmannus Schedelius	-
Andreas Carnensis	-	Bernardinus de Caravajal	-
Angelus Clavasius	-	Joh. de Lapide	-
Antonius de Balacho	-	Joh. Reuchlinus	1494
Antonius Torquadus	-	Joh. Geilerus	-
Augustinus Senensis	-	Jacob. Wimpheling	-
Bernardinus Tomitanus	-	Oliverius Maillardus	-
Joh. Trithemius	1483	Nicolaus Barianus	-
Sigismundus Grossenbrot	-	Jacob. Philipp. Bergomas	-
Guil. Caxtonus	-	Felinus Sandeus	-
Augustinus Pojentinus	-	Michael Franciscus	-
Baptista Trovamala	-	Baptista Ferrariensis	-
Felix Fabri	-	Antonius Bonfinius	1495
Innocentius VIII. P. R.	1484	Petrus Dorlandus	-
Joh. Picus Mirandulanus	-	Gotteschalcus Holen	-
Petrus Brutus	1485	Nicolaus Simonis	-

Robertus Gaguinus	anno 1495	Guil. Pepinus	anno 1500
Jacobus Sprengerus	-	Joh. Nauclerus	-
Joh. Blærus	1496	Joh. Parcevallus	-
Joh. Veteraquinas	-	Joh. Pinus	-
Vincentius Bandellus	-	Paulus Cortesius	-
Baptista de Rosellis	1498	Paulus Svevus	-
Balthasar de Lipsia	-	Claudius Seisselius	-
Bernardus à Breitenbach	1499	Petrus Burrus	-
Carolus Bovillus	1500	Augustinus Ticinensis	-
Georgius Florus Baldinus	-		

Sec. XVI.

Joh. Lud. Vives	anno 1501	Antonius de Four	anno 1507
Joh. Lud. Vivaldus	-	Philippus Decius	1508
Baptista Mantuanus	-	Antonius Sorianus	-
Petrus Martyr Anglerius	-	Jac. Faber Stapul.	1510
Franciscus Georgius	-	Didacus Deza	-
Antonius Trombeta	-	Bernardus de Luxemburgo	-
Bonifacius de Ceva	-	Thomas Radinus	-
Antonius Bonitus	-	Cyprianus Benetus	1511
Jo. de Argamanes	-	Jo. Aventinus	1512
Pelbartus Osvaldus	-	Marcus Vigerius	-
Jo. Meder	-	Joh. Driedo	-
Mauritius de Portu Fildæus	-	Alexius Episcopus Melfitanus	-
Nicolaus Dionysii	-	Jo. Maria de Monte	1513
Jacobus Almainus	1502	Leo X. P. R.	-
Finus Hadrianus	1503	Simon Benignus	-
Albertus Krantzius	1504	Balthasar del Rio	-
Jo. Stella	1505	Jo. Baptista Garcha	-
Damianus Crassus	1506	Paulus Middelburgius	-
Fr. Ximenius	-	Antonius Puccius	1514
Alphonsus Zamora	-	Anselmus Minorita	-
Antonius de Burgos	1507	Stephanus Torcellanus Episcop.	1515
Bernardus Basinus	-	Petrus Galatinus	1516

Martinus Lutherus	anno 1517	Joh. Major	anno 1528
Dominicus Jacobatius	-	Alardus Amstelrodamus	1530
Franciscus Lychetus	1519	Arnoldus Luydius	-
Jacobus Latomus	-	Ambrosius Catharinus	-
Desiderius Erasmus	1520	Jo. Eccius	-
Sylvester Mozolinus	-	Joh. Roffensis	-
Jacobus Sannazarius	-	Conradus Kœllin	-
Ulricus ab Hutten	-	Nicolaus Schonberg	-
Augustinus Nebiensis	-	Jacobus Sadoletus	-
Bartholomæus Usinghem	-	Franciscus Vatablus	-
Beatus Rhenanus	-	Fr. Titelmannus	-
Carolstadius	1521	Hieronymus Emserus	-
Antonius Margarita	-	Adamus Sasbout	1540
Hadrianus VI. P. R.	1522	Agathius Guidiacensis	-
Joh. Tabiensis	1524	Augustinus Steuchus	-
Othmarus Luscinius	-	Franciscus Victoria	-
Fr. Lambertus	1525	Olaus M.	1544.
Albertus Brandeburgicus	1527		

FINIS.

Yh 26
8° 4°

ULB Halle
3
005 216 32X

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-193468018-14/fragment/page=0291

JO. GOTTFRIDI OLEARII

BIBLIOTHECÆ

SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM

TOMVS SECVNDVS

N. — Z.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-193468018-14/fragment/page=0293